COMMENTARIUS

IN

APOCALYPSIN JOHANNIS

EXEGETICUS ET CRITICUS

AUCTORE

GEORGIO HENRICO AUGUSTO von EWALD

PROFESSORE GOTTINGENSI.

LIPSIAE, 1828

SUMTIBUS LIBRARIAE HAHNIANAE.

PRAEFATIO.

Calvinus sapit quod in Apocalypsin non scripsit, effatum est Scaligeri celebre. Quo si ego haud deterritus commentarium novum libri hujus, si contingat, rectius explicandi causa scribere ausus sum, non meae id tribuo debeoque sive audaciae sive eruditioni, sed temporum nostrorum ingenio laudabili. In ea enim jam incidimus tempora, quibus in scriptorum sacrorum interpretatione non opinionem quamcunque ante res investigatas conceptam auditamve tueri, sed solum, quem auctor quis cum singulis effatis tum potissimum tota scriptione spectarit, sensum genuinum omni qua fieri potest diligentia aeque ac veritatis unicae studio sincerrimo eruere, explicare, illustrare, defendere, laudi ducitur. Est autem ist Apocalypseos liber, qui ob obscuritatem suam, facile quidem eam auctori condonandam quamque studio assiduo dispelli posse haud desperes, singularem tamen maximamque si libros N. T. reliquos conferas, et lectores male cautos in errores agentem pronos ingentesque, interpretationem desideret maxime sollertem, circumspectam, ingenuam, perspicuam. Quo in libro nisi et consilium, quo vates ad tale scriptum sui temporis usibus egregie inserviens edendum accessit, et notiones aevo illi tritas, quibus coaevos suos cohortabatur, singulares et ex parte in ceteris N. T. scriptis haud obvias, et operis denique indolem miram ex operibus circa tempora illa scriptis similibus cognoscendam interpres bene eruta perspexerit, is tot tantisque intricatur difficultatibus, ut ingenii, si vel maximo polleat, acumen sensui libri genuino magis obscurando et sinistre judicando quam dete-

gendo et illustrando inserviat. Putesque fere vatem in libri fine 22, 18. 19., ubi ne quid temere effatis suis sive detrahant sive addant graviter omnes dehortatur, ipsum sensisse jam et ominatum esse, quam facile *imagines* quae totam scriptionem implent, vel ignorantia vel consulto *sinistre* intelligi possint. Quare nec mirum, quod Herderus et Eichhornius, viri summi deque universa bibliorum interpretatione emendanda praeclare meriti, quosque potissimos Apocalypseos interpretes nostro tempore salutare licet, libri hujus sensum finemque summum non assecuti sunt. Quem an ipse assecutus sim dies docebit; hoc tamen scio, me non meam quamcunque, sed auctoris ubique mentem ita illustrare studuisse, ut ad summas, quas de toto libro tradidi, notiones singula omnia loca diligenter explicita congruant, utque omnia suà splendeant vi nativa et colore genuino. Interpretes igitur quoscunque tum demum gratus adii cum de toto opere judicium mihi stabat firmum. Unum hoc sincere cupio, ut vatis liber cum penitius intelligi tum justius aestumari incipiat. Quo enim certius, verius, penitius libri hujus ut ceterorum in bibliis collectorum finem sensumque cognoscimus, eo eum veneratione nostra digniorem sentimus. Qui liber quanquam *suo* tantum, quod eum enasci fecit, tempori omni ex parte utilis erat pluresque haud dubie Christianos ne fidem suam desererent minis suis et hortationibus adduxit, e consilio tamen egregio a vate scriptus censendus est sententiasque plures habet vel nostrae aetati idoneas. Scripsi Gottingae mense Februario anni 1828. [1])

1) haud alienum est hic monere, commentarii hujus partem priorem jam pridem fuisse typis exscriptam, reliqua ob varias causas esse retardata. Errores in ista libri impressi parte obvios a me notatos emendare velint lectores.

§. 1.

De scribendi consilio librique argumento.

Ut omnes N. T. libri ex temporis, quo vivebant divini scriptores, coaevorumque necessitatibus orti sunt, ita Apocalypsin quoque Ioannes non libri tantum edendi causa, sed hoc potissimum consilio scripsit, ut Christianorum illo tempore viventium rebus docendo, hortando, minando consuleret. Juvatque ante omnia cognoscere, quid eum ad scribendum appulerit, unde quale consilium secutus sit et quid sit summum libri argumentum, certius patescat.

A primis inde rerum Christianarum initiis usque ad id fere tempus, quo Paulus epistolas emittere desiit, Christi asseclas constat Judaeorum quidem tum in Palaestina tum in provinciis perpessos esse odium et diras vexationes, nunquam vero ipsis Imperatorum vel provinciis praefectorum edictis fuisse proscriptos et infestatos. Quae rerum facies inde ab anni 64. fine prorsus mutata est. Cum enim Nero quo se a crimine Romae incensae, ut tradunt, liberaret, Christianos ut humani generis osores (Tac. Ann. 15, 44.) et securitatis publicae hostes proscripsisset, non Romae tantum, ubi Paulus etiam circa hoc tempus trucidatus videtur, sed in provinciis quoque [1]) acerbae in Christianos saevire coeperunt

1) Ita tradunt Tertull. de mortibus persecut. c. 2. Oros. hist. 7, 7. Recentiores quidem historici (cf. S. V. Planckii Geschichte des Christenthums T. II. p. 294) fere omnes de his ita dubitant, ut Romae tantum saeviisse vexationes putent; at in non-

vexationes. Quae pericula vix superasse videntur Christiani, cum Judaici belli gliscentis flamma novas ciebat vexationes. Nec mirum. Cum enim hucusque Christiani secta tantum Judaeorum et ipsi se haberi vellent et a Romanis haberentur, omnia Judaeorum ut privilegia ita damna iis erant communia, nec nisi post eversa Hierosolyma utraque pars ne confunderetur sedulo cavere studuit. Istum autem belli judaici furorem extra Palaestinam quoque saeviisse, ita ut illo tempore ubique fere terrarum Judaei Romanis invisi acerbissima quaeque paterentur, ex vestigiis historiae sat multis colligi potest [1].

Quot quantisque aerumnis et vexationibus tum temporis Christianis tum omnibus ubique fere terrarum tum coetibus in Asia proconsulari collectis, quibus Johannes se proximum vidit, conflictandum fuerit; quantum exinde rei christianae damnum minari videretur, et quam necesse fuerit fractum timidorum animum erigere, miseros et vexatos solari, omnesque ut ne fidem christianam desererent hortari, ex ipsa Apocalypsi satis elucet. Siquidem non tantum saepissime gentiles Christianorum, praeceptorum imprimis de doctrina propaganda bene merentium, sanguine effuso immane quantum scelus commisisse dicuntur 6, 10. 7, 14. 13, 7. 16, 6. 17, 6. 18, 24, sed martyrum etiam jam caesorum tantus numerus 6, 11. 7, 9–11. indicatur, ut Christianos illo tempore non a Judaeis, sed ab ipsis provinciarum praefectis graviter vexatos esse per se pateat.

Igitur ne nimis Christiani tantis periculis deterrerentur neve plures, ut jam coeperunt, timore a fide chri-

nullis saltem provinciis, praesertim in Asia minori, non minus acerbe a praefectis in Christianos actum esse, non Apocalypsis tantum, sed Jacobi etiam et prior Petri epistola adeo manifestum reddunt, ut quo jure dubitemus non appareat.

1) cf. Jahnii archaeol. T. II. V. 2. p. 192 sqq. Jost Geschichte der Israeliten T. II. p. 295 sqq. 320 sqq.

stiana alieni facti detrimentum inferrent rei christianae summum, solandi erant miseri et erigendi, vituperandi timidi et impii, monstrandum erat, mala utut maxime videantur terribilia, brevi tamen cessatura esse; piis et fidelibus ampla virtutis et fidei nunquam infractae praemia, ceteris autem qui aut Christianorum sacra timore ignaviave deserant aut ipsi Christianos immerito vexent, poenas certo instare gravissimas.

Quo autem facilius coaevos suos calamitatum istarum onere pressos partim consolando erigeret et firmaret, partim minando hortaretur et instigaret, succurrit Johanni idea quaedam tum temporis orbi christiano familiarissima, quae omnium animos tenuit, firmavit et exercuit, ideam dico de *παρουσίᾳ χριστοῦ*. Viguit scilicet opinio christianorum animis alte infixa, christianam rem, qualis primis initiis erat, tenuem, pressam et contemtam non diu mansuram; laetiori potius, qua digna sit, sorte mox eam fore ornandam. Haec tamen idea sic expressa cum hominum animos minus percellat et moveat, cum alia conjungebatur cui major inerat vis ad veritatem illam imaginum ope rudioribus quoque persuadendam. Sumta ea est ex opinionibus de Messia judaicis, ad Christianam tamen indolem sapienter temperatis. Notum est, Judaeos imprimis post vaticinia sub Danielis nomine celebrata Messiam melioris conditionis instauratorem, pios et fidos beantem impios punientem, eo ipso tempore adventurum esse credidisse, quo pii gravissime hostibus externis oppressi sint; quacum opinione conjuncta erat arctissime de Messia Hierosolymis hostium vi deletis regni melioris seu coelestis instauratore et omnium, mortuorum etiam facta pro meritis remunerante persuasio. Pulcherrima est haec temporis melioris futuri, quod omnes cupimus et semper cupiemus, imago, modo ne singulos colores poetis et vatibus deberi obliviscamur. Illam vero Messiae imaginem cum Jesus in terra non

exprimeret, ipsi discipuli ex eo mox abituro quaesiverunt, quando vere ut talis Judaeorum Messias adventurus sit Matth. 24, 3. Nec Jesus quae prius jam vates de Messia augurati erant omittit; Messiam docet celeriter et improviso, ubi pii maximis periculis conflictaturi sint, coelitus adventurum et judicium habiturum esse, id autem ante omnia urget, tempus adventus quamvis proximi prorsus esse incertum, piis igitur semper esse vigilandum et pro viribus laborandum ne praemio excidant Matth. 24. 25. Quibus orationibus quid Jesus aliud potuit spectare, nisi ut spe ista, rem christianam aliquando felicem fore, asseclas suos ad fidem et virtutem maximas inter calamitates inconcussam servandam hortaretur? (Matth. 24, 36-25, 30). Et quam sapienter tempus adventus non definivit, ut semper Christianis vigilandum esse doceret? [1]).

Opinio haec de Christo mox redeunte quantum valuerit in orbis christiani primordiis, omnes N. T. episto-

1) cf. Schott comment. in eos Jesu sermones qui de reditu ejus-agunt Jen. 1820. qui quidem vir doctus putat, reditum Christi ad judicium de omnibus exercendum prorsus distinguendum esse a tempore excidii Hierosolymorum. Quod mihi quidem persuadere non possum. Nam Jesus Matth. 24, 15. Romanos Hierosolyma diruturos non dicit; sed urbis sanctae eversio est tantum calamitatum adventum Messiae praecedentium pars quaedam; certe hoc solo consilio ejus mentio fit. Calamitates autem has cum reditu Christi et judicio arctissime conjunctas cogitandas esse, et ipse docet Matthaeus, et Apocalypsis monstrat et totus probat Judaeorum et Christianorum primi saeculi opinionum concentus. Quod autem porro Vir S. Ven. putat, futuri temporis descriptiones has Matth. 24. 25. proprio sensu intelligendas esse, ita ut vere v. c. nobis credendum sit solem obscurum factum iri, id quomodo collata Apocalypsi, quae idem fusius exponit, statui possit non apparet. Si in Apocalypsi imagines conspicimus, haud dubie etiam Jesu sermones ex his interpretabimur.

lae satis demonstrant. Ea apostoli ut consolabantur miseros, ita impiis minabantur (1 Cor. 16, 22); Christum cum mox pro merito omnibus retributurum et impios imprimis puniturum esse quivis putaret, tanto ardore Christi praecepta tenuere et contemtis humanis (Tac. Ann. 15, 44) omnibus atque caducis futura meliora soli virtuti studentes sperare solebant, ut nisi haec opinio alte animis eorum infixa fuisset, nunquam doctrinam christianam tam mirifice propagari et sustentari potuisse credas [1]). Cumque persuasio haec iniquissimis Christianorum primorum temporibus firmissima fuisset et utilissima (ut semper in maximis, quas immerito subimus, calamitatibus plurimum opus est spei), postea inde a fine saeculi secundi et tertii cum laetioribus et tutioribus rei christianae incrementis prorsus evanuit vel explicatione (si vera fateri licet) falsa, ita immutata est, ut jam Christi adventum post immensam demum et nemini cognitam seculorum seriem exspectandum esse putarent.

Hac igitur communi temporum istorum opinione utitur etiam felicissime auctor Apocalypseos, cujus summum argumentum hoc est, ut Christianos tum temporis maximis malis oppressos et a gentilium furore coeco vexatos adventu Christi vindicis pios remunerantis, impios, gentiles imprimis punientis vivide describendo consoletur et ne metu fidem deserant adhortetur minis immixtis. Nec id

1) Utilissimam tamen hanc pro illo tempore opinionem facillime errores producere potuisse, praeter historiam ecclesiasticam ipsum jam docet N. T. Nam alii, praemii tantum exspectandi dulcedine ducti, impatienter reditum exspectabant 1 Thessal. 5, 1. 2 Thess. 2, 1 sqq.; alii serius, Apostolis mortuis, de reditu prorsus dubitabant, ita ut sublato metu Messiae vindicis adventantis vitiorum se dederent foeditati; monstrat id altera Petri epistola, quam exeunte demum saeculo primo scriptam puto.

toto tantum visionum complexu demonstrat, sed epiphonemata etiam haud raro immiscet acuta idem gravissime inculcantia cf. 13, 9. 10. 14, 12. 13. 16, 15. 19, 9. 20, 6. 1, 7. Si tamen qualem Johannes descripsit Christi adventum, cum ceterorum N. T. scriptorum testimoniis comparamus, duo potissimum hic nova deprehendimus.

1) Quosnam impios Messias redux puniturus sit, ceteri scriptores non definiunt; in Apocalypsi vero quanquam omnes omnino impios, eos quoque qui fidem Christi deserant (21, 8) in vita altera infelices fore declaratur, potissimum tamen gentiles, Romanorum praefecti (19, 19) et ante omnes Nero Antichristus cum ceteris Imperatoribus totoque orbe Romano gravissimis poenis digni describuntur, ita ut Christus horum potissimum puniendorum causa reversurus dicatur. Nec mirum. Ipsae enim immeritae aeque ac dirissimae vexationes a Nerone et praefectis Romanis impactae ansam scribendo praebuerunt.

2) Quanquam auctor *παρουσίαν* Christi si rem ipsam spectamus iisdem plane coloribus et imaginibus depingit, tamen non breviter tantum et multis jam trita ratione eam describit, ut ceteri N. T. scriptores, et inter hos imprimis, quos eodem fere tempore, imo et simili ductos consilio et eosdem paene Christianos monituros scripsisse puto, Jacobus (cf. impr. 1, 2 sqq. 2, 6. 7. 5, 1 — ubi similiter *μακροθυμήσατε ἕως τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου*) et Petrus (cf. impr. I, 1; 6. 2, 11-17. 4, 7. 15. 16); sed, quo acrius consolando et minando animos lectorum perculleret, quo altius tum praemia piorum tum poenas impiorum et gentilium futuras memoriae Christianorum infigeret, totum imaginum ad adventum Christi pertinentium complexum magno orationis ornatu et splendore exponit, ita ut quae alibi obiter tantum eventura

et speranda dicuntur, hic fusius et arte etiam insigni atque ordine pulchro depicta legantur, admixtis praeterea e Judaeorum scholis imaginibus quam plurimis. Sed haec jam uberius exponenda sunt.

§. 2.

De forma libri epistolico-symbolica.

Forma hujus libri singulari et prorsus novo modo ex duplici scribendi genere commixto orta est. Est enim forma partim prophetico-symbolica, partim epistolica, de qua utraque sigillatim hic est dicendum.

I. Quae in hoc libro futuro tempore vel speranda piis vel metuenda impiis dicuntur, non sermone prophetico vulgari seu oratorio exponuntur, qualem antiquiores prophetae futura quae augurantur delineaturi maxime adhibent (ut Jes. c. 11.), sed vividioribus coloribus quasi ipse viderit vates, signorum ope depicta lectoribus conspicienda traduntur. De qua symbolica prophetia fusius dicere hic loci alienum est; exponendum tamen, quid potissimum inter priorum et seriorum vatum poesin symbolicam intercedat discriminis.

Antiquiores prophetae, Amos, Jesaias, Hoseas, quo rarius visionibus uti solebant et quo brevius eas narrabant, eo festivius erat hoc dicendi genus. Seriores vero inde fere ab Ezechielis tempore multo aliam formam visionibus paullatim induere consuerunt:

1. Non breviores tantum imagines rei futurae proponunt, sed quaecunque eventura sperant, longo ordine exponunt singula, historiam quasi rerum futurarum depingentes. Cum enim seriores inde fere ab exsilii initio angelorum innumerabilium catervas hominum res cu-

rare putarent, vates jam non Jehovae tantum opera in visionibus uti poterant, cujus ipsa majestas ut breves et concisae sint visiones postulat; sed unum pluresve subinde angelos fingunt a Jehova missos futura sibi aperire, monstrare et explicare; hinc dum ab angelis etiam per plures ut ita dicam scenas futura repraesentantes prophetae ducuntur, longa visionum annexarum series pandi potest, quale exemplum primus, quantum ex literarum hebraearum fragmentis nobis superstitibus colligi potest, Ezechiel in describenda futura, qualem cupit, civitatis Israëliticae restauratione c. 40 - 48 praeivit. Omnino autem vix dici potest, quantum angelorum interventus frequens, quem seriores prophetae sibi licitum putarunt, poesin tum epico-didacticam, cujus insigne exemplum Tobiae liber est, tum prophetico-symbolicam adjuverit.

2. Antiquiores prophetae symbolicas visiones et rarius et non nisi orationis suae explicandae causa adhibent. Unde seriores tantum deflectunt, ut oratione prophetica fere omissa visionibus tantum utantur. Cum enim prophetae neque amplius sicut antiquitus solebant in publicum prodeuntes orationes recitarent, neque sermonis poetici vis et ornatus serioribus praesto esset, evanuit etiam paullatim orationum quasi publice habitae essent conscribendarum mos, substituta visionum forma, quae non tam verborum ornatu et pondere (possunt enim sermone fere pedestri conscribi) quam imaginum narrandarum et symbolorum novorum et mirabilium, angelorum denique et aliarum coelestium naturarum interventu et sermonibus lectorum animos percellunt.

3. Qui libri hujus generis inde a Danielis libro usque ad secundum fere p. Ch. seculum scripti sunt, singularem rerum symbolis notatarum obscuritatem prae se ferunt. Postulat enim ipsa visionum lex, ut res ima-

ginibus et signis repraesententur; et etiamsi res jam praesto sit vel transacta, est tamem signo tantum innuenda, ne totus pereat orationis poeticae et propheticae tenor. Cui accessit aliud. Nam hostes imprimis quos a deo punitum iri minantur, nunquam disertis verbis nominant, sed vario modo tecte ita indigitant, ut peritiores tamen coaevi facile quis innuatur detegere queant. Quae quidem res cum libro Danielis circa medium seculum secundum a. Ch. scripto, libro Henochi circa Christi nati tempora edito [1]), Apocalypsi Johannis et quarto qui dicitur Esrae libro [2]) communis sit, ex temporum illorum conditione explicanda videtur. Scilicet cum vates hi coaevos ingenti calamitatum onere depressos consolaturi tyrannos ut Antiochum Epiphanem, Herodem, Neronem, quibus gravissima quaeque minabantur, aperte nominare dubitarent, ne tantis minis territi gravius etiam in miseros vexatos consulerent, satius duxere nomina eorum reticentes ita loqui, ut coaevi tamen attentiores sensum tectum extricare possent. Similiter tempus quo vivant tyranni ita describunt ut subtiliter tantum conjiciendo verum assequi possint lectores.

His quae ultimis tribus reipublicae Judaicae seculis scribebantur, vaticiniis symbolicis adeo similis est Apocalypsis Johannis, ut auctorem e libro Danielis et Henochi plurima hausisse appareat. Nam Apocalypsis non tantum eodem quod in illis libris elucet paraenetico consilio scripta est, ita ut opera haec, licet diverso tempore edita et coaevorum rationibus diversis accommodata, eadem tamen temporis melioris proxime instantis piis fausti, impiis, tyrannis potissimum, perniciosissimi spe utantur ad miseros aevi sui consolandos; sed laborat etiam eadem tyrannorum quibus poenas minatur designandorum ob-

1) cf. c. 84-88. 92, 4-24. ed. Ric. Laurence (Oxon. 1821).

2) cf. c. 11. 12. v. infra notanda ad §. 7.

scuritate studio quaesita; omninoque parum in ea explicanda proficiat, qui diligentem illorum operum similium comparationem omiserit.

Fuere tamen prophetiae hujus symbolicae sui progressus et incrementa, quanquam post plurimorum hujus generis operum seculis illis scriptorum interitum ea augurari magis liceat quam quomodo evenerint certo demonstrare. In Danielis libro visiones singulae continentur nullo fere nisi argumenti similis vinculo nexae; sed in libro Henochi, Apocalypsi et Pseudo-esra argumentum per visiones plures intime junctas ita distribuitur, ut quasi drama plures scenas complectens non **agi**, sed **monstrari** tamen videatur; quae prius brevius et per singulas visiones elocuti erant prophetae, jam fingendo et ornando ita aucta comparent, arteque plurima ita connexa, ut omnia quae futura sperantur uno simul eoque apto et pulcherrimo ordine procedant.

Sed in hac symbolicae prophetiae arte Apocalypsis librum Henochi, cui et aetate et indole et elocutione proxima est, ac Pseudo-esrae scriptum tantum superat, ut eam demum summum hujus prophetiae generis fastigium attigisse facile videas. Siquidem major Apocalypseos pars C. 4-22. una visionum constat tam apte et pulchre junctarum serie, in qua rerum monstrandarum ordo sapienter praeparando, instruendo, exsequendo tam exacte servatus est, ut ingenium magis in fingendo felicissimum an vates priores imitando superandi artem admireris dubium sit. Quicquid unquam tum de impiis et tyrannis puniendis inque aeternum a proborum consortio arcendis, tum ad pios strenue pro fide et virtute obtinenda debellantes solandos priores vates cupiendo et sperando effati erant, id omne una quasi tabula longa depictum summa exhibet sollertia et arte jucunda; sermoneque satis rapido et suavi taedium evitat quod illorum operum lectio movet.

Est autem triplex potissimum vaticiniorum symbolicorum genus. Alii vates visa sibi per somnia oblata fingunt, ut Dan. 7. 4 Esr. c. 11; alii per ecstasin vigilantes in terra signa futurorum se cernere credunt ut Dan. 8. 10. Apoc. 1, 10-20; alii denique se in coelum sublatos arcana dei vidisse narrant, cujus insigne exemplum Henochi liber et eum secuta Apocalypsis c. 4-22. exhibent; Ascensio Jesaiae enim idem figmentum haud dubie ex Apocalypsi demum hausit [1]). Quorum quidem generum, licet externa tantum forma differant, ultimum ingenio poetarum et fingendi varietati amoenae felicissime succurrere facile apparet. Nam in coelo quasi in terra augustiore et sublimiore exspatiatur vatum phantasia. Cum enim seriores Judaei omnium quae in terra sunt imagines multo sublimiores in coelo servari, imprimis autem sacra quae in terra habentur, templum ipsamque urbem Hierosolymitanam in coelo conspici augustiora putarent [2]), quanta inde vatibus fingendi libertas data est! quam nova sive solamen sive metum graviter incutientia excogitari et componi poterant! imprimis si divinae ma-

1) diversa prorsus est sententia Ricardi Laurence, qui opus hoc pseudepigraphum aethiopice et lat. edidit Oxon. 1819. Putat is librum hunc primo jam p. Ch. seculo conscriptum esse. Sed ne dicam, dogmata christiana qualia liber ille exhibet aetatem multo seriorem sapere (seculum puto tertium), ex plurimis indiciis tuto colligi potest, auctorem Apocalypsin imitatum esse cf. inter alia 7, 21-23. 9, 31. 8, 4. 5. 23 cum Apoc. 19, 10. 22, 8. 9. Ceterum opus ad explicandam Apocalypsin est utilissimum.

2) cf. diss. de Hierosolyma coelesti in Schöttg. hor hebr. I, p. 1212. Sohar Gen. f. 91; quodcunque est in terra id etiam in coelo. Ad quod comminiscendum Judaei ducti videntur tum locis veterum Hebraeorum anxie intellectis ut Jes. 6, 6 ubi altare coeleste memoratur, imprimis Ex. 25, 9. 40 ubi deus Mosi aedificandorum imagines monstrasse mythice dicitur; tum traditionibus post exsilium ortis v. infra ad 2, 17.

jestatis splendorem simul adumbrare et angelorum interventu multiplici omnia animare placebat. Quibus accessit opinio, quaecunque in terra gerantur, prius jam in coelo esse manifesta [1]) et a sacro dei senatu quasi deliberata et decreta [2]), ut vatibus sacris quasi auscultari liceat.

Tales igitur visiones coelestes depicturus Johannes C. 4-22, 5. quaecunque futura esse cupit et sperat, omnia sibi in coelo angelo comite monstrata fingit. In quo duplex quaedam difficultas cogitari potest, partim rerum monstrandarum, partim temporum quorum imagines videt futurorum. 1) Non omnes ideae monstranda figura et quasi historia ipsa depingenda satis perspicuae esse possunt; ergo voces etiam coelestium nonnunquam inseruntur, partim angelorum vatem edocentium (ut 7, 13-17. 17, 1-18.), partim dei vel ministrorum summorum dei thronum cingentium et jussa edentium (ut 6, 6.), partim ipsorum sive hominum sive coelestium naturarum quarum imagines monstrantur, ut si quid umbrae martyrum clamaverint uberius exponitur 6, 10; saepissime autem dei vel ministrorum ejus mandata brevius tantum uno alterove vocabulo innuuntur ut 6, 8. (ὄνομα αὐτῷ ὁ θάνατος) 11. 9, 3. In quibus quidem sermonibus inserendis tanta conspicitur varietas grata, tam pulcher apti et decori sensus, ut nonnunquam ad dramaticae poeseos speciem assurgat oratio utque unus hic vates omnes ceteros hujus generis multo superasse censendus sit; Henochi tamen libri fictiones proxime ad illam imaginem

1) cf. impr. Ascens. Jes. 9, 20-23.

2) Maimonides more neboch. 2, 6: non facit deus quidpiam nisi illud ante intuitus fuerit in familia superiori, est sententia sapientum; cf. alia ap. Wetst. ad Apoc. 4, 1.

accedunt [1]). 2) Altera difficultas temporum est delineandorum. Cum enim vates una visionum cohaerentium serie omnia in aeternum usque eventura complecti vellet, omnia sic componenda erant, ut una velut hora ei monstrata viderentur, temporibus etiam maxime dissitis contrahendis et ipsa singulorum factorum historia quam brevissime delineanda. Et ceteri quidem vates in temporis delineatióne parum exacti modo res futuras a se visas ita narrant, quasi jam transactae sint; modo visionum fere obliti tanquam futuras describunt, ut in sueta oratione prophetica. A qua mixtura paullo alienior Johannes omnibus futuris rebus rite in tempora et quasi periodos distributis ab initio ad finem usque ita narrat, quasi omnes ipse brevissimo tempore viderit; raro tantum, fictionis fere immemor, in futurum tempus aberrat, (9, 6. 13, 8. 20, 7 ubi id ob mille annorum intervallum excusatur) ita tamen ut paucissimis interjectis res iterum vividius quàsi ipse viderit in praeterito enarrare pergat; quem futuri in praeteritum tempus transitum subitum vel tum sibi permittit, cum deus ipse res futuras praedicere incipit 11, 3-13. Ipsius autem temporis quod inter singulas visiones intercedit, tam parum ratio habetur, ut vel mille annos oratio transgredi queat (20, 6. 7.) Nec locorum unitas cogitari potest. Quanquam enim plurima coram dei throno in coelo aguntur, saepius tamen Johannes in loca prorsus diversa, terrestria etiam (ut 17, 1 sqq.), prout ipsum visionis argumentum vult, abripi se fingit. Quae cum ita sint, non

1) ob sermones qui in Apocalypsi deprehenduntur variarum personarum primus Hartwig Apologie der Apokalypse T. III. p. 283-334 libri argumentum in actus et scenas distribuit. Sed non est obliviscendum, sermones insertos paucos symbolis monstratis explicandis tantum inservire, ita ut non tam voces interjectae, sine quibus nulla fere est prophetia symbolica, quam signa et imagines summam argumenti et ipsum rerum monstrandarum progressum contineant.

satis moneri potest, omnia ex imaginum tantum simplicium indole explicanda esse; certe ipsum auctorem res omnes de quibus loquitur mentis tantum oculis praesentes sibi cogitasse, nisi per se pateret, satis monstrat locutio in fronte posita ἐγενόμην ἐν πνεύματι 1, 10. 4, 2: et ἐν πνεύματι, quod subinde adhibet ubi in locum diversum abripi se cogitat 17, 3. 21, 10.

II. Cum hac autem libri forma symbolica conjuncta est epistolica. Quanquam enim opus inscriptione 1, 1-3. ad prophetica opera refertur et longa visionum connexarum series C. 4-22, 5. quae potissima operis pars est, lectoribus certis non destinata est, tamen et ab initio libelli 1, 4-9. Johannes ecclesiis in Asia minori septem salutem dicit et in fine ejus ad lectores quos ab initio allocutus erat redit (22, 16), donec ipsis, quibus Paullus solet epistolas omnes, verbis opus absolvat 22, 21; imo vel brevior ab initio visio 1, 10-20. propterea tantum praemissa est, ut septem epistolae minores ejusdem fere ambitus et consilii (v. infra) quasi ab ipso Christo ad septem illas ecclesias missae cogitentur (C. 2. 3). Internum igitur operis dum prophetam prodit, externa tamen forma epistolae est; quae quidem mira prorsus et singularis formarum mixtura quomodo oriri potuerit, ex temporum illorum conditione explicandum est. Constat enim, usque ad annum fere 69. Christianis praeter paucos forsan historicos non fuisse, quibus erudirentur, libros quam epistolas, tutoque ex tota canonis N. T. historia colligi potest, epistolas, Paulinas potissimum, primum fuisse libellorum adhortationis et institutionis causa scriptorum genus, idque Christianis prorsus proprium. Igitur cum Johannes primus [1]) vatum hebraeorum morem visionibus scriptis coaevos erudiendi et consolandi ad Christianos traduxit, ipsum quod Christianis consuetum erat scribendi

1) nam 4 librum Esrae paullo serius scriptum puto, v. ad §. 7.

genus epistolicum cum prophetico antiquo conjunxit. Accedit quod adhortationibus in hoc libro scriptis peregrinis potius Christianis, Asiae imprimis minoris, quam iis quos ipse praesens edocuit, consulere voluisse videtur. Ut ergo Jeremias olim epistolam propheticam ad exules miserat 29, 1-23., ut postea Barucho et Jeremiae (Baruch c. 6.) similes epistolae a serioribus suppositae sunt, ita Johannes epistolae formam prophetiae suae induit, quanquam nullus antea, quantum scimus, propheta visiones epistolae forma usus conscripsit.

§. 3.

De libri partibus earumque nexu artificioso.

Argumentum libri quam mirifica et plane singulari arte scriptor exsecutus sit, supra jam innuimus; restat id hic fusius demonstrandum.

Constat liber quatuor partibus, inscriptione et introitu 1, 1-8; visione breviore cum septem epistolis 1, 9-3, 22; longa visionum connexarum serie 4, 1-22, 5. et conclusione 22, 6-21. Quae quidem partes intime inter se nexae sunt, ut nullam omitti potuisse dicas. Et visio quidem brevior 1, 9-3, 22, in qua Messias in terra Johanni comparet, hoc solo consilio praemissa est, ut partim ad sequentem longiorem et potiorem quasi praeparetur vates (1, 19), partim ad septem ecclesias datae epistolae monita pro isto tempore saluberrima continentes quasi ab ipso Messia jussae et dimissae gravius animos ferirent. Proinde sine mora inde a c. 4. altius exsurgit vatis phantasia in ipsum coelum sublati, sequiturque longa ista visionum unitarum series 4, 1-22, 5, in qua Johannes dei thronum, sacrum coetum, Messiam vero ut agnum mactatum (nisi ubi in terram redux ut victor equo vectus apparet 14, 14.

19, 11 sqq., quo in situ agni imaginem indecoram futuram fuisse facile apparet), et innumeras angelorum catervas conspicit. Cumque ab initio statim 1, 1. visio haec longa non indigitetur tantum, sed angelus etiam omnia Johanni monstrans sic memoretur, ut mentio ejus 4, 1 subintelligenda sit, omnes libri partes arcte cohaerere nemo negabit. Quaeritur autem, quomodo rerum futurarum, quae potiorem libri partem 4, 1-22, 5 constituunt, descriptionem partitus sit vates; quae res difficilioris est indaginis.

Consilium vatis erat, omnia et piis fidelibusque Christi asseclis speranda, et impiis, tyrannis potissimum metuenda uno ordine dilucido et pulchro describere. Quas rerum futurarum imagines ex notionibus aevi sui hausit, prout partim in Christi sermonibus (haud tamen in Johannis evangelio) Matth. 24. 25. leguntur, partim mox post Christi obitum in orbe christiano formatae erant; omnium vero fons in Judaeorum tum temporis exspectationibus puriori velamine ad Christum translatis quaerendus est. Novi prorsus et prius inauditi nihil [1]) finxit Johannes, in eo tantum elaborans, ut exspectationes aevi illius puriores ordine certo compositas et coloribus vividissimis depictas in Christianorum oppressorum solamen pulchre describeret.

Quo igitur ordine in futuris rebus describendis in genus omnino procedendum sit, Johannes ex hoc fonte intellexit. Itaque cum communis illorum temporum opinio et spes haec esset, Christum post multas demum calamitates exantlatas inter maxima et infanda prorsus suis perpetienda pericula et postquam impii plurimis diris infortuniis et ostentis territi admonitique sint, vindicem

1) hoc ex fontibus jam hucusque cognitis certum; quot autem aetatis illius monumenta periere?

in terram rediturum et dein judicio de piis malisque habito impiisque remotis regnum coeleste inchoaturum esse (Matth. 24. 25), Johannes etiam primum calamitates Christi reditum praecedentes, dein ipsum reditum tyrannorumque poenam, judicium denique et regnum coeleste describit. Admiscuit his quae tum scenam ornant et variant, tum consilio adhortandi et solandi quod secutus est, optime conveniunt, ut martyrum jam ante Christum reducem sortem faustam, preces sanctorum in coelo pro Christianorum piorum salute et vindicta ab impiis eorum hostibus sumenda, coelicolarum de poenis dei justis et Christiana re victrice gaudia etc.

Quanquam vero Johannes et argumentum fere totum et prima ordinis visionum sequendi indicia ex temporum illorum opinionibus hausit, admiranda tamen est ars insignis qua in exornando ordine hoc usus est. Primum graphice erat demonstrandum, meliora tempora paullatim demum exspectanda esse, postquam calamitatum multitudo praecesserit; itaque morae nectuntur et adventus Christi differtur; quoque diutius summa haec advenientis Christi visio protrahitur, eo magis lectorum attentio erigitur; simulque lectores monentur, quanquam proxime instet poenas ab impiis exigendi et pios servandi tempus [1]), tamen patienter iis exspectandum esse, donec omnia paullatim (quod forsan paucis annis interjectis fieri posse auctor cogitavit) ad adventum usque Christi completa forent. Deinde poenas ab impiis exigendi officium non soli Christo injungitur; ut potius paullatim omnes impios eversum et mala quaecunque sublatum iri monstraretur, Christus in fine demum ut atrocissimos qui supersunt hostes debellet unoque, ut decet, ictu et nutu quaevis mala reliqua tollat, adveniens describitur; praecedunt vero eum angeli ministri qui

1) cf. infra ad verba ἐν τάχει 1, 1.

jussu ejus impiorum eversionem incipiunt. Denique rerum futurarum periodos et eventus ad certos numeros revocat vates; cum non solum poetis certo numero, ubi nihil definiri potest, uti liceat, sed divini etiam, quod quomodo manifestetur depingit vates, decreti et divinae omnia haec moderantis potentiae majestas requirere videatur, ut omnia ordine bene supputato et mirabili procedant. Numeros autem hos sacros et quasi divinos, ad quos omnia revocat, septenarium et ternarium proponit auctor, Kabbalistarum sequens axiomata, quorum et alibi fidelis est assecla. Vides hic quibus instructus rationibus argumentum dispertiendum aggredi potuerit vates; restat ut quomodo partes constituerit, enucleatius dicamus.

1. Tres partes constituit propheta. Prima c. 4-7. variis signis innuitur, prope instare diem vindictae seu adventus Christi; altera 8, 1-11, 14 ipsa jam vindicta incipit et crescit, omnibus simul ad ultimum vindictae tempus praeparandis; tertia 11, 15-22, 5 vindicta perficitur, et omnibus impiis malisque tum hominibus tum rebus remotis pii in regno coelesti virtutum pristinarum praemiis fruuntur aeternis. Quae partes tres quam pulchre sibi respondeant nexuque junctae sint apto, per se apparet.

2. Cuivis partium harum trium numerus septenarius implicitus est arte insigni. Septem enim res, quae singulae vindictam primum appropinquare, dein jamjam incipere et augeri, denique perfici significant, in quaque parte repetuntur, ita tamen, ut ultima harum in parte prima et secunda initium simul sequentis partis contineat, et quasi ex ultimo septenarii membro, completo numero sacro, nova septem similium eventuum series prodeat; simulque id factum est, quo arctius cohaererent tres ipsae partes summae. Pos-

sit ergo etiam dici, argumentum libri potissimum in ter-septem visionibus compleri, quasi numero omnium sanctissimo uti voluerit vates. Septemque his vindictae divinae exsequendae signis ter repetitis apta simul nomina circumspexit auctor. Cum futuras res omnes libro divino a se conspecto contineri fingeret auctor, primum septem sigilla libri hujus recluduntur (v. ad 5, 1.); apparet igitur in septimo sigillo omnes quotquot supersunt res futuras latere. Ex hoc vero nova se pandit in secunda parte septem signorum series. In qua cum initium vindictae et dirae calamitates ultimum tempus et Christi ipsius adventum praecedentes describendae essent, septem tubae ab angelis cani eoque ipso calamitates effici dicuntur 8, 1-11, 15. Ut enim veteres Hebraei tubae clangore signum adventantis exercitus dare solebant Jud. 7, 16 sqq. Jes. 27, 13. ita Messiae etiam mox adventuro praecedere cogitabant unum pluresve angelos tuba canentes (Matth. 24, 31. σάλπιγξ θεοῦ 1 Thess. 4, 16. σάλπιγξ ἐσχάτη 1 Cor. 15, 52. cf. Eisenmeng. Judaism. det. T. II. p. 713.), qua in opinione hoc solum novasse videtur vates, quod septem tubas inducit. Septima cum tuba adest jam ultimus vindictae dies; igitur septem ultimis plagis a septem angelis vini instar fervidi e patina effundendis (v. ad 15, 1-6.) finitur mundi perversi poena (c. 15); adestque post ter-septem vindictae specimina ipse Messias rex tyrannos qui supersunt reges ceterosque impios uno nutu conterens regnumque inchoans coeleste 19, 1 sqq.

3. Intra haec tamen artificiosissimae compositionis vestigia non substitit poetae ingenium; uberius omnia exornaturus et imprimis ne simplex septenarii numeri repetitio fastidium crearet cauturus haec praeterea addidit:

1) Ordo hic partis cujusque septenarius, ubi inchoatus fuerit, interrumpi nequit; sed possunt ei plura in

quaque parte praeponi vel postponi, non gratae tantum variationis causa, sed etiam ut rerum monstrandarum ambitus bene praeparetur totusque aspectui pateat. a) Praeponuntur varia quae in coelo, ubi septem sigilla, tubae et patinae praeparantur, omnia fieri cogites. Sigillis et toti operi splendida praemittitur theatri divini et libri res futuras continentis descriptio c. 4. 5. Tubis septem vindictae initium nunciantibus praeponitur ut irae divinae signum arae in coelo fumantis imago 8, 3-5. Tertiam partem Christi victoriam describentem similiter coelicolarum laudes praecedunt 11, 15-19. et ante ipsas septem patinas iram dei plenissimis haustibus effundentes fortior etiam fumi iratum deum cingentis imago depingitur 15, 5-8. Satisque notabile, in cujusque partis initio tonitruum et fulgurum ut dei irae signi mentionem injici 4, 5. 8, 5. 11, 19. quod repetitur 16, 18. b) Plura etiam septenariis numeris postponuntur, quasi scenis quibusdam intermediis quaedam tum ad ipsius actionis progressum tum ad historiae futurae partes quasdam minoris momenti necessaria inserantur. Et in prioribus quidem duabus libri partibus, quia septimum sigillum et septima tuba intime secuturae parti annexa sunt, inserta haec post sextum numerum leguntur 7, 1-17. 10, 1-11, 13; in tertia autem libri parte tot tantaque supererant diligentius describenda, ut ordo ejus paullo alius ineundus esset, servato tamen eodem fictionis progressu.

2) Quantopere auctor numeros illos sanctos adamet, nova monstrat numeri septenarii partitio. Nam non promiscue septem res enumerat, sed consulto a prioribus quatuor signis unam tantum imaginem complentibus tres posteriores numeros secernit; quod in singulis infra ad 6, 1 sqq. 8, 8 sqq. 16, 1 sqq. monstrabitur.

3) Denique totus actionis progressus satis est notatu dignus. Nam tum singulae visiones (si forte exci-

pias c. 18) satis celeriter ad exitum properantes devolvuntur, tum transitus etiam faciles et apti sunt ut plurimum (quae insignis est laus hujus operis, quia in similibus operibus, ut Henochi libro, externae formae parum ratio habetur justa); quoque fortius lectoris attentio detineatur, priores ubique visiones breviores sunt et sequentes in longius protrahuntur. Ita quatuor priores in numero septenario 6, 1-8. 8, 8-13. 16, 1-9 brevissimae sunt; et tertia libri pars ambitu et rerum narrandarum copia duas priores longe excedit. Omnino magna arte depingitur, quomodo paullatim poenae graviores ingruant, crescente impiorum contumacia et dei ira justa c. 9. 15, 3. 4. 16, 5-7. 19, 2; quomodo deinde impii ad ultimum usque removeantur crescatque fortunae piorum futurae gradus et certitudo.

4. His praemissis jam demonstrandum esset, quomodo in singulis actio procedat et quam apte in tot quos sibi ipse posuit vates, fictionis limitibus omnia sibi respondeant. Sed haec infra in singulis visionibus melius monstrantur simul et probantur; hic breve tantum argumenti distributi schema praemittere juvat:

Introitus c. 4. 5. Demonstratur coelum cum coelicolis et libro res futuras continente c. 4. 5.

I. Pars prima c. 6. 7. vindicta prope instans innuitur: 1. quatuor priora sigilla calamitates secuturas innuunt 6, 1-8. 2. Quintum martyres vindictam expetentes exhibet, qui tamen ut per breve porro tempus exspectent monentur 6, 9-11; sextum horrendis ostentis futurarum calamitatum praenunciis terrorem incutit hominibus impiis 6, 12-17. 3. Inseruntur duae visiones, apte tempus, quod inter sextum et ultimum sigillum elabi fas est, explentes, simulque notiones in sequentibus necessarias inserentes: 1) pii a futuris in terra calamitatibus vindictae divinae signis eximuntur

ibi adamaverit, ubi expressis verbis non significavit. Tertia visionum pars longissima in singulas similes sectiones divisa est; priusquam a deo vel Messia in christianorum favorem poena impiis irrogatur, semper aut laudes dei in coelo canuntur aut justae irae divinae signa prodeunt; ter tonitru dei irati intonat (4, 5) 8, 5. 11, 19. 16, 18; ter fumus ascendit ad iram dei provocandam 5, 8, 8, 5. 15, 17; postquam ultimus vindictae dies apparuit, ter coelicolae deum celebrant 11, 17. 15, 3. 19, 1. — Ceterum in ipso visionum ambitu cognoscendo attentus lector non facile erret. Nam vates novam visionem, ubi non per se apertum erat, phrasibus *καὶ εἶδον, μετὰ ταῦτα, σημεῖον ὤφθη* tam sedulo ipse distinxit, ut cordatus nemo caecutire possit.

§. 4.

Expenduntur variae de argumento et integritate libri opiniones.

Cum omnium prophetarum, qui imaginibus cogitata eloqui voluere, interpretatio difficilis sit, tum imprimis eorum est, quibus quos hostes innuant, tecte tantum significare placuit. Nam in his duplex est interpretationis officium et onus; alterum, quo sensus verborum simplex enucleatur, alterum quo quid sub imagine et sedulo nonnunquam obscure dictis lateat, conjiciendo, divinando et rationes subtiliter supputando colligitur. Igitur ut de Danielis libri sensu ne iis quidem omnibus convenit interpretibus qui solum historicum sensum (idque summo jure) quaerendum esse censent, sic de Apocalypseos etiam sensu summo et visionum nexu plurima lis est; quanquam diligenter omnia exploranti et ponderanti unus tantum sensus ut verus constare poterit.

dat aut ex collatis omnibus colligere lectorem jubet, certis constituimus.

Omnia fere in sensu recte constituendo dependent ab **hostibus impiis**, quos tecte innuit auctor, ex indiciis tamen, quae admiscuit, sat multis et perspicuis bene cognoscendis. Suntque de his duo interpretandi genera.

I. Credunt multi, auctorem non de sui temporis hostibus loqui, sed de **futuris** vel post immensum annorum intervallum. Quae tamen opinio ex falsa et nimis anxia vaticiniorum notione orta, nil habet omnino quo se tueatur. Nam ne dicam, si quid utile scribere voluerint auctores sacri, haud dubie tum omnes tum vates potissimum in sui temporis commodum, qualia coaevi ipsi bene perspicerent, scribere debuisse, omnium, ad quorum genus Apocalypsis pertinet, operum similium ratio et consilium huic opinioni obstat. Nam in omnibus his tempora quibuscum **coaevis** conflictandum erat, calamitosa et luctuosa ansam ad scribendum praebuere vatibus; coaevos gravi vexationum onere pressos, desperantes, fidem abnegantes consolantur; erigunt futuris virtutum et imprimis constantiae praemiis ostentandis; terrent poenis tum tyrannorum tum fidem deserentium futuris vividissime depingendis; quae futura sperant vel minantur, et ipsa ex opinionibus aevi illius dijudicanda, vota tantum et spem piam ex divinae, quae sibi in aeternum constabit, justitiae idea haustam continent; quae si de his operibus bene tenemus, intelligemus quidem, opera hujus generis paraenetica suis quorum usibus destinabantur temporibus utilissima, nostrae, in qua longe alia se pandit rerum facies, aetatis usibus ex parte tantum inservire posse, egregiis praesertim qnibus saepe abundant ad virtutem et constantiam inter malorum onera tuendam adhortationibus: at probum et pium auctorum consilium agnoscemus et judicium de operibus feremus justum. Utque Danielis, Henochi, Pseudoesrae aliorumque hujus indolis libri tyrannos vel impios sui temporis,

ibi adamaverit, ubi expressis verbis non significavit. Tertia visionum pars longissima in singulas similes sectiones divisa est; priusquam a deo vel Messia in christianorum favorem poena impiis irrogatur, semper aut laudes dei in coelo canuntur aut justae irae divinae signa prodeunt; ter tonitru dei irati intonat (4, 5) 8, 5. 11, 19. 16, 18; ter fumus ascendit ad iram dei provocandam 5, 8, 8, 5. 15, 17; postquam ultimus vindictae dies apparuit, ter coelicolae deum celebrant 11, 17. 15, 3. 19, 1. — Ceterum in ipso visionum ambitu cognoscendo attentus lector non facile erret. Nam vates novam visionem, ubi non per se apertum erat, phrasibus *καὶ εἶδον*, *μετὰ ταῦτα*, *σημεῖον ὤφθη* tam sedulo ipse distinxit, ut cordatus nemo caecutire possit.

§. 4.

Expenduntur variae de argumento et integritate libri opiniones.

Cum omnium prophetarum, qui imaginibus cogitata eloqui voluere, interpretatio difficilis sit, tum imprimis eorum est, quibus quos hostes innuant, tecte tantum significare placuit. Nam in his duplex est interpretationis officium et onus; alterum, quo sensus verborum simplex enucleatur, alterum quo quid sub imagine et sedulo nonnunquam obscure dictis lateat, conjiciendo, divinando et rationes subtiliter supputando colligitur. Igitur ut de Danielis libri sensu ne iis quidem omnibus convenit interpretibus qui solum historicum sensum (idque summo jure) quaerendum esse censent, sic de Apocalypseos etiam sensu summo et visionum nexu plurima lis est; quanquam diligenter omnia exploranti et ponderanti unus tantum sensus ut verus constare poterit.

dat aut ex collatis omnibus colligere lectorem jubet, certis constituimus.

Omnia fere in sensu recte constituendo dependent ab hostibus impiis, quos tecte innuit auctor, ex indiciis tamen, quae admiscuit, sat multis et perspicuis bene cognoscendis. Suntque de his duo interpretandi genera.

I. Credunt multi, auctorem non de sui temporis hostibus loqui, sed de futuris vel post immensum annorum intervallum. Quae tamen opinio ex falsa et nimis anxia vaticiniorum notione orta, nil habet omnino quo se tueatur. Nam ne dicam, si quid utile scribere voluerint auctores sacri, haud dubie tum omnes tum vates potissimum in sui temporis commodum, qualia coaevi ipsi bene perspicerent, scribere debuisse, omnium, ad quorum genus Apocalypsis pertinet, operum similium ratio et consilium huic opinioni obstat. Nam in omnibus his tempora quibuscum coaevis conflictandum erat, calamitosa et luctuosa ansam ad scribendum praebuere vatibus; coaevos gravi vexationum onere pressos, desperantes, fidem abnegantes consolantur; erigunt futuris virtutum et imprimis constantiae praemiis ostentandis; terrent poenis tum tyrannorum tum fidem deserentium futuris vividissime depingendis; quae futura sperant vel minantur, et ipsa ex opinionibus aevi illius dijudicanda, vota tantum et spem piam ex divinae, quae sibi in aeternum constabit, justitiae idea haustam continent; quae si de his operibus bene tenemus, intelligemus quidem, opera hujus generis paraenetica suis quorum usibus destinabantur temporibus utilissima, nostrae, in qua longe alia se pandit rerum facies, aetatis usibus ex parte tantum inservire posse, egregiis praesertim qnibus saepe abundant ad virtutem et constantiam inter malorum onera tuendam adhortationibus: at probum et pium auctorum consilium agnoscemus et judicium de operibus feremus justum. Utque Danielis, Henochi, Pseudoesrae aliorumque hujus indolis libri tyrannos vel impios sui temporis,

quibus poenas minantur, tecte quidem at prudentiori tum inter Judaeos vel Christianos lectori satis perspicue denotant, vindictae tempus prope instare solatii causa et ex justitiae divinae auguratione affirmant, futura piis speranda impiis metuenda eodem prorsus modo ad sua diversa tempora applicant: sic Apocalypsis haud dubie, ut in omnibus est his simillima, hostes impios auctoris tempore pios infestantes indigitat.

Et nostris quidem temporibus qui horum omnium oblitus auctorem hostes a suo tempore remotissimos insectatum esse sibi persuadeat, inter viros vere doctos et cordatos nullum inveni, nisi quod S. V. Steudel [1]) recentissime similem interpretationem proposuit. Putat is, opus hoc monstrare velle, quales fortunae casus per varias rerum vicissitudines immensas christiana religio expertura, et quomodo olim omnes adversarios suos superatura sit. Cui tamen de argumento libri sententiae plurima obstant. Nam ita interpretationem historicam seu eam qua auctor a primis lectoribus librum suum intelligi voluit, prorsus negligentes ad fictam quandam mysticam et allegoricam confugimus. Unde tandem constat, auctorem de Christianorum post plura saecula rebus loqui? Nonne impiorum omnium poenas et eversionem, piorum salutem inconcussam proxime instare idemtidem testatur? Negabimusne Christianos seculi primi plurimos cum Apostolis principibus reditum Christi proximum et regni melioris (milliarii secundum Apocalypsin c. 20) instaurationem exspectasse? Nonne igitur omnia usque ad milliarium hoc propere eventura speravit auctor? Nec minor in singulis difficultas. Nam

1) Ueber die richtige Auffassungsart der Apokalypse in b. Bengelii Archiv für die Theologie T. VIII. p. 285-332; in multis haud absimilis erat sententia Storrii n. Apologie der Offenb. p. 278 sqq.

omnes singulae notiones, quas immiscet auctor, historicae eum consummatissimas impiorum poenas proxime instantes et hostes non alios quam Romam et Neronem putasse monstrant. Ita calamitates piis tolerandas non nisi tres et dimidium annum duraturas saepius [1]) innuit; christianos ad vindictae usque tempus paullisper tantum patienter morentur adhortatur 6, 11. moxque tempore morae hujus, in qua christiani maximas calamitates perpessi cogitantur, brevi elapso vindictam de injusta christianorum vexatione jam incipere fingit 7, 9-17. 12, 12. Quae quid tandem aliud sibi volunt quam spem excitare in coaevorum animis certissimam, fore ut post paucorum annorum nunc perpetiendas calamitates vindicta in impios ingruat subita eamque statim sequatur regni coelestis felicitas? Capite 17. autem tam aperta continetur calamitatum ab imperatoribus Romanis, Nerone potissimum, per breve tantum tempus tolerandarum easque insecuturae Christianorum salutis descriptio, ut facile intelligas, quantum a mente vatis aberrent qui, quae hic proxime futura ominatur, per longum demum seculorum futurorum decursum factum iri et vel nobis futura speranda esse autumant.

II. Itaque procul dubio non falluntur qui auctorem sui temporis hostes impios intellexisse statuunt. Videndum tamen est, quales intelligendi sint.

1) cf. 11, 2. 3. 12, 6 (v. infra) 14. 13, 5. Tres et dimidius anni in symbolica seriorum vatum sermone breve temporis spatium innuunt, paucos annos, ita ut rem futuram in eodem seculo seu decennio fieri posse significetur cf. Dan. 7, 25. 12, 7. Contra V. Steudel p. 306 sqq. putat tres et dimidium annos e scriptoris mente plurima forsan saecula denotare putat. Sed hoc per se jam extra omnem est fidem et argumento, quo V. S. V. nititur, haud firmatur. Putat, tres et dimidium dies 11, 9. 11. similiter potius annos totidem signare, quia incolae totius terrae intra hoc tempus gavisi esse dicuntur. Quod aliter cogitandum esse infra monstrabitur.

1. Interpretes satis multi et sagaces vatem Judaeis poenas minatum esse putant [1]). Cui sententiae omnia libri indicia contradiunt. Nam 1) Hierosolyma per totum opus non evertenda et vituperanda, ut volunt, sed laudanda, servanda, favore divino digna sistuntur. Cum Christus e Danielis libro tum demum meliora tempora cum Messiae adventu speranda dixisset, cum inter alias calamitates Hierosolyma a gentilibus capta [2]) et profanata sint Matth. 24, 15, auctor noster urbem sanctam ante Christi adventum praedicit quidem a gentilibus captum et profanatum iri 11, 1. 2; at simul sperat post breve tempus incolas ejus singulari divinae potentiae documento permotos ad verum dei cultum seu ad Christianam religionem conversum iri 11, 13, ita ut ultimo calamitatum gravissimarum tempore salva maneat urbs sancta utque Messias redux post hostes profligatos ibi regnum coeleste ordiri queat 20, 9. Tantum igitur abest, ut Hierosolyma poetae invisa sit, ut eam mox ad Christi sacra transgressam et nunquam nisi in rerum omnium fine evertendam omnium urbium caput constituat summum [3]). 2) Quae contra urbs omnium maxime

1) ut Harenberg Erklärung der Offenb. Joh. 1759. imprimis Herder Maranatha 1779. et Hartwig Apologie der Apokalypse T. II. p. 16 sqq. Praeiverat Wetstein prol. ad Apoc.

2) βδέλυγμα ἐρημώσεως Matth. 24, 15 si loca Danielis 9, 27. 11, 31. 12, 11, unde verba hausta sunt, comparamus, non tam Hierosolyma prorsus eversum et dirutum iri significat, quam urbem a gentilibus captum et templum devastatum iri. Omnino, si verum indagamus, Christus nunquam de urbe, sed de templo diruendo locutus est.

3) neque Judaei unquam in hoc libro ut poenis diris digni describuntur; quamquam enim in epistolis praemissis Judaei Christianos vexantes carpuntur 2, 9. 3, 9. tamen nullibi Judaei tantum a Messia reduce puniendi dicuntur; imo vates, ipse e Judaeis ad Christi sacra transgressus et gentis suae amore et misericordia ductus pia, eos ad Messiae doctrinam se con-

impia et impura revera, a vate diruenda et qui tyranni et reges a Messia reduce debellandi finguntur c. 16-19., haud dubie Roma et Caesares intelligendi sunt; certe haec capita invito ipso scriptore de Hierosolymis et Pontificibus judaicis explicantur. Unicum pro tuenda hac sententia argumentum inde peti possit, quod auctor Romae excidium imaginibus quibusdam non judaicis tantum sed a Palaestinae etiam situ desumtis delineat 6, 15. 14, 20. 16, 16. At reputemus non potuisse aliter scriptorem loqui, qui cum Romae et Italiae situm nunquam oculis lustrasset Palaestinam optime noverat et Christianis Palaestinae gnaris se scribere putat.

2. Praestantior hac igitur est eorum sententia, qui vatem Hierosolymae et Romae excidium canere voluisse credunt, sive urbes hae symbola tantum sint totius Judaismi et paganismi, ut auctor tantum religionem christianam omnibus adversariis superatis olim triumphaturam describat, sive poeta ipse eum Messiae reditum sibi cogitaverit, de quo ceteri Apostoli loquuntur. Sic enim saltem aperta Romae significatio c. 13-19 agnoscitur. At si rationes expendimus, quibus c. 6-11, 19 vel 8-12 de Hierosolyma, c. 13-19 de Roma explicantur, plura tamen huic sententiae obstare videntur. 1) Quae supra contra priorem sententiam monitae sunt difficultates, hac quoque ex parte non tolluntur. Nam Hierosolymae eversio et Judaeorum calamitas c. 11. non describitur (v. infra); et praeter alia cogitari omnino non potest, quomodo si Hierosolyma c. 11. eversa describeretur, infra 20, 9 in terra iterum comparere et ut sedes sanctorum celebrari possit. Tantumque abest, c. 8-11 poeta aut de Judaeis solis aut de Judaeis cum aliis populis puniendis loquatur, ut paganorum tan-

versuros esse et ita servari posse in visionibus aeque ac in epistolis 3, 9. auguratur.

tum scelera vituperentur 9, 20. 21; plagae 8, 6-9, 21 descriptae totam terram, mare etc. (ergo saltem non Judaeam solam) devastaturae fingantur, et Romani non Judaeam, sed Parthi equites Romanos infestaturi producantur 9, 13-21. Igitur, si excipias c. 11, 1-13 quod de Hierosolymis profanandis, sed deinde ad christianam religionem convertendis et servandis agit, non solum nulla indicia Judaeos distinguunt, sed iidem prorsus hostes hic puniri incipiunt, quorum poena ultima c. 11, 15-19, 21 describitur. 2) Sed concedamus, imagines c. 8-11 ad Judaeam transferri posse, at tota operis indoles et partium distributio turbaretur et artificium in omnibus visionibus contexendis, quale supra exposuimus, conspicuum periret. Nam omnia ab initio inde c. 6 non ad duas (quae nunquam nominantur) sed ad unam urbem destruendam et ad solos Romanos tyrannos superbos puniendos praeparantur. Ne dicam, poetam nunquam de hostibus diversi generis loqui et nusquam Romam Hierosolymae evertendae aut adjungere aut opponere, per totum visionum nexum Roma superba describitur; et initio statim martyrum multitudo ingens haud dubie non a Judaeis (quos tantam copiam Christianorum occidisse nemo affirmet) sed a gentilibus occisi proponuntur 6, 11. 7, 10-17. cll. 12, 17. 13, 7. Plagis septem c. 8. 9. praeparari jam ultimas iisdem hostibus infligendas c. 15. 16., non tantum totus actionis progressus et visionum nexus postulat, sed ipsa etiam singula capitum illorum verba. Ita plagae quatuor 8, 7-13. leviores tertiam tantum i. e. satis magnam terrae partem (cf. 9, 18), at his respondentes quatuor ultimae 16, 1-9 totam terram infestant. De ceteris infra sigillatim dicetur.

3. Redimus igitur ad id unde §. 1. egressi sumus, scriptorem gentilium tantum et imprimis Romae

Neronisque excidium describere [1]). Hoc solum argumentum non tantum visionum unitas, artificiosus nexus et progressus haud interruptus postulat, sed temporibus etiam quibus opus hoc auctor scripsit, egregie convenit. Accedit quod auctor ubique hebraea omnia plurimi faciens et totus inter Judaeos vivens, vix in Judaeos tantum odium efflare potuerit. Certe tale de Hierosolyma evertenda argumentum auctori epist. ad Hebr. melius conveniret quam huic auctori.

Operis hujus partes singulas intime esse junctas supra §. 2. 3. fusius est demonstratum. Fuere quidem recentioribus temporibus qui id negarent diversa ratione; at quaecunque ad infringendam operis unitatem prolata sunt, parum probare videntur.

1. Grotius comm. ad Apoc. 1, 9..15, 1. sequente Hammondo proleg. ad Apoc. p. 435. c. 1-14. Claudii tempore, c. 15-22 Vespasiano post Hierosolyma eversa regnante scripta putat, argumentis, ut facile apparet, firmis destitutus.

2. Ulterius progressus Vogel in septem programm. de Apocalypsi Erlang. 1811-1816 [2]) non tantum Johannem tum Apostolum tum Presbyterum (cf. §. 8) librum scripsisse retur, sed etiam librum e quatuor diversi et temporis et ingenii partibus constare, ita ut 1) Apostolus c. 4-11, 19 de Hierosolymae excidio ante Neronis persecutionem i. e. ante a. 64; 2) Presbyter

1) ceteri impii (i. e. omnes praeter christianos pios; Judaei enim ante Messiae adventum conversi sunt 11, 13) deinceps simul cum his puniuntur 20, 1-15.

2) ipse non legi; excerpta luculenta exhibent Bertholdt Einleitung T. IV. p. 1902 sqq. qui ipse ab hac opinione non alienus est; Bleek in theologische Zeitschrift T. II. p. 298 sqq. et Heinrichs. comm. T. II. p. 337 sqq.

c. 12-22, 20 de interitu ethnicismi imperante Galba a. 68; 3) Apostolus c. 1, 9-3, 21 post annum 68 scripserit et denique 4) Presbyter iterum partes has omnes junctas post annum 68 ediderit adjecto prooemio 1, 1-8, fine 22, 21 et ultima parte versus 11, 19. Quae multiplex libri scriptura et editio meo quidem sensu per se jam satis improbabilis nil habet qui se tueatur. Argumenta e linguae, imaginum [1]), temporum diversitate desumta quam sint infirma, primus docet aspectus; potius si quis antiquitatis liber linguae idiomate, imaginum constantia, argumenti progressu unum tantum auctorem uno tempore ita scribere potuisse monstrat, tum maxime Apocalypsis (cf. §. 1-3. 5. 6.); et cur quaeso pulchrum qui in toto libro cernitur ordinem et admirabilem visionum nexum temere turbemus? Imo demonstrari potest, priorem partem c. 4-11 solam scribi non potuisse. Nam in hac praeparatur tantum ad majora insecutura et nemo non plurima et terribilia maxime in fine c. 11 exspectabit descriptum iri: initium autem 4, 1 rursus intelligi nequit, nisi 1, 1-20 praecesserit; et quo tandem modo scriptor versum 11, 7 per se obscurissimum aut mente versare aut in chartas conjicere poterat, nisi jam tum mox insecutura c. 13-19 scribere accinctus fuisset?

3. Simpliciori forma haec hypothesis proposita est a cl. Bleek [2]) sequente de Wette Einleitung p. 351. Putat is Apocalypsin ab uno quidem scriptam esse auctore, sed priorem partem 1-11 cum posteriori 12-22

1) Est potius ubivis similitudo mira, ut λέγει τὸ πνεῦμα c. 2. 3. cll. 14, 13; ἥξουσι καὶ προςκυνήσουσιν ἐνώπιόν σου 3, 9 cll. 15, 4. 3, 18 cll. 16, 15. 6, 14 cll. 16, 20. 5, 14 cll. 12, 16. 19, 4 etc. cf. §. 6.

2) v. commentationem alioquin laudandam, quacum mihi postquam sententiam de Apocalypsi formaveram, saepe convenire laetus intellexi, in theolog. Zeitschrift von Schleiermacher, de Wette und Lücke. T. II. p. 279 sqq.

non conspirantem serius adjectam esse, rescisso fortasse prioris brevioris clausula. Sed prior pars ea etiam qua superest forma sine altera cogitari nequit; non urgeo hic frequentes in epistolis c. 2. 3. ad c. 20-22 allusiones, quam difficultatem ita tollere cogitur v. d., ut clausulam prioris partis post c. 11 ab ipso auctore serius abscissam esse fateatur (qua hypothesi satis mira alteri succurrendum est): at, puto, versus 11, 7 capiti toti intime implicitus, imo totum hoc caput scribi non poterat nisi auctor jam c. 13-19 scribere animum induxisset; similiter arcte cohaeret visio 7, 1-4 cum 14, 1-5 totaque parte posteriori. Et quis non videat, totam libri indolem, ordinem rerum enarrandarum et progressum, partium aequalium distributionem (§. 1-3) huic sententiae prorsus obstare? integri autem qualem habemus libri partes optime cohaerere? Difficultates motae duae sunt: altera, quod c. 11. et 12 non cohaereant, altera quod prior pars c. 1-11 ante Hierosolymae eversionem, posterior c. 12-22 sub Vespasiani regni finem scripta sit. Quam utramque externa potius specie quam revera reperiri, infra monstrabitur (§. 7 et not. ad 11, 15. 12, 1.)

§. 5.

De fontibus materiae et dictionis.

Quo melius de origine, auctore, dignitate etiam libri constet, haud negligenda est de fontibus ejus quaestio. Fontes autem non libros tantum quibus uti potuerit auctor, scriptos dico, sed totum scribendi praesidiorum ambitum, quo instructus librum composuit.

1. Materiam quam praecipuam in libro hoc elaboravit, reditum Christi vindicis dico et futuram piorum felicitatem, totam ex temporum illorum, qualem plu-

rimi saltem Christiani sibi informaverant, opinione hausit. Quae quidem quomodo enasci potuerit si porro quaerimus, haud dubie non novam dicemus et prius inauditam, sed ex ea qualis tum imprimis temporis Judaeos exercuit, munerum Messiae exspectatione ortam et ad Christum translatam. Tantaque inter Judaeorum de Messia notiones post Danielis librum ad christianismi usque primordia formatas et Christianorum primi seculi de Christo redeunte spem intercedit necessitudo et similitudo [1]), ut Christiani meliores (nam de deteriorum opinionum fautoribus ut Cerintho non loquimur) non nisi in judaicis notionibus ad christianae religionis genium sapienter adaptandis et a nimiis terrestris olim felicitatis imaginibus purgandis bene meriti esse dicendi sint. Et si excipias de Messiae regno milliario ante mundi novi ortum instituendo opinionem Apoc. c. 20. quam ut in reliquis saltem N. T. libris non legimus, ita inter Christianos auctori nostro aequales haud paucos viguisse satis jam exinde patet, quod Apocalypsis eam non ut novam urguet et commendat, sed ut omnibus cognitam brevissime describit; si porro poetae ornatum, uti fas est, a notionibus simplicibus ipsis secernas: nihil est in Apocalypsi de Messiae adventu futuraque tam piorum quam impiorum sorte dictum, cujus origines et velut prima stamina in reliquis N. T. scriptis, Pauli imprimis, Petri et priorum trium evangelistarum

1) de libri Sohar et seriorum Rabbinorum commentis ex parte absurdis non loquor; at si fontes tantum fide dignissimos, ut Danielis librum, Apocryphos V. T. Henochi librum et Talmudem sequimur, similitudo ista mira negari nequit. Scio quidem S. V. Süskind in comment. de hoc argumento peculiari inserta libro Magazin für christl. Dogmatik fasc. X. p. 96-143 eam negasse, assentientibus aliis, ut Schott de Christ. reditu p. 123; sed id e rationibus magis dogmaticis quam historicis negatum esse inter alia ex libro Henochi luculenter potest demonstrari.

(de Johannis tamen Apostoli sententia cf. §. 10) deprehendere non liceat.

2. Dictionis fontem non tantum ex operis indole (§. 1. 2.) prophetarum priorum scripta in V. T. asservata habuit, Danielis potissimum librum, sed videtur etiam vatum qui post hunc librum visionibus scriptis populum admonebant, libros legisse; certe inter Henochi librum et Apocalypsin tanta intercedit similitudo, ut auctorem vel hunc vel similes illo tempore prodeuntes (nunc, quod dolendum est, paene sine vestigiis deperditos) libros legisse appareat. Praeterea autem plurima ex Judaeorum non tam scriptis quam scholis hausit auctor eruditus. Ex plurimis enim indiciis satis apparet, eum arcana Pharisaeorum et Kabbalistarum disciplina haud leviter imbutum, imo in Palaestina, ipsisque probabiliter Hierosolymis e sacerdotum stirpe natum et educatum, et Israelitarum non tantum historiam antiquam sed linguam etiam tum temporis paucis e plebe perspectam optime fuisse edoctum. Licet haec in singulis optime demonstrare; sufficiant hic pauca quae sequuntur: 1) Quanquam auctor de Romanis loquitur, libri scripti tempore ipse procul dubio in Asia potius minori versans quam in Palaestina, tamen imagines locorum ex ipsa Palaestina ductae sunt quippe quam terram solam fere bene norat; secutusque est in hac re Hebraeorum omnium Palaestinensium, seriorum imprimis, morem omnia e sua terra metientium. Ita reges terrae in speluncis sese condere fingit 6, 15. 16 quasi omnes terrae Palaestinae instar confragosae speluncis quibus se abdere liceat scaterent; Italiae vel aliarum terrarum spatium ex Palaestinae finibus metitur 14, 20 et pugnae campum, quo hostes peregrini vincuntur, ex antiqua Israelitarum historia Harmageddon vocat 16, 16. 2) Ad judaicae, quae serius Kabbalistarum nominatur, scholae doctrinam tam prope accedit auctor, ut in

ceteris N. T. scriptis frustra similia quaeras. Quaecunque enim de angelis, daemonum spiritibus (v. ad 16, 14), Satana et similibus tradit, ex hoc opinionum judaicarum fonte hausta sunt; neque stylus tantum hic illic Kabbalistarum commenta spirat [1]), sed conspicitur etiam artis kabbalisticae Gematria dictae vestigium satis manifestum 13, 18 ubi v. not; imprimis futurae Hierosolymae coelestis descriptio c. 21–22, 5. 2, 17., quanquam auctor imagines judaicas exemtis omnibus quae ad voluptates terrestres pertinent egregie temperatas depinxit, adeo tamen Judaeorum kabbalistarum refert ingenium, ut facile sentias, quantum hic scholarum judaicarum commentis a teneris innutritus fuerit auctor, quantique ea fecerit. 3) Ipsa denique linguae indoles nativa scriptorem prodit vix annos paucos Palaestina in terras exteras egressum. Quanquam enim auctor haud dubie tum inter graece loquentes versans graeca [2]) lingua usus est, tamen non tantum graecus hic sermo hebraeum colorem tantum refert ut nullum comparari possit N. T. scriptum (§. 6), sed nonnunquam etiam quasi invitus ad hebraea rapitur verba immiscenda, quae ipsa statim graecis adjectis explicat v. ad 3, 14; 9, 11; 12, 10; si notiora sunt Graecis et in LXX jam usitata, aut sola ponit verba hebraea 19, 1. 3. 4. 6. aut linguae ubertate quadam et vigore ductus graecis postponit 1, 7. 22, 20; 12, 9. 20, 2. Cumque ex his omnibus satis pateat, auctorem hebraee doctum ipsa quae tum in scho-

1) cf. Rhenferdi comm. in Meuscheni N. T. ex Talmud. illustr. p. 1090. cf. infra ad 1, 4. 5. 4, 2. notata.

2) hebraea lingua forsan usum esse auctorem suspicatur Michaelis introd. in N. T. p. 1644; aramaea usum esse sumit ut concessum Bolten in vers. epistol. N. T. T. III. praef. p. 23. Utrumque satis inde refellitur, quod quomodo in versione graeca voces hebraeae et graecae idem prorsus significantes componi potuerint ex perpetuo scriptoris more, ut ὁ διάβολος καὶ ὁ σατανᾶς, nemo intelligeret.

lis usu erat, linguae V. T. interpretandae facultate instructum fuisse, non jam miramur, quod contra omnium N. T. scriptorum morem nunquam versionis LXX subsidio utitur [1]).

3. His vero fontibus, qui auctori erudito patebant, satis largis ita usus est, ut unus omnium scriptorum pulchritudines conjungeret, floresque ex diversi generis arboribus decerperet amoenissimos. Non solet, ut ceteri fere seriorum temporum vates et poetae, exempla antiqua anxie exprimere longis linguae languescentis et tardae ambagibus: imo ubique vel imitando felix prodit et altius assurgens ingenium, imaginum delectum et linguae cultum pro illis temporibus laudabilem, nexum imprimis visionum et libri partium pulchrum, artem denique ubique in fingendo et componendo insignem. Omnino scriptor, si non ad antiquorum ut Amosi et Jesaiae majestatem sublimem ubique assurgit, seriorum tamen omnium, ad quorum exempla se composuit, Ezechielis, Zachariae, Danielis, Henochi scriptis palmam praeripit.

§. 6.

De linguae indole.

De linguae hujus libri graecae indole et natura diversa sunt et acerba etiam criticorum judicia. Multi scriptorem maximae accusant scribendi negligentiae omnesque linguae leges ab eo temere spretas putant; alii

1) contrarium de c. 12-22 affirmat ex commentt. Vogelii Bertholdt introd. p. 1903. Sed nihil probatur ex argumentis ibi prolatis. Nam habet quidem Apocalypsis quaedam singula vocabula τοις LXX usitata, ut ὁ παντοκράτωρ pro צְבָאוֹת, σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου 15, 5. cll. Act. 7, 44 pro אֹהֶל מוֹעֵד ἀσχημοσύνη 16, 15 pro עֶרְוָה: sed talia tum temporis vocabula imprimis sacra ex assidua τῶν LXX lectione satis erant trita usu; nec tantum in posteriore Apocalypseos parte obvia sunt.

data opera Johannem volunt graecae linguae incurium fuisse, quo pressius hebraeorum vatum vestigia sequeretur. Qua in re quanquam facile concedi potest, Johannem e Judaeis progressum imprimis ex assidua, qualem liber monstrat, et recenti prophetarum hebraeorum lectione hebraeae magis quam graecae linguae genium tenuisse, tamen non sequitur exinde, eum graecae linguae leges omnes temere sprevisse vel calamo nusquam sapienter temperare potuisse; diligentius si quis in haec inquiret, scriptorem ut a graeca sermonis concinnitate maxime alienum, ita in iis ipsis quae in hanc peccat non temere et pro arbitrio aberrantem, in plurimis autem certas leges sequentem deprehendet. Juvat autem has scribendi leges penitius nosse, tum ut de variis lectionibus bene judicari queat, textusque Griesbachiano fiat emendatior, tum ut an Apocalypseos dictio eundem auctorem prae se ferat qui evangelium et epistolas scripsit, in aprico ponatur [1]).

Omnia fere in quibus auctor a dictione bene graeca aberrat, ex Hebraismo et Aramaeismo fluunt, in enunciationum magis structura, quam in vocum singularum forma conspicua. Cur igitur auctor et quantum dictionem graecam cum hebraeae simili commutarit, ex syntaxeos hebraeae indole explicandum est.

I. In verborum syntaxi haec potissimum notanda sunt. 1. Cum usus secundi modi, futurum Hebraeis saepe, Aramaeis semper significantis, de re saepius facta in V. T. saepissime obvius (cf. gr. nostram hebr. §. 278, 3. §. 289, 1) jam τοῖς LXX (cf. Num. 10, 17-25 et alia) male intellectus sit, non mirum, auctorem nostrum futuro graeco, quippe quae forma hebraeae saepius respondet, de re quae saepius repetitur aut praeterita 4, 9-11 aut praesenti

1) G. B. Wineri progr. de soloecismis qui in Apoc. inesse dicuntur. Erlang. 1825. legere non potui.

uti 2, 27 (ubi lectio συντριβήσεται haud dubie alteri συντρίβεται praestat). Quae in Apocalypsi rara frustra alibi in N. T. quaeras. — 2) Participium Hebraei ut praedicatum ponunt ad statum rei praesentis depingendum, imprimis in visionibus ubi vates imaginem oculis obversantem describunt (cf. gr. hebr. p. 535), et hinc in Apocalypsi satis frequenter pro tempore finito legitur, ubi visum repraesentatur, imprimis post ἰδού, ut 1, 16. 4, 1. 5. 8. 5, 6. 13. 6, 2. 5. 7, 9. 10. 9, 11. 10, 2. 14, 1. 14. 19, 12. 13. 21, 14. Lectio quidem in his saepius variat, librariis hebraismi ignaris evitandae barbarae dictionis causa praeteritum finitum substituentibus; sed vel Griesbachio contradicente participia ubique legenda esse facile patet. Ex hebraismo etiam 5, 6. participii praeteriti forma pro praesenti (quod glossa ἀποστελλόμενα habet) ponitur; nam Hebraeis participium omnium temporum est cf. gr. hebr. p. 538. — 3. Praesens praeter suetam significationem participio relativo Semitarum (v. gr. hebr. p. 534 sq.) respondens ponitur 1) satis frequenter in visionibus describendis, quas mox ut praesentes depingit mox quomodo res visae acciderint narrat, unde nonnunquam praesens in praeteritum abit 8, 11. 12, 2-4. 16, 21. 2) pro futuro relativo seu proxime instante, saepius ab initio, imprimis praemisso ἰδού ut ἰδοὺ ἔρχομαι en venturus sum 1, 7. 16, 15. 22, 7. 12. 2, 22. 24; oratio autem continuata in futurum tempus abit, ut ἰδοὺ ἔρχεται καὶ ὄψεται prorsus hebraeum הִנֵּה הֹלֵךְ וְרָאָה (cf. gr. hebr. p. 551.) 1, 7. 2, 5. 16. 22. 23. 3, 9. 17, 13. 14. 18, 11. 15.; rarius praesens futuris inseritur rem futuram quomodo ipse vates videat repraesentans 11, 9. 10. 17, 16. 21, 24; in quibus omnibus si lectio fluctuat, ad has leges restituenda est [1]). — Occurrit quidem nonnun-

1) praeterea saepissime λέγει de eo legitur qui sermonem facit ad Johannem 5, 5. 6, 16. 10, 11. 17, 15. 19, 9. 21, 5. 22, 9.

quam mira temporis futuri et praeteriti mixtura ut 20, 7-10. sed haec inde explicanda est, quod vates res praesertim remotissimi aevi modo ut futuras describit modo quasi ipse viderit depingit; qualis vaticinii et visionis junctio in omnibus hujus generis operibus elucet [1]).

II. In nominum syntaxi non minus multa notanda sunt. 1. Dualis usus ut in hebraicis nominibus satis rarus, in verbis totus deest (cf. gr. hebr. §. 179), ita in aramaica lingua vestigia formae habet fere nulla. Unde dualis vicem in tota Apocalypsi pluralis sustinet ut δυὸ πτέρυγες 12, 14. cf. 19, 20. 20, 14; quod autem in καιροὶ 12, 14. duo tempora i. e. anni chald. עִדָּנִין Dan. 7, 25 ne δυὸ quidem adjectum est, id ex paullo obscuriori quae in his temporum definitionibus (p. 9) affectatur, dictione explicandum. Omninoque in N. T. dualis deest. — 2. Cum Hebraeis casuum notatio graecae linguae sensu prorsus desit, multa hinc fluxere a graecismo satis aliena. Potiora haec sunt: 1) Genitivus semper fere nomini explicando postponitur, quantumvis id graecismo contrarium sit; explicandum id ex status constructi hebraici indole (cf. gr. hebr. §. 191. 299). Cumque Hebraei notiones substantivo attribuendas nominum potius genitivo quam adjectivis exprimant et hinc uni substantivo saepius plures genitivos subjungant (cf. gr. hebr. p. 572. 578), similis genitivorum plurium nexus in Apocalypsi frequens

10: nempe in personis loquentibus introducendis ita semper et Syri ܐܡܪ, ܐܡܪܝܢ et Ar. قال. De praesentibus 13, 12-16 et praeteritis 18, 17-19 continuatis v. infra ad h. l.

1) praeterea notandum, semel 12, 7 infinitivum ut verbum finitum legi τοῦ πολεμῆσαι pugnandum, i. e. pugnare debebant; cf. Tob. 5, 14. (14, 3); haustum id ex seriori hebraismo v. gr. hebr. p. 622.

est, ut τὸ ποτήριον τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς τοῦ θεοῦ poculum vini fervoris irae dei i. e. p. vinum dei irati fervidum continens 16, 19. 14, 8. 10. 19. 18, 3. 14. 19, 15. 21, 6. 22, 18. 19. Porro 2) Hebraeis genitivus, qualem status constructus offert, nunquam per se sine praevio nomine cogitari potest; unde α) genitivus in Apocalypsi rarissime verbo subjungitur [1]; imprimis notandum, ad partem personarum etiam exprimendam ἐκ inservire, ut ἐξ ὑμῶν vestrum nonnulli 2, 10. 3, 9. 11, 9. cf. gr. hebr. p. 600. β) unum suffixum [2]) ad duo nomina per copulam juncta referri nequit, v. c. pro αὐτοῦ οἱ υἱοὶ καὶ αἱ θυγατέρες dicendum est בָּנָיו וּבְנֹתָיו; similiter οἱ σύνδουλοι αὐτῶν καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶν 6, 11. 9, 21. 7, 14. 13, 16. γ) si plures genitivi per copulam juncti ab uno nomine vel praepositione pendent, Hebraeis nomen vel praepos. semper fere repetitur (cf. gr. hebr. §. 354, 1); idem in Apocalypsi monstrant multa, ut ἐκ τοῦ στόματος τοῦ δράκοντος καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ θηρίου καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ ψευδοπροφήτου 16, 13. 14, 1. 17, 6. 18, 2. 19, 18. 3, 5. 7, 9. 8, 12. unde intelligitur, praepositiones a multis ejectas 9, 18. 12, 5 recipiendas esse. 3) An genitivus absolutus occurrat, ex hac indole linguae Apocalypseos graecae dubium est; uno in loco 9, 9 potest etiam verti: cursus multorum equorum currentium in pugnam. Quae quidem omnia satis monstrant, externam tantum genitivi formam in Apocalypsi

1) igitur ubi Graecis simplex genit. sufficit, ἀπὸ vel ἐκ semper fere inseritur; ut εἷς ἐκ τῶν ἄνδρων 5, 5. 6, 1. 7, 13. 13, 3. 15, 7. 17, 1. 21, 9. quanquam librarii in his locis saepius ἐκ omiserunt. Graeca quidem constructio legitur 2, 17 δώσω αὐτῷ τοῦ μάννα; at putem a Griesb. male ante genitivum e textu ejecta esse verba φαγεῖν ἀπὸ, graecis sane librariis superflua visa.

2) ipsa haec pronom. perſ. frequentia hebraea est, ut ἔθηκε τὸν πόδα αὐτοῦ τὸν δεξιὸν 10, 2 ubi Graeci αὐτου omittunt.

esse graecam, revera autem eum ubique status const. hebr. usum imitari. — 3. Pro vocativo saepius quam apud prosae graecae scriptores, nominativus cum articulo ponitur, ut ὁ δεσπότης 6, 10. 15, 3. 16, 7; exclamationis signum ὦ prorsus deest; quod utrumque quomodo ex hebraismo fluxerit v. gr. hebr. p. 568. — 4. Accusativus Aramaeis paullo latius de tempore adhibetur quam Graecis; eodem modo οὐ μὴ γνῷς ποίαν ὥραν ἥξω nescies qua hora venturus sim 3, 3. cf. 11, 6. 18, 10 ubi id librarii varie mutare ausi sunt. — 5. Dativus in Apocalypsi Latinorum tantum dativo respondet; ubi vero Graecis de instrumento adhibetur, in hoc libro fere semper [1]) ἐν praefigitur (cf. בְּ gr. hebr. p. 606 sq.) ut ἀποκτείνειν ἐν ῥομφαίᾳ 6, 8. 8, 7. 9, 19. 11, 6. 12, 5. 14, 2. 7. 10. 15. 15, 1. 17, 16. 18, 2. 16. 23. 19, 2. 11. 20. 21. 3, 5. 4, 4.

III. Maxima autem coloris hebraici vestigia praepositionum et conjunctionum usus monstrat; quae tamen cum magnam partem in reliquis quoque N. T. libris deprehendantur, uberius persequi non lubet. Sufficiant haec: 1. ὡς, qua particula saepissime utitur auctor res quarum imagines tantum vidisse et audivisse sibi videtur narrans, nonnunquam ubi casui obliquo praepositum exspectasses, nominativo praefigitur, ut ἔχων πρόσωπον ὡς ἄνθρωπος 4, 7. 6, 1. 16, 13 (ubi librarii perperam mutarunt nominativum; contra cf. 2, 18. 9, 8); fit id ex hebraismo, in quo praepositio כְּ nomini praefixa enunciationem absolutam format, ut כְּאִישׁ ut homo, quasi homo esset. — 2. Praepositionum, quae diversis casibus jungi queunt, non firmas

1) paucos vidi contrarios locos ut βεβαμμένον αἵματι 19, 13. 17. 5, 12. 15, 2. 7, 2. nisi forte hic ἐν perperam ut superfluum a librariis omissum est; certe 14, 18. 17, 4 cll. 18, 16. ἐν contra edd. nostras restituendum ex codd.

ubique esse construendi leges, apparet v. c. ex ἐπί in eadem re modo cum genitivo modo cum accus. posito 12, 1. 3. 13, 1; scilicet עַל ut ceterae praepos. Hebraeis casibus non praefiguntur. — 3. Cum Hebraei verbis compositis prorsus careant, saepius in Apocalypsi verbum simplex ponitur aut solum aut sequente praepositione, ita ut sicubi lectio variat, simplex verbum semper praeferendum sit, ut ἔθηκε (alii ἐπέθηκε) ἐπ' ἐμέ 1, 17. 11, 11. 12, 10. 20, 4. 5 (ubi ἔζησαν pro ἀνέζησαν praestat). In ipsa verborum constructione si quando auctor magis etiam quam ceteri N. T. scriptores a graeco sermone aberrat, semper hebraismi vestigiis insistit, ut διδάσκειν 2, 14. cum dativo pers. cf. לִמֵּד לְ gr. hebr. p. 588. ἐκδικεῖν τὸ αἷμα ἐκ τινός vel ἐκ χειρός τινος ulcisci sanguinem ab aliquo 6, 10. 18, 20. 19, 2 נָקַם מִיַּד, דָּרַשׁ v. infra; cumque in his ad graecum genium adaptandis mirum quantum sibi indulserint librarii, putem v. c. 11, 11 εἰςῆλθεν ἐν αὐτοῖς (בָּא בְּ cf. gr. hebr. p. 605) cum codd. quibusdam legendum esse pro ἐπ' vel εἰς.

IV. In enunciationum integrarum natura ut multa sunt quae mira et absona videntur, ita nihil a ratione prorsus alienum.

1. Casus non posse temere confundi per se patet; est tamen hic duplex licentia, suis causis superstructus: 1) casum obliquum, qui continuandus videtur, saepius excipit nominativus; fit id tantum, si voces adjunctae praemisso articulo integrae enunciationis relativae significationem habent, ut nexus inter substantivum praemissum et praedicata adjecta remotior sit; imprimis participio sequente, ut τὸ ὄνομα τῆς πόλεως τοῦ θεοῦ μου, τῆς καινῆς ἱερουσαλήμ, ἡ καταβαίνουσα etc. quod sensus ratione habita est i. q. ἣ κατα-

βαίνει 3, 12. 8, 9. 9, 14. 14, 12. (ubi omisso secundo *ὧδε* verba *οἱ τηροῦντες* statim cum *τῶν ἁγίων* conjungenda sunt) 14. 2, 20 (ubi deinde participium in ipsum tempus finitum transit); rarius alia sequente longioris ambitus appositione: *τόν δράκοντα, ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος* 20, 2. 1, 5; ubique difficilis haec junctura a librariis ita mutata est, ut nonnunquam vix vestigia verae lectionis supersint. Cujus dictionis causa licet in hebraismo casus non distinguente quaerenda sit, tamen non omne inde pro arbitrio tollitur casuum discrimen. 2) Post nominativum sequitur nonnunquam accusativus, si praemisso *ἰδού* vel *εἶδον* ab initio posito rem quam viderit describit vates, ut etiam accusativus cogitari possit, ut *εἶδον καὶ ἰδοὺ ὄχλος-ἑστῶτες-περιβεβλημένους* 7, 9. 4, 2-4. 13, 1-3. 14, 14. cui lectionum difficultati vario modo librarii succurrere ausi sunt [1]).

2. Si enunciatio relativa annectitur, pronomini relativo postea satis frequenter pron. demonstr. subjungitur eodem in casu, ut *οἷς ἐδόθη αὐτοῖς* 7, 2. 9. 13, 12. 3, 8. 20, 8. et similiter *ὅπου ἔχει ἐκεῖ* ubi habet 12, 6. 14. Quae dictio quomodo oriri potuerit, v. gr. hebr. §. 353.

3. Enunciationum forma externa quantum sit hebraea, ex ipsa vocabulorum positione apparet. Ita verbum subjecto perpetuo fere praeponitur, participium tamen, si praedicatum est, subjecto subjungitur (gr. hebr. §. 348); in enunciationibus quam brevissimis ipsa per *καὶ* jungendi ratio vav conversivum (gr. hebr. §. 284 sqq.)

1) quod nonnunquam sine omni cum praecedentibus nexu insertum legitur *λέγων*, *λέγοντες* 4, 1. 5, 12. 11, 1. 14, 7. 19, 6 (ubi *λέγοντες* legendum) a librariis saepe mutatum respondet hebr. לֵאמֹר LXX *λέγων* v. c. Gen. 15, 1. et sermonis initium denotat.

imitatur, ut *δώσω αὐτοῖς καὶ προφητεύσουσιν* 11, 3. 20, 4. וּנְתַתִּים וְהִרְבֵּיתִי Ez. 37, 26. (et *ἵνα* pro *καὶ* 3, 9. 13, 12. 16); nomen, quod praecipuam orationis vim tenet, saepius sine omni nexu in nominativo ab initio ponitur, ut postea in casu apto pron. ejus demonstr. ponatur, vel si casu obliquo praemissum est, pronomine ejus demonstr. suetus verborum ordo restituitur (gr. hebr. §. 349.) ut *ὁ νικῶν - ποιήσω αὐτὸν* 3, 12. 21. 5. 2, 26. 6, 8; *τῷ νικῶντι - δώσω αὐτῷ* 2, 7. 17. 6, 4. 21, 6 (ibi enim *αὐτῷ* e codd. restituendum); participium in verbum finitum transit 2, 2. 9. 3, 7. 9. 20, 4. secundum easdem prorsus leges quae in hebraismo valent (gr. hebr. §. 360); verbo substantivo saepius subjectum et praedicatum non conjungitur, ut *οὗτοι οἱ ἀκολουθοῦντες* 14, 4. 15, 4. 5, 2. 13. 1, 4. 22, 8. 13. 9, 10. ubi, si lectio fluctuat, nunquam cum librariis *ἐστί* inserendum videtur.

V. Generis et numeri concinnitatem, si graecam linguam spectes, saepius violatam, si hebraeam, certe non temere violatam cernas. 1. Si, quod saepius fit, fem. et neutr. cum masc. construitur, semper sensus masc. et vivum quid intelligi patitur; notandum tamen licentiam hanc plerumque sic tantum inveniri, ut unum plurave vocabula interjecta sint, ut *ψυχαὶ* (homines) - *λέγοντες* 6, 9. 10. 14, 3 (contra 14, 1); *φωνὴν* (vociferans quis) - *λέγοντα* 9, 13. 14. 11, 15. ubi hae lectiones restituendae sunt; *ζῶα* (animantia viva) - *λέγοντες* 4, 8 cf. 2, 27. 3, 4. 5, 13. 17, 16. 19, 14. singularia collectiva saepius quam alias cum pl. veniunt, ut 16, 10. 19, 1. 8, 9; a sing. indefinito celer fit transitus ad plur. 14, 10. 11. De quibus omnibus cf. gr. hebr. §. 351, 2. — 2. Cum Hebraei omnino neutrum ignorent, saepissime neutr. pl. contra sermonem bene graecum cum pl. verbi componitur, ut *ὕδατα ἐπικράνθησαν* 8, 11. 11, 18. 15, 4. bis. 17, 12. 15. 18, 14 (ubi *ἀπώλοντο* cum codd. quibusdam legendum). 23. 19, 21. 20, 12.

21, 4. 24. (contra 8, 3. 9, 20. 14, 13. 18, 24. 19, 14. 21, 12). — 3. Vitiosum autem generis usum nusquam reperitur, nisi quod ληνός lacus, quia masc. et fem. esse potest, miro modo in eadem thesi cum utroque genere jungitur 14, 19. Unum mirari quis possit, quod ἶρις cum masc. jungitur 4, 3; sed cum 10, 1 bene ἡ ἶρις legatur, 4, 3 potius ita vertendum est: iris circa thronum, similis (est) thronus smaragdo, nisi in hoc semel lapsum esse scriptorem statuere placet.

VI. Occurrunt vel quaedam enunciationes, in quibus graeca cum hebraea dictione mire commixta est. Ita γέμον βδελυγμάτων καὶ τὰ ἀκάθαρτα plenum abominandis et impuris 17, 4. quia מָלֵא Hebraeis cum accus. jungitur (gr. hebr. p. 586); ἀκολουθεῖν μετά τινος 6, 8 quia Hebraeis sequi est הָלַךְ אַחַר.

VII. Sed omnibus his diligenter ponderatis patet jam, ipsam qua scriptor utitur dicendi licentiam suis limitibus esse circumscriptam et immerito eum neglectarum legum accusari. Quae ut paucis probem exemplis, temere sumunt interpretes, βασιλεία ἱερεῖς 1, 6. dictum esse pro β. ἱερέων; nunquam enim in tali nexu pro genitivo nominativus ponitur; et quod scriptum est 1, 4; ἀπὸ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, cujus asperae, ut videtur, dictionis mitigandae causa multi librarii inseruerunt τοῦ post ἀπό, non potest inde explicari, quod scriptor omnino praepositiones cum nominativo jungere soleat.

§. 7.

De tempore quo Apocalypsis scripta est.

I. Praestat hic antiquitatis testimoniis omissis ex ipsis statim, quae in libro inveniuntur, indiciis et vesti-

giis tempus quo scriptus sit, quam fieri potest diligentissime investigare. Fert enim omnium hujus generis operum ratio, ut tempora et tyranni quorum iniquitate pressi aequales vatis desperabant, tecte quidem et nominibus omissis, sed prudentiorum tamen aequalium cuique tam perspicuis designentur signis, ut lectores etiam remotissimi temporis, modo ne historiae temporum illorum vestigia prorsus deleta sint, tempus scripti operis satis certo assequi queant. Itaque ut Danielis, Henochi, Pseudoesrae libris temporum, quibus ortum debent eorumque calamitatum, quibus mox successura esse sperunt meliora, satis manifesta insunt signa, sic Apocalypseos etiam auctorem temporum, quae scribendo ansam ei praebuere, tyrannorum quibus poenas proxime instare justas monet, et calamitatum quibus christiani pressi erant, notas perspicuas dedisse, certo possumus conjicere. Nec haec fallit conjectura; adsunt enim satis certa aetatis libri signa haec:

1. Ut in libro Danielis et Henochi, quinam tyranni poenas mereantur gravissimas, paullatim demum dilucidius detegitur, sic Apocalypsis consulto tyrannis diu gravissima quaeque minatur, donec tandem magis perspicue, quinam sint, doceatur. Nam postquam c. 13. Romanos intelligendos Imperatores, Neronem potissimum, obscurius significatum erat, c. 17. demum notae tam Neronis ceterorumque Imperatorum quam Romae urbis afferuntur certissimae. Emicant hic mirae crudelitatis et vexationum, quas Christianos dicit a gentilibus passos esse, specimina satis multa, in Neronem omnia dici perspicue monstrantia; sed omnium manifestissima temporum illorum nota datur 17, 8-11. Dicuntur ibi Romae esse s e p t e m Imperatores, quorum post quinque priore sjam imperio motos sextus imperet; septimum per breve tantum tempus regnaturum unus ex quinque prioribus, qui idem octavo loco imperet, secuturus sistitur.

Quae quidem pro illo tempore satis perspicue dicta Neronem ut quintum (post Augustum, Tiberium, Caligulam et Claudium) et octavum innuunt. Constat enim, Neroni jam vivo a mathematicis praedictum fuisse, fore ut aliquando regno destitutus ex Oriente redux regnum recuperaret (Suet. Ner. c. 40). Quae quidem quomodo ab hariolis praedici potuerint, haec videtur esse causa. Messiae mox adventuri rumor tum temporis adeo Judaeos Palaestinenses ob ipsam temporum, qua premebantur, angustiam invaserat [1]), forsan et Christi mox reducis spem Christiani leviores tam late sparserant [2]), ut regis potentis e Palaestina prodituri rumorem Romam etiam venisse admodum sit probabile. Igitur cum Neronem non diu Romanos laturos esse prona esset conjectura, Caesarum vero familia, cujus ultima propago Nero erat, dignitate regia dignissima videretur, quid mirum, mathematicos tale oraculum edidisse [3])? Mortuo deinde Neroni non Romae tantum diu honor habitus est a multis magnus (Suet. Ner. 57), sed percrebuit etiam rumor, Neronem non vere caesum esse, quippe cujus caedi Suetonio c. 50 teste quatuor tantum affuerunt testes; pluresque per decennia aliquot exstitere in Oriente qui Neronem se simulantes adjuti sunt a plurimis (Suet. Ner. 57. Tac. hist. 2, 8. Dio Cas-

1) cf. Tacit. hist. 5, 13. 1, 10. Suet. Vesp. 4. (qui tamen, utpote Romani, falso hunc rumorem interpretantur) Joseph. bell. jud. 6, 5, 4. Josephus nec ubi hunc rumorem refert nec alibi unquam de Messiae spe loquitur, notante Bretschneider capp. theol. Jud. dogm. e. Jos. p. 36 sq., videturque consulto id omisisse, quominus superba, ut videri poterat, nationis suae de rege regum e Judaea olim prodituro sententia Romanorum bilem moveret; cf. Archaeol. 6, 10, 4. 11, 7.

2) hoc derivari possit ex notabili loco Tac. Ann. 15, 44. cum ep. Pauli ad Romanos collato.

3) probabile est ex ipsis Suet. verbis: spoponderant quidam dominationem Orientis, aliqui nominatum regnum Hierosolymitanum, plures omnis pristinae fortunae restitutionem.

sius hist. rom. T. II. p. 1056. ed. Reim.) antiquum Caesarum splendorem suspicientibus. Igitur bene Neronem, ut putabatur, vitae redditum Apocalypsis designat per bestiam cujus vulnus sanatum est 13, 3. Quod autem porro dicit, Neronem qui tum evanuerit (ἦν καὶ οὐκ ἔστιν 17, 8—11.), octavum fore Imperatorem, haud dubie eo spectat, quod eum septimum brevis regni Imperatorem felici Marte debellaturum et Orbis terrarum frena recuperaturum esse communis tum temporis erat regionum auctori nostro cognitarum opinio. Igitur si unus qui tum regnabat i. e. sextus Imperator procul dubio Galba erat, septimus Otho intelligendus esset; quem quod dicit auctor per breve tantum tempus mansurum esse regem, satis poterat ex temporum illorum quibus omnes fere provinciarum praefecti sibi infensi regnum affectabant, conditione concludere. Cumque jam ante Galbae obitum legiones provinciarum germanicarum obsequium denegarent novum Imperatorem postulantes (Tacit. hist. 1, 12.), quid mirum auctorem post Galbam septimum etiam mox venturum esse ex communi rumore putasse? Igitur septimi etsi nomen erat ignotum, at brevi ante Neronis reditum venturi certa erat exspectatio. Quodque porro adjicit scriptor, Neronem per Orientis reges regno restitutum iri atque cum his conjunctum Romam eversurum esse (16, 12—21. 17, 16. 17. ubi v. not.), non minus egregie huc quadrat. Nam Neronis mortui ob illos rumores non tantum in toto Oriente plurima erat fama, ita ut haud pauci ultimam hanc Caesarum propaginem honoribus prosequerentur nimiis, sed Parthorum etiam reges mortui curam habuere plurimam (Suet. Ner. 57.) [1]) et postea impostorem Neronis nomen mentitum armis adjuvare haud sunt veriti.

1) cf. etiam imprimis oracula Sibyllina circa hoc tempus fusa, quae quomodo Apocalypsi illustrandae inserviant monstrarunt Corrodi Geschichte des Chiliasmus T. II. p. 312. Bleek l. c. T. II. p. 286.

Cum his igitur conjunctus Nero redivivus si in Italiam septimum Imperatorem debellatum venisset, quid poterat exspectari aliud nisi eum ira Romae ingratae percitum ipsam urbem funditus eversurum esse? nonne erat istorum temporum ingenii, Capitolium et urbem incendere (Tac. hist. 1, 2.)?

Quae cum ita sint, liber versus Galbae imperii finem seu potius, cum auctor Roma procul abesset, paullo serius post Galbae caedem a. 69. scriptus censendus est; notatuque certe dignum, quod circa idem tempus Othone regnante Achajam et **Asiam proconsularem**, in qua auctor vixit, Neronis adventantis rumor exterruit (Tacit. hist. 2, 8. 9). Inter hos tumultus librum esse editum si constat, an mirabimur, Neronem Christianis illius regionis Antichristum, qualem Apocalypsis describit, serio habitum fuisse? Scilicet qui prius eos crudelissime vexaverat, qualem eum futurum sperare poterant, si iterum in vitam rediisset? nonne eum multo immaniorem iterum futurum belluam et redintegrato odio in Christianos saeviturum timere poterant? Accessere aliae forte fortuna similitudines Neronem inter et Messiam, quae eum quasi aemulum et inimicum Messiae facerent. Ut Christus e mortuis resuscitatus erat, sic Nero e morte in vitam restitutus multorum oculos in se convertit (13, 3-8.) et cum ipso Messia certaturus videbatur; ut Messias e Palaestina oritur, sic Nero secundum rumores illos ex Oriente proditurus dicebatur (cf. 11, 7.); ut Messiae sunt prophetae (11, 3-13.), ita et Nero pseudoprophetis sustentatur 13, 11-17. neque extra fidem est, revera illo tempore Neronis adventum multos in Asia impurae mentis homines sperasse et aliis pro viribus persuadere voluisse. At dum auctor noster Christianos ut fidem servare velint in tantis quae instent periculis et calamitatibus, strenue hortatur, opinione illorum temporum sic utitur, ut Neronem dicat crudelissime in omnes, christianos

potissimum, saevientem cum Parthis aliisque copiis Romam eversurum esse; deinde vero a Messia ipso victum iri, ut post tantas calamitates tandem salus appereat. Sic tum Romae, gentilium sedi, letalem stragem ab ipso gentilium capite inflictum iri, tum denique hoc cum copiis a Messia devicto omnes impios remotum iri et pios praemia digna reportaturos esse auguratur vates! Tempus quo Nero resuscitatus Christianos vexaturus sit, certum a vate constitui non potuisse per se patet; at id satis cito instare innuitur per annos duos cum dimidio 13, 5; cll. ὀλίγον καιρόν 12, 12. quod prorsus idem est.

2. Et huic quidem temporis definitioni satis certae tantum abest ut cetera quae in libro occurrunt historiae vestigia obstent, ut iis egregie firmetur et stabiliatur. Ita calamitates, in quibus martyrum christianorum copia occubuit 7, 14. cll. 6, 9-11, cum ante vindictae initium c. 8. describantur, haud dubie eae sunt cogitandae, quae Christianos inde ab an. 64. ad id usque tempus pressere, quo vindicta divina incipienda fingitur; id quod mox futurum esse speratur. Hierosolyma quo tempore scripsit auctor neque eversa erat neque evertenda aut Christianis aut Romanis (quos ad ultimum usque urbi parcere voluisse scimus) videbatur: at cum Vespasianus circa illud tempus jam castra admoveret obsidendae urbi, facile poterat quisque conjicere, gentiles urbem sanctam occupaturos esse 11, 2; igitur inter calamitates Messiae adventui proxime praevias urbem etiam sanctam annos duos cum dimidio 11, 2. 3. i. e. quamdiu fere antichristus grassaturus sit 13, 5. (cll. 12, 6. 14.) a gentilibus profanandam, ante Messiam reducem tamen mores emendaturam refert auctor 11, 1-13. Nec tantum Hierosolymae eversae nulla sunt vestigia, sed imagines etiam a templo frequentissime desumtae templum nondum dirutum fuisse probare videntur. Nulloque fere tempore

delissime vexasse scirent, fidenter Apocalypsin hoc demum tempore ipsorum memoriae propiore a Johanne scribi potuisse putavere; ortaque esse videtur haec sententia ex solo loco 1, 9. — An in Patmo scriptus sit liber, infra discussum est ad 1, 9.

§. 8.

De auctore libri testimonia veterum.

De auctore libri anceps videtur et difficillima quaestio, multa super ea tam antiquioribus quam nostris temporibus dubitatione et lite. Sed multum ad eam dirimendam iis jam continetur quae hucusque de ceteris libri dotibus exposita sunt; potestque totum hoc argumentum subsidiis omnibus rite adhibitis nunc ita transigi, ut dubius haerere nequeat nisi qui timore aliave re ductus manifesta historiae testimonia sinistre velit interpretari.

Vulgaris fert traditio, Johannem Apostolum et Evangelistam libri esse auctorem. Quae traditio historicis minus antiquitatis christianae testimoniis aut firmari aut refutari potest, quam indiciis ipsius libri manifestis. Cum enim omnino antiquitatis criticam diligentiam ignorantis de sublestae fidei scriptis testimonia saepius ubi scriptorum aetate inferiora sunt, parum exacta et certa censenda sint, tum imprimis in eo scripto, quod cum aliis ejusdem auctoris conferre licet, critice dijudicando internis certius fidendum est indiciis quam testimoniis externis. Placet igitur externa hic prius examinare antiquae

Romanis explicat. Sed ipse cogitavi, posse Neronem ita **octavum** dici, ut si liber Vespasiano Principe scriptus sit, **Domitianus** Christianos Neronis instar vexans et omnino Neronis crudelitate simillimus **alter Nero** dicatur. Sed manent ita difficultates plurimae (v. c. quod antequam Domitianus regnum capessiverat, de crudelitate ejus non constitit), ut Veterum traditionem deserere satius sit.

ecclesiae testimonia [1]), quae cum ad quaestionem de auctore dirimendam parum sufficiant, postea ex internis libri indiciis suppleri et firmari poterunt.

Testimonia haec antiqua varii sunt generis et pretii; nam non singuli tantum, quorum memoria servata est, Patres docti opiniones de auctore protulere varias, sed ecclesiae etiam et sectae, regionum variarum varie de eo judicaverunt. De quibus sigillatim est dicendum.

I. Inter vetustissimos ecclesiae doctores dolendum quam maxime est quod nemo libri vel auctoris disertam injecit mentionem, ita ut quid Christiani ab anno 69 usque ad a. fere 130 de eo senserint, ne divinari quidem possit. Patres apostolici et qui eos primi secuti sunt, quantum ex Veterum monumentis nunc saltem superstitibus colligi potest, nihil de libro hoc certi tradidere. Nam Clementis Romani et Ignatii Antiocheni epistolae, quae quamquam spuriae judicantur, circa medium tamen seculum secundum jam frequenter lectae sunt, nullibi Apocalypsin laudant [2]). Polycarpum Smyrnae episcopum Apocalypsin cognovisse vel Johanni tribuisse [3]) ex certis indiciis non constat; neque epistola ei adscripta operis hujus mentionem injicit. Papias

1) Sunt ea recentiori tempore studio laudabili collecta et perquisita, quanquam et singula et omnia saepius, neglectis imprimis internis argumentis, speciosius et gravius quam verius dijudicata; cf. inter alia Lardneri the credibility of the g. h. T. III. suppl. p. 356. Hartwigii liber, passim; Corrodi Beleuchtung der Geschichte des Canon. T. II. p. 301-552. et P. J. Mönster de Dionysii Alex. circa apocalypsin Joh. sententia Hafn. 1826. p. 1-50. qui tamen liber ad quaestionem solvendam nil facit.

2) allusiones paucae quas detegere annititur Hartwig Apologie der Apokalypse T. IV. p. 163. 169. nemini probabuntur.

3) quod Knittel in Beyträgen zur Kritik über Joh. Offenb. 1773 inde derivat, quod Irenaeus discipulus ejus Apocalypsin Johanni tribuit.

Hierapolis episcopus a multis Apocalypsin et legisse et genuinam habuisse putatur, quia Andreae comm. in Apoc. praef. p. 2. eum cum Irenaeo, Methodio, Hippolyto, Gregorio, Cyrillo aliisque pro fide et auctoritate Apocalypseos stare eorumque scriptis in Apocalypsi explicanda se usurum esse testatur. Sed incertum est, an Andreas Papiam aeque ac reliquos quos laudat Patres Apocalypsin Johanni Apostolo tribuisse testetur; nam Euseb. h. e. 3, 39 eum chiliasmum non ex Apoc. 20. sed ex traditionibus non scriptis docuisse et propagasse [1]) contendit; videturque utriusque et Andreae et Eusebii testimonium verum esse, si Papias Apocalypsin, licet ipse legeret et magni faceret, imo vel licet Johanni tribueret, tamen non apostolo tribuit (quae est similis Clementis Alexandrini ratio), nec ex ea chiliasmo tuendo praesidium petiit. Sed cum Papiae scripta pessum ierint, jam ad liquidum perduci nequit, an ita Andreas et Eusebius in concordiam coire possint: cum tamen ante Andream scriptorem Epiphanio multo seriorem (cf. c. 10. p. 18.) nemo Papiam Apocalypsin Johanni Apostolo tribuisse referat, non satis certam esse ejus fidem facile patet [2]). Et quanquam omnium antiquiorum, quippe qui omnino cum viva primorum doctorum vox

1) nimis acerbe Eusebius eum primum inter christianos chiliasmum docuisse asserit, forsan quia antiquiorem ipse non noverat. Sed quantum chiliasmus seculo primo plurimorum mentes ceperit, satis multa testantur; cf. Just. Mart. dial. c. Tryph. p. 307. ed. Col.

2) quod praeterea contra Andream proferunt, eum Papiae scriptis postea non uti praeter unum locum c. 40, id immerito ipsi culpae datur; nam idem accidit Cyrillo c. 18. potuitque Andreas Papiae scriptis uti nomine omisso. At minus tamen caute versatum esse Andream inde quoque concludi potest, quod Gregorium etiam et Cyrillum inter patronos Apocalypseos refert; at Greg. Nyssenus et Cyr. Hierosol. non tantum eam respuunt, sed Greg. Nazianz. etiam et Cyr. Alexandr. de ea dubitant cf. Lardner.

vigeret, rarius scripta N. T. allegare solent, silentium parvi est momenti, tamen mirum est, quod in iisdem Polycarpi (ep. c. 7.) et Papiae (Euseb. h. e. 3, 39) scriptis primae Johannis epistolae haud dubie ab Evangelii auctore profectae mentio fit, ita ut Evangelium et epistola prius quam Apocalypsis legi vel Johannis haberi coepisse videantur. — Certiora testimonia a medio inde seculo secundo incipiunt haec:

1. Qui ad quartum usque seculum Johanni tribuere opus non dubitarunt, in diversis provinciis satis sunt multi: 1) Justinus Martyr circa ann. 150. satis perspicue Apoc. 20. laudans opus ab apostolo Johanne scriptum tradit Ephesi cf. dial. c. Tryph. c. 81. Euseb. h. e. 4, 18. [1]).

2) Saepius Irenaeus Lugdunensis Apocalypsin laudat, nec dubium, quin Apostolo tribuerit (cont. haer. 4, 20. 5, 26. 30. Eus. h. e. 5, 8). Cujus quidem testimonio praecipue nituntur qui hodie Apostolum auctorem statuunt; nec obloquor, si Apocalypsin Irenaei tempore a. 177-200. a plurimis Apostoli opus habitum fuisse volunt; at quibus porro argumentis probant [2]), e solius Irenaei fide Apocalypsin Johannis opus esse habendum, ea satis sunt infirma. Urguent hoc imprimis, quod Irenaeus in Asia proconsulari, unde postea in Galliam advectus est, haud dubie certissima de Apocalypsi a Johanne scripta edoctus erat; septem enim Asiae ecclesias opus ipsis inscriptum bene servaturas fuisse. At vero Apocalypsis non epistolae instar ad has ecclesias missa est, sed in omnium christianorum usum scripta et ab auctore scripti

1) Ceterum Justinus, cui praeter Apocalypsin Evangelium tantum aliquod notum erat (cf. Stroth in Repertor. T. 1.) non ita loquitur, quasi Apocalypsis liber in ecclesiis sancitus sit; maleque ex hoc loco Storr Apologie der Offenb. p. 304. concludit, Ebionitas omnes Apocalypsin probasse.

2) Storr Apolog. p. 154 ff. Hartwig T. IV. p. 235.

instar vulgaris emissa (cf. ad 2, 1); nullusque inter veteres Apocalypsin ab ulla ecclesiarum istarum epistolae instar asservatam esse tradit. Quod autem Irenaeus veram lectionem numeri 666 vel 616 c. 13, 18. se a christianis qui Johannis faciem viderint sciscitatum et edoctum scribit, non eam habere potest vim, ut Johannem Apocalypsin suam declarasse credamus: tot enim et alia quae omnem fidem excedunt Irenaeus se ab iis qui Johannem viderint accepisse dicit [1]), ut facile videas, quam anceps jam seculo secundo fuerit traditionum fides. Et cum Irenaeus de tempore, quo opus scriptum sit, prorsus falsa tradat (§. 6.), negabimusne eum de auctore etiam jam errare potuisse? [2])

3) Circa seculi secundi finem Tertullianus in Africa saepius (adv. Marc. 4, 3. 5. de pudic. c. 19. praescr. adv. haer. 37. 46.) Apocalypsi ut Apostoli opere utitur, ut Apocalypsin in regionibus istis plurima viguisse auctoritate pateat. Eodemque fere tempore Antiochiae episcopum Theophilum et Ephesi presbyterum Apollonium ex Apocalypsi Apostoli testimonia hausisse testatur Euseb. h. e. 4, 24. 5, 18.

4) Nec minus multi tertii seculi scriptores pro auctoritate ejus pugnant, inter quos omnium facile princeps Origenes censendus est, sine ulla dubitationis specie haud semel Apocalypsin Apostoli laudans (in commentariis passim, et apud Euseb. h. e. 6, 25). Praeterea ex ecclesia Orientis Hippolytum Arabiae episcopum (c. 220),

1) ita Iren. adv. haer. 5, 33. se a veteribus, qui Johannem viderint, audisse dicit, Johannem haec Christi verbis narrasse de regno milliario: venient dies in quibus vineae nascentur singulae decem millia palmitum habentes.

2) bene hoc sensere, qui Apocalypsin Johanni Apostolo tribuendam censent; unde plerique aut cum Irenaeo de aetate libri sentiunt aut male Irenaei verba contra Eusebii (h. e. 3, 18.) sensum explicant (Storr Apolog. p. 238 sqq.)

Irenaei discipulum [1]), Methodium Cyri episcopum (c. 280), quem scripto quodam Apocalypsin Apostoli illustrasse tradit Andr. comm. p. 2. et c. 13. 33. 36; ex ecclesia Occidentis autem Cyprianum de bono pudic. p. 220 et Lactantium instit. div. 7, 17. ut patronos et fautores hujus sententiae adducere sufficit.

2. Praeter hos sunt etiam ex hoc tempore quorundam testimonia, quibus lector circumspectus non sine dubitatione pro sententia illa tuenda uti poterit. Quod enim multi volunt Melitonem Sardium episcopum (c. a. 170), virum bene peritum et sedulum, Apocalypsin Johanni tribuere, non satis est certum. Quem enim hic conscripsit librum περὶ τοῦ διαβόλου καὶ τῆς Ἀποκαλύψεως Ἰωάννου (Eus. h. e. 4, 26), in eo quale argumentum tractaverit, an Johannem Apostolum auctorem habuerit, plane nos latet; nec scio, quo jure sumant Eusebium sinistrum Melitonis judicium taciturum non fuisse; illud saltem mirum, quod Andreas, qui sedulo priorum Patrum authentiam libri tuentium commentarios conquisivit, Melitonis nullibi mentionem injicit. Clementem Alexandrinum Tertulliani aequalem Apocalypsin cognosse satis multa ostendunt loca, ut paedag. 2, 10. 12; sed est ejus propterea minor auctoritas, quod scripta etiam apocrypha, ut Pseudoesrae, simili ratione atque Apocalypsin laudat [2]). Omninoque hoc in omnibus antiquitatis testimoniis lubricum est et infidum, quod Patres hujus praesertim generis scripta varia in usum adhibuerunt, quae non genuina esse constat. Sic in multis ecclesiis recepta erat apocalypsis Petri quaedam, cf. Sozom. 7, 19. Fabric. cod. apoc. I. p. 940. Nicoll catal. bibl. Bod. p. 49. cd. 48; Hermae Pastor etc.

1) de Christo et Antichr. §. 36. Andr. Comment. p. 2. et c. 36. 38. 54. videtur is secundum haec commentarium in difficiliora loca scripsisse.

2) dubitavit etiam post Merkelium (Streitigkeit der Aloger p. 187 ff.) Stäudlin in: Beiträgen zur Erklär. der Proph.

II. Quae ex antiquitate contra Johannem Apostolum afferri possunt testimonia, diversi sunt generis:

1. Haud contemnendum testimonium versio Syrorum antiquissima (ex initio saltem seculi secundi) Peschito praebet, Apocalypsin ignorans. Cujus versionis cum maxima sit in rebus criticis auctoritas, causa omnino quaerenda est sat idonea, cur liber omissus sit. Et possit quidem cogitari Syros consulto librum omisisse, quippe qui plebi non bene intelligendus in ecclesiis praelegi non solebat: at liber hic ut omnes similis argumenti non primo jam et secundi seculi initio, quibus imagines libri satis tritae et in sexcentis libris obviae erant, sed tertio demum et sequentibus seculis obscurus haberi et in Graecorum ecclesiis abrogari coepit; et historia docet, serius librum hunc Syris versum et magni factum esse, ut jam Ephraem Syrus sec. quarto eum Apostolo tribuat. Cumque Peschito non solum hunc librum omittat, sed Petri etiam secundam et Judae epistolas jure (v. infra) suspectas, fuere haud dubio causae etiam gravissimae, quae Apocalypsin juxta has epistolas omittendam suaderent. Habemus igitur integrae ecclesiae testem et aetate et auctoritate ipsum Justinum M. si non superantem, at certe aequantem, cui quod detrahere alii student [1]), anxie faciunt re ipsa invita. Mansitque minor

(1786) p. 251 sqq., an Clemens Apocalypsin Apostolo vere tribuerit. Mirum etiam, in constitt. apost. Clementi falso quidem tributis sed seculi tamen secundi opere Apocalypsin inter canonica non recenseri, v. Cotelerii patres ap. T. I. p. 453.

1) Storr Apolog. p. 186 sqq. Hartwig T. IV. p. 231. Hug introd. I. p. 356. ed. tert. aliique putant Apocalypsin syriacam serius demum ex Peschito detractam esse; sed cur hoc fecerint Syri, qui potius labente tempore Apocalypsi plus favebant novasque condebant versiones, prorsus non perspicitur; et rationes, quibus illud probatum eunt, re ipsa nullae sunt. Videmus potius Syros sensim demum aliarum ecclesiarum exemplo motos libro huic plus auctoritatis tribuisse.

haec libri cura inter Monophysitas imprimis et Nestorianos multos, ita ut patriarchae etiam quidam librum spurium judicarent (Assemani bibl. or. T. I. p. 535. T. II. p. 244.)

2. Quod Marcionitae libro hoc non usi sunt (Tertull. adv. Marc. 4, 3), nihil prorsus auctoritati ejus detrahit: isti enim homines Pauli tantum epistolis cum Lucae evangelio utentes rationibus haud dubie dogmaticis erarunt. Nec plus tribuendum est Alogorum judicio. Hi seculo exeunte secundo et serius pauci, ut videtur, numero et auctoritate in Asia minori degentes Johanni praeter Apocalypsin Evangelium quoque tribuere recusarunt, quia Christum τὸν λόγον cum Johanne habere nolebant; qui opinionum dissensus, cum ceteroquin ecclesiae catholicae doctrinam tenerent, ne Eusebium quidem offendit, donec Epiphanio haer. 51. uberius de iis, nomine etiam novo distinctis, exponere placuit. Sed dum evangelium simul Johanni abjudicant, de Apocalypsi quoque dogmaticis tantum e rationibus dubitantes audiendi non sunt; quod enim contra Apoc. 2, 18. monent, Thyatiris christianorum non esse ecclesiam, absonum est (potuit enim calamitate quadam vel vexatione christianorum coetus urbem relinquere) [1]; quodque Cerinthum seculi primi haeresiarcham (cf. §. 10.) Apocalypsin scripsisse putarunt, id cum parum ex ipsa Cerinthi vita flagitiosa et doctrina fidei habeat, propterea tantum fecisse videntur, quia auctorem, cui liber tribui possit, tum invisum et flagitiosum tum Johanni aequalem quaesiverunt.

3. Fuere etiam singuli qui de Apostolo dubitarent viri satis docti et probi:

1) variis conjecturis indulserunt critici recentiores ut Storr Apolog. p. 93 sqq. quae incertae maneant necesse est, quia Epiphanius ipse in hoc argumento ludit.

1) Cajus presbyter Romanus (c. 200.) in colloquio cum Montanistis eorumque principe Proclo instituto Apocalypsin [1]) a Cerintho sub Johannis Apostoli nomine emissam esse profiteri non dubitat. Sed dolendum quod Eus. h. e. 3, 28. fragmentum tantum exiguum hujus colloquii vel sententiae Caji asservavit, ut prorsus nesciamus, quibus tandem argumentis id publice profiteri potuerit. Cum Montanistae visionibus suis et opinionibus chiliasticis praecipuum praesidium ex Apocalypsi peterent, poterat sane adversarius eorum nimio Apocalypsis odio se a vero seduci pati; et si Cerinthum auctorem facit, haud dubie famam tantum illo tempore a quibusdam sparsam sequitur. Sed mirari tamen quis possit, quomodo Cajus, si omnes tum Romae Apocalypsin Apostolo tribuebant, nemine obloquente sententiam hanc profiteri potuerit? Equidem pro neutra parte Cajum militare posse putem [2]).

2) Cum seculo tertio allegorica interpretatio Alexandriae vigens Apocalypsin spem chiliasticam continere negaret, Nepos Aegypti episcopus Apocalypsin sensu verborum simplici eam tueri veri amans demonstravit; cujus opinionem sequentes cum in provincia Arsinoe plures somniis chiliasticis turbarentur, Dionysius Alexandrinus successor Nepotis (a. 247-264.) his librum opposuit eruditionis et modestiae insignis testem, in quo et totam

1) ἀποκαλύψεις hic vocatur liber, non quia Cajus alium librum intellexit (ut voluit Hartwig T. I. p. 50 sqq.; nam idem pluralis legitur Eus. h. e. 7, 25.), nec quia pluralis majestaticus est (Storr Apolog. p. 72.) sed quia liber revera plures visiones continet.

2) nam et Semler (theol. Briefe Samml. 2. S. 182 sqq. neue Untersuch. über Apok. S. 21.), Merkel (umständlicher Beweis S. 97 sqq.) aliique hujus partis nimium Caji judicio tribuunt, Cerinthum male Apocalypsis auctorem habentes, et ab altera parte Storr Apolog. p. 61 sqq. aliique nimium ei detrahunt, Cajum ex Alogorum secta prodeuntem evangelium quoque respuisse temere conjicientes; imo si auctor est frag-

Apocalypsin allegorice interpretari conatur [1]), et in praefatione de ejus auctoritate et auctore fusius exponit. In cujus fragmento satis magno ab Eus. h. e. 7, 25. asservato quosdam antiquiores (τινὲς τῶν πρὸ ἡμῶν) jam de libro dubitasse scribit; sed dolendum quam maxime, quinam illi sint Dionysium non addidisse; cum tamen eos non historicis argumentis nisos, sed obscuro tantum libri sensu deterritos Apostolum auctorem sprevisse scribat, conjici possit, eos secundo demum vel tertio seculo libri adversarios extitisse. Ipse Dionysius acutissimi ingenii vir eorum spernens judicium qui Cerinthum auctorem faciunt, alium forsan Johannem praeter Apostolum librum scripsisse putat, cujus sententiae argumenta ex ipso libro ducit haud levia. Argumenta igitur historica contra Apostolum ex ejus judicio si certa dici nequeunt, at mirum saltem, eum fidenter dubitare potuisse. Quod enim critici plurimi ut certum statuunt, Patres hujus generis orthodoxos tum demum de Johanne Apostolo dubitare incepisse, cum librum hunc a multis prave intellectum et ad errores fanaticos fovendos in auxilium vocatum viderint, nescio quo fundamento nitatur. Scilicet ex multis etiam aliis N. T. scriptis, ex evangelio imprimis Johannis, eodem modo erroribus praesidium est quaesitum, de quibus ob errores hos vel ob haereticos e canone ejiciendis nunquam cogitarunt orthodoxi; et quanta quaeso audacia, si quis librum, de cujus auctoritate et origine optime constat, ob quorundam errores non spurium tantum, sed a collectione, quae ei

menti Muratorii (antiq. Ital. med. aev. T. III. p. 854.), Johannis epistolas duas agnovit; quam acuto autem judicio critico instructus de libris N. T. judicarit Cajus epistolam ad Hebr. a Paulo non scriptam idem jure affirmans, testatur Eus. h. e. 6, 20.

1) usus est eo Andreas in comm. c. 10. 28. 45; norat eum quoque Hieronym. prooem. lib. 18. comm. in Jes. ubi librum elegantem Dionysii eloquentissimi nominat.

dudum fidem et auctoritatem conciliaverat, secernendum esse judicet? Unquamne simile inter Patres orthodoxos exemplum? Qui ut dubitare auderent, non poterant nisi fama antiquitatis de auctore incertae adduci.

3) Eusebius Caesareensis (c. 320.) h. e. 3, 23. 24. 39. multos narrat librum inter homologumena referendum censere pauciores inter antilegomena; ipse librum ab Apostolo non scriptum esse autumat. Cujus quidem sententia, quanquam Apostolum non esse auctorem historicis argumentis sat gravibus non evincit [1]), tamen memoratu est dignissima. Constat enim Eusebii demum aetate diligentius in scripsa Apostolorum fuisse investigatum; quodque Apocalypsin cum Jacobi, Judae, Petri altera et Johannis duabus posterioribus epp. inter antilegomena refert, haud dubie non est casu factum. Nam epistolas has omnino causae aderant graves cur in dubium vocarent Eusebii aequales [2]).

Post Eusebii aetatem varia fuit et impar Apocalypseos in diversis regionibus sors. Nam in Oriente a Patribus satis multis et praeclaris, ut Gregoriis, Cyrillo Hierosolymitano liber e canonicarum scripturarum volumine omitti coepit; in Occidente vero librum saepius magni aestimatum fuisse testatur Hieronymus ep. ad Dardanum et in catal. script. eccl. s. v. Joannes Apo-

1) plurimum Eusebio detrahere studet Storr Apolog. p. 20 sqq. aliique, eum solum Dionysium vel Alogos adversarios intellexisse putantes. Sed videant an non studio iniquius de Eusebio judicent.

2) Petri alteram epistolam serius ab anonymo scriptam esse multa probant argumenta gravissima: Jacobi et Judae epistolae sunt quidem genuinae, sed non ab Apostolis scriptae; Johannis epistolae duae posteriores propterea tantum a multis omissae erant quia privatis hominibus scriptae vix dignae videbantur quae in numerum sacrarum referrentur. Igitur ubique causa cerni potest fat gravis, qua Eusebius scripta haec inter antilegomena referret.

stolus [1]). Sed seriora haec tempora litem a veteribus agitatam dirimere non poterant, ita ut quamvis unamini consensu ad Apostolum librum retulissent, tamen judicium ex antiquiorum tantum testimoniis componi possit.

III. Jam si omnia haec antiquitatis testimonia colligimus, satis quidem multa pro Apostolo faciunt. Nam a medio inde seculo secundo liber plurimis lectus et Apostolo tributus est, ita ut vel diversarum regionum Patres doctissimi quique chiliasmi tam sectatores quam osores (ut Origenes) se Apostoli scriptum legere persuasum sibi haberent. At scrupulum haud levem injicit versio Peschito antiquissima postea Eusebii eruditi judicio firmata; ut evangelium saltem Johannis et primam epistolam multo firmioribus niti testimoniis concedendum sit. Et si ab anno 69, quo liber scriptus videtur, ad Justini M. aetatem sexaginta plus annorum spatium effluxisse reputamus, annon traditiones de libri auctore jam inscios multos fefellerint, optimo jure dubitatur; quae quidem suspicio crescit, si porro veteres opus ab Apostolo scriptum putantes de aetate libri nihil prorsus certi tenuisse et Irenaeum ipsum mirum quantum in ea definienda falsum esse consideramus. Quapropter qua alia ratione de auctore certi fiamus videndum est, et omissis prorsus dubiae fidei traditionibus ex libri ipsius indiciis judicium instituendum; quod in hoc quidem libro eo fidentius facere licet, quo certius de evangelio et epistolis Johanni Apostolo tribuendis nobis persuasum est. Inquirendum autem omni veritatis studio, ut qualecunque inde prodeat judicium, modo verum esse quisque videat, haud anxie curemus.

1) v. testimonia Graecorum et Latinorum ap. Lardner l. c. Quod putat Storr p. 35. 85. 92. aliique, Orientis Patres solius Dionysii et Eusebii judicium secutos esse, nescio annon sine jure sumatur: cur enim Latini Caji Romani judicium non sunt secuti? Ipse etiam Epiphan. haer. 51. Apocalypsin difficilius evangelio defendi posse innuit.

§. 9.

De auctore libri indicia interna.

I. Inter indicia haec interna summum paene locum tenet dictionis et sermonis tum cujusque N. T. libri tum hujus potissimum diligens contemplatio. Cum enim N. T. auctores indole, ingenii cultu, terris in quibus libri scribebantur, diversissimi essent et lingua hujus generis ipsa graecam inter et orientalem dubia aliis apud alios modis ita mixta et temperata sit, ut quisque scriptor suam sibi peculiarem formaverit linguam, utque singulorum N. T. scriptorum dictio multo sit facilius et certius dignoscenda quam classicorum eadem culta et trita lingua scripta exarantium: nullum certius de auctore operum N. T. plurium argumentum duci potest, quam ex sermone et dictione diligentissime investigata [1]). Quod ut de omnibus libris tenendum, ita in Apocalypsi potissimum luculentissime apparet. Quam si quis sedulo cum evangelio et epistolis contulerit, tantum inveniet discrimen ubique patens, ut non possit non diversissimos deprehendere auctores. Quod quidem eo firmius argumentum ad Apocalypsin diverso auctori tribuendum habere cogimur, quo dilucidius genus dicendi evangelio peculiare in epistolis non prima tantum, sed brevissimi etiam ambitus altera et tertia idem prorsus reperitur, idque coloribus tam raris tinctum tamque sibi in singularibus suis virtutibus ubique constans et aequabile, ut frustra simile vel in N. T. vel in ceterorum graecae linguae scriptorum copia quaeras. Quod cum nondum satis aperte demonstratum videatur, hic a tenuioribus progrediendo exsequi juvat.

1) Id nostris temporibus cura Gersdorfii et D. Schulzii egregia patuit, quanquam plurima penitius inquirenda restant.

1. Quantum hebraeam indolem referat Apocalypseos dictio ex §. 6. apparet; quacum si evangelii et epistolarum sermonem comparamus, diversi prorsus scriptoris sermo reperitur. Nam in his non desunt tantum quae hebraeae dictionis vestigia singularia prorsus et mira Apocalypsis prodit; sed melior etiam graecae linguae cognitio et imitatio facilior fundamenta, quibus apocalypseos dictio nititur, prorsus diversa reddunt. Igitur 1) in ev. et epp. vocabula et loquendi rationes bene graecae reperiuntur quae similes in hebraismo nil habentia in ap. prorsus desunt, ut πάντοτε, πώποτε, οὐδέποτε, οὐδέπω ev. et epp. familiarissima in ap. nuspiam apparent; cumque Hebraeis pron. gr. ἐκεῖνος non adsit, id in ev. et epp. frequentissime obvium in ap., si formulam αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι 9, 6. 11, 13. 16, 14. de Messiae adventu tritissimam excipias, prorsus deest, semper ei pron. οὗτος substituto. Duplex in eadem enunciatione notionis negatio in ev. usu bene graeco adamata (ut οὐκ ἠδύνατο ποιεῖν οὐδέν 9, 33. 12, 19. 14, 30. 19, 11. 41.), quia in hebraismo prorsus deest (cf. gr. hebr. §. 355.), in ap. frustra quaeritur (contra οὐκ — ἔτι 18, 23. οὐδὲ πᾶς כֹּל — לֹא 7, 16. 9, 4.); disjunctivum καὶ ev. 11, 48. bene graecum in ap. deest. Utque omnino ev. et epp. dictio graeca inter N. T. scripta elegantia quadam eminet, sic hebraeae etiam voces graecae indoli quantum pote attemperantur, ut Ἱεροσόλυμα Ev. 1, 19. 2, 13. 23. 4, 20. etc. at Ἱερουσαλήμ Ap. 3, 12. 21, 2. 10. quae forma Lucae quoque tum in Ev. tum in Actis, et Paulo familiarior. Verborum compositorum usus in ev. et epp. multo frequentior, ut ἀναγγέλλω ev. 4, 25. 5, 15. etc. 1 ep. 1, 5. παραλαμβάνω ev. 1, 11. 14, 3. 19, 16. συνεισέρχομαι 6, 22. 18, 15. quae in ap. desunt; ἐπέβαλεν ἐπ᾽ αὐτόν Ev. 7, 30. 44. pro quo ἔβαλεν ἐπ᾽ αὐτόν Ap. 2, 24. 2) Sed dilucidius etiam ex junctura verborum et compage orationis intelligitur, quantum intersit inter utraque opera discrimen. Quae in ev. et epp. deprehenditur partium orationis pulchre et ad graecam ele-

gantiam componendi consuetudo, eam quatenus ab hebraea ordinis et notionis vocum simplicitate abhorret, in Ap. frustra quaeras. Ita enunciatio liberior qualis est οὓς δέδωκάς μοι, θέλω ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, κἀκεῖνοι ὦσι μετ᾽ ἐμοῦ ev. 17, 24, nusquam in ap. reperiri potest; qui in ev. et epp. frequens est relativi praepositi, nominum sensu cohaerentium divulsorum (ut 12, 18. 37), genitivi a nomine suo remoti (ut Ev. 2, 15. 4, 39. 6, 51. 66. 7, 38. 8, 17. 9, 28. 12, 11. 19, 32), participii et genitivi absoluti (ut 4, 47. 5, 6. 7, 10. 11, 23. 31. 13, 1-4.), enunciationum minorum eleganter insertarum (ut 5, 7. 9, 22. 10, 38. 11, 25. 31. 57. 12, 12. 19; 33.) usus bene graecus, ab Ap. non minus alienus est quam ab ipso hebraismo. Prae ceteris notandum, relativi pronominis, quam dicunt, attractionem in ev. et epp. vulgatissimam (ut 4, 50. 5, 4. 6, 29. 7, 39. 9, 29. 11, 6. 32. 15, 20. 17, 5. 11. 21, 10. 1 ep. 3, 24.) in Ap. prorsus desiderari, quippe cui in hebraismo nil respondeat. Neutrum autem nominum plurale tantum abest ut secundum apocalypseos indolem saepius cum verbi plurali construatur, ut semper e sueta graecismi lege cum sg. obvium sit cf. 1, 28. 3, 9. 19, 23. 6, 63. 7, 7. 9, 3. 10, 3. 4. 6. 21. 22. 25. 27. 41. (v. 5. 8. 12. 16. 27. cum pl. ob sensum humanum) 12, 16. 15, 6. 16, 15. 17, 7. 10. 19, 31. 36. 20, 30. 31. 21, 25. 1 ep. 3, 10. 12. 4, 1. 2 ep. 13.

2. Sed adsunt etiam multa quae ex graecae linguae ingenio tam diverse in utroque dicta sunt opere, ut scriptores duos diversissimos agnoscere cogaris. Pauca hic delibare sufficiat: 1) Occurrunt satis multa vocabula ev. et epp. auctori adamata et frequentata, quae ap. aut prorsus ignorat aut mire rara habet; ut θεάομαι et θεωρέω in ev. (et I ep. 1, 1. 3, 17. 4, 11. 14.) saepissime obvium in ap. tantum legitur 11, 11. 12. sicut Paulus etiam semel tantum eo utitur Rom. 15, 24; ap. contra βλέπειν, ὁρᾷν adamat, e quibus ὁρᾷν in ev. et epp. non nisi in una forma prae-

teriti ἑώρακα legitur. Vocabula ἐργάζομαι, ῥήματα, πάλιν, φωνεῖν (singulari etiam nominandi notione), μένω et μονή in ev. et epp. adeo frequentantur, ut in quovis capite bis terve occurrant; in ap. vero tota aut nunquam aut semel tantum bisve leguntur (ἐργάζομαι 18, 17. notione prorsus singulari, ut eo sensu, quo in ev., in ap. nunquam obvium sit; ῥήματα 17, 17 ubi tamen varia lectio λόγοι praestare videtur, ita ut illud ab ap. prorsus peregrinum sit; πάλιν 10, 8. 11; φωνεῖν 14, 18; μένειν 17, 10.); ταράσσω, παῤῥησία et alia in ev. et epp. adamata in ap. prorsus desiderantur; alia contra apocalypsi prorsus priva aeque ac frequentissima sunt, ut βασανίζειν, βασανισμός. — 2) Plus vero discriminis in particulis cernitur, quippe quae pro cujusque scriptoris ingenio omnium maxime variant. Ita pro ἰδού, quod solum ap. toties usurpat, in ev. semper fere (praeter 4, 35. 12, 15. 16, 32. 19, 26. 27.) ἴδε in usu est, sicut Jacobi etiam epistola solum illud ἰδού frequentat; καθώς, quod Johanni in ev. et epp. (I, 2, 6. 18. 27. 3, 2. 3. 7. 12. 23. 4, 17. II, 4. 6. III, 2. 3.) ante omnia in deliciis est, in ap. nullum habet vestigium; ὡς in ap. comparando unice inservit, nec unquam temporis est nota ut in ev. 4, 40, 7, 10. 11, 20. 32. 33. Nonnunquam discrimen ex hebraismo simul oritur, ut μέν, μέντοι solum evangelium (4, 27. 7, 13. 12, 42. 16, 9. 22. 19, 32. 20, 5. 21, 4.) novit, cum Hebraei tali notione careant. — 3) Porro enunciationum et narrandi modi forma diversissima est. Ita ev. rerum narrandarum progressum repetito isto οὖν ratione prorsus singulari toties (ut 4, 5. 23. 33. 46. 48. 52. 53.) indicat, ut talem narrandi modum auctori in deliciis fuisse pateat; et praesens quod vocant historicum solito frequentius immiscet, nonnunquam vel copulam quamlibet omittens, ut 1, 40. 42. 46. 5, 14. 12, 22. soletque praeteritum etiam ab initio enunciationum sine omni copula ponere, ut 4, 30. 7, 32. 9, 35. 16, 19. 18, 24. 25: quae quo magis mira sunt et singularia, eo plus ab apo-

calypseos indole recedunt, quippe quae eadem ubique ratione enunciationes hujus generis per hebraicum καὶ jungit et praesens tale historicum prorsus ignorat. Similiter in ev. saepissime oratio sic adornata est, ut sermoni personae quae loquens introducitur, ὅτι praeponatur (ut 4, 39. 9, 9. 19. 10, 36. 41. 13, 33.), quod non ev. tantum huic sed omnibus fere aevi illius scriptoribus familiare in ap. nullibi exstat. Verbi ἀκούειν constructio cum genit. in ev. trita (ut 11, 42. 12, 47.), cum ab hebraismo aliena sit, in ap. frustra quaeritur. Hebraea vocabula immiscens ev. addito ὁ ἑρμηνεύεται graecis deinde explicat (ut 1, 38. 42. 9, 7. cll. 19, 13.); qua in re si similis videtur, at multo tamen re ipsa est diversa ap. cll. p. 36.).

3. His accedit aliud gravius etiam. Sermonem enim inter utraque opera ibi omnium maxime differre sentimus, ubi de notionibus divinis et christianis agitur. Ut enim Johannes Apostolus ceteris quidem N. T. scriptoribus (ita ut Paulus tamen proximus ei sit) de Christo ejusque doctrina sublimiora omnia sentit, sic linguam quoque huic congruam formavit sibi prorsus peculiarem et constantem, quam apocalypsis, si ejusdem Johannis esset, non posset non eandem exhibere. Sed magnum hic utriusque operis discrimen quanquam ex toto facilius habitu et ingenio cognoscas, exemplis tamen quibusdam monstrare juvat. Ev. et epp. voce κόσμος non tantum ceteris omnibus N. T. scriptis multo saepius utuntur, sed notione etiam prorsus singulari de hominibus et rebus a Christo et veri nominis Christianis, vero denique et ingenuo alienis; qua voce Johanni adamata tantum abest ut apoc. ad hanc notionem, cui saepius locus fuisset idoneus, exprimendam utatur, ut omnino ter tantum notione vulgari (αἱ βασιλεῖαι τοῦ κόσμου 11, 15. et ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου 13, 8. 17, 8; contra ἡ οἰκουμένη 3, 10. 12, 9. 16, 14. vox est ev. et epp. ignota) legatur; utque sicut in hujus vocis notione et usu Paulus

ad Johannem apostolum proxime accedit, sic apoc. contra evangeliorum trium priorum indolem totam referat. Porro divinum quidque et sublime, deum imprimis et Messiam divinum sensum mundo inferentem ev. et epp. φῶς, et oppositum σκοτία nominare adamant; quorum quidem in apoc., ut et omnium, quae cum his cohaerent, notionum nullum est vestigium; qui enim solus locus 21, 24. quodammodo comparandus videri possit, ex genere longe alio explicandus est. Quaeque evangelium in deliciis habet verba δοξάζεσθαι et ὑψοῦσθαι ad dignitatem Messiae insigni quadam ratione illustratam et patefactam denotandam (7, 39. 11, 4. 12, 16. 23. 13, 31. 17, 10; 3, 14. 8, 28. 12, 32. 34.), ea quanquam saepissime opportunitas tulisset, nunquam tamen in apoc. leges; mirum quoque, Messiam in apoc. nunquam ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου dici, ut ev. 4, 42. I ep. 4, 14. Vitae (ζωή) felicis aeternae post mortem futurae meminit quidem apoc., ut 2, 7. 10. 3, 5. 21, 6. 22, 2. 14. 17; at quae in ev. et ep. I. saepissime memoratur ζωὴ αἰώνιος s. felicitas vera jam hac in terra pios manens, tali junctura et notione in apoc. nuspiam est obvia, sicuti oppositum ἀπόλλυσθαι infelicem fieri impietate non notione tantum hac Johannea, sed usu etiam quovis omnino in ap. deest. Nec minus πιστεύειν, quo verbo ev. et ep. I. omnibus ceteris N. T. scriptis multo frequentius et notione quidem singulari utuntur, in apoc. nullum habet vestigium. Et in his quidem profecto non verba tantum differre sentimus, quod levius videri possit, sed ipsas notiones totumque de summis Christianorum rebus sentiendi et cogitandi ambitum.

4. Denique totus habitus sermonis ita differt, ut nullibi eundem agnoscas scriptorem. Qui enim in evangelio et epistolis sermonem cognovit ubique lenem, morantem atque fusius et repetitis vocabulis omnia explanantem, is profecto stupebit, ubi abruptum, concisum, properantem,

qualis per totam fere apocalypsin conspicuus est, comparaverit; ut tantum discrimen non ab argumento diverso, neque ab aetate fortasse scriptoris diversa, sed ab ipso diverso scriptorum ingenio et habitu pendere intelligat.

Igitur cum tot tantaque, quae coalescere nunquam poterunt, discrimina inter utraque opera obvia sint, haud dubitandum quin, sicut epistolae eidem prorsus evangelii auctori tribuendae sunt, ita apocalypsis a diverso prorsus scripta sit. Quae enim critici, justo minus permagnum illud discrimen perspicientes et ponderantes, ad id quod negari non poterat aut tollendum aut excusandum attulerunt [1]), ea sane haud sufficere facile intelligitur. Sunt qui ad argumentum diversum provocent, quasi opus poeticum, quale apocalypsin putant, forma multo diversa induendum fuisset atque evangelium et epistolae. Sed primum aut plurima aut omnia quae supra exposuimus discrimina ab argumento prorsus non pendent et mirum profecto statuunt, qui Apostolum sedulo in apocalypsi hebraeam dictionem imitatum esse putant, quo similior prophetis fieret vetustis. Deinde vero, quod caput rei est, argumentum tale apud illius aetatis scriptores nunquam diversum prorsus scribendi genus induxit. Si enim omnia hujus generis opera, ut Danielem, Henochum, Pseudoesram, Pseudojesaiam comparamus, sermonem quamquam nonnunquam prophetarum antiquorum parallelismum poeticum (cf. v. c. Ap. 4, 11. 9, 6. 18, 5. 6.) imitantem, at nunquam solito comtiorem, concisiorem vel asperiorem invenimus; satisque auctoribus videbatur visiones et cogitata sua quovis linguae habitu exprimere, ut poeticum sermonem nunquam affectent. Quodsi aliud apocalypseos auctoris opus diversi argumenti superesset,

1) ut inter alios H. H. D. Curtius spec. de apocalypsi ab indole doctrina et scribendi genere Johannis apostoli non abhorrente (Traj. 1799.) p. 158-176.

idem dictionis ingenium id spiraturum esse confido. Alii ad aetatem, qua Apostolus utraque opera conscripserit, diversam provocant. Apocalypsin eum juvenem scripsisse, cetera senem, ut ita, quomodo opus aetate prius sermonem et incultiorem et sublimiorem spirare possit, intelligatur. At si forte apostolus posquam diutius in Asia degerat sermonem ad graecae linguae genium melius adaptare didicit, certe ingenium sermonis non mutavit; quae enim supra discrimina observata sunt, sermonem non mutatum paullatim, sed ex origine et ingenio diversum indicant. Deinde quamvis evangelium et epistolas multis demum annis post apocalypsin conscripta esse largiamur (argumenta enim non adsunt), tamen iterum, quomodo apostolus post sexagesimum aetatis annum (tali enim fere aetate eum a. 69. fuisse certum sumere, nemo dubitet) linguam adeo immutarit, haud facile assequi licet. Evangelium saltem et epistolas non omnes eodem anno scripsisse videtur, quanquam mirus in iis est sermonis concentus. Multi [1]) quidem e contrario apocalypseos dictionem cum ev. et epp. conspirare demonstratum eunt. In quo studio plurima, quae penitius inspecta prorsus aliena sunt, comparant et ubique externam tantum, quae hic illic apparere videtur, similitudinem expiscantes et dissimilia multo plura negligentes ab indole utriusque operis genuina cognoscenda procul aberrant. Quae revera similia reperiuntur pauca, haec sunt: μετὰ ταῦτα ev. 3, 22. 5, 1. 6, 1. 7, 1. ap. 1, 19. 4, 1. 7, 1. 9. 15, 5. alibi praeter Lucam rara temporis progredientis nota; σκηνόω quater et σφάττω octies in ap., quod utrumque in ev. semel nec alibi in N. T. legitur; τηρεῖν τὸν λόγον ev. 8, 51. 52. 14, 23. 15, 20. I ep. 2, 5. ap. 3, 8. 10. pro quo alibi in N. T. τὴν ἐντολήν; ὁ ἀλή-

1) ut Twels vindic. apoc. in Wolfii cur. philol. T. IV. p. 399-404. Hartwig Apolog. T. IV. p. 124 sqq. Curtius l. c. p. 44-156. J. D. Schulze schriftstell. Charact. des Joh. p. 94 sqq.

θινος de deo (sed idem 1 Thessal. 1, 9.); τηρεῖν ἐκ ev. 17, 15. ap. 3, 10. περιπατεῖν μετά ev. 6, 66. ap. 3, 4. ἔχειν μέρος ev. 13, 8. ap. 20, 6. (de λόγῳ v. ad 19, 14.). Sed haec, quorum quaedam suis inspecta locis iterum diversa apparent, ad eundem auctorem indicandum nil prorsus valent. Nam partim pauca sunt et per se non satis gravia ut unum potissimum prae ceteris omnibus auctorem distinguant; partim inter pauca N. T. scripta vix duo inveneris, quibus quaedam, externam si solam spectas formam, prae reliquis communia intercedere non demonstrari possit; ita ut si quis ex talibus epistolae v. c. ad Hebraeos auctorem divinandum sibi sumeret, omnibus ceterorum scriptorum auctoribus vindicari possit. Ab his lubricis et vagis ludibriis animus ad internam i. e. totius habitus et ingenii similitudinem revocandus est; qualem quidem discrimen hoc tolli non posse intelligere omnes concedunt. Omnes enim discrimini aperto excusando argumenta conquirunt infirma.

II. Sed latius etiam discrimen illud patet, cum ipsa interna operis indoles scriptorem prorsus diversum indicet.

1. Primum enim tota doctrinae indoles mirum quantum ab ev. et epp. discrepat. Constat in N. T. duplicem reperiri summarum de rebus divinis et Messiae dignitate notionum ambitum et ingenium. Alii enim scriptores notionem de Messia terrestrem magis et ex exspectationibus judaicis formatam tenent; alii celsiorem et sublimiorem, spretis humilioribus, quas Judaei paullatim conceperant, de Messia et deo opinionibus, aeterna sua veritate omnibus temporibus congruam. Et ad prius quidem genus Matthaeum potissimum inter tres evangelistas priores retuleris; ad alterum Johannem apostolum, cui Paulus proximus est, quanquam imaginum et dictionum judaicarum hic est externa forma tenacior. Apocalypseos vero auctor ad quod genus pertineat nemo hae-

rebit dubius. Quis enim nescit, apostolum sublimia quaeque et vere coelestia de Christo ita tradere, ut a notionibus, epithetis et imaginibus, quibus Judaei Messiae regnum ornaverant, maxime sit alienus? [1]) ut terrestrem Christi ortum et stirpem non attingat? ut vel reditus Messiae in ev. nullam injiciat mentionem, in I ep. 2, 18. 28. 4, 3. vero vix ex notionibus aevi illius pervulgaribus brevissime attingat? In apoc. contra imagines prorsus judaicas ubique habes, et Matthaei potius quam Johannis evangelii similia ubique cernis. Ut Matthaeus ante omnia Jesum e Davidis stirpe ortum esse monstrat, sic eidem rei apoc. 3, 7. 5, 5. 22, 16. plurimam tribuit vim; Messiae reditum iisdem coloribus apoc. depingit quibus Matth. 24. 25.; totum omnino in apoc. notionum de Messia judaicarum, quas Johannis ev. nunquam ne imaginum quidem ope praedicat, ambitum expressum cognoscas, nec ullibi sublimiorem Johannis *γνῶσιν* videas.

2. Nec minus sensus indoles diversus. Ita qui in ev. et epp. ante omnia amor Christianorum mutuus et sincerus commendatur, ejus mentionem frustra in ap. quaeras. Fuit sane apocalypseos auctor vir probissimus et de salute Christianorum pie sollicitus; at audacem magis et strenuum, quam tenerum, lenem et mitem, qui ubique in ev. et epp. elucet, animum ostendit.

3. Diversa porro artis indoles. Apocalypsis enim auctorem prodit hebraeae linguae peritissimum [2]) et sicut

1) haec ex parte scite nuper exposuit T. A. Seyffarth ein Beitrag zur Special-Characteristik der Johanneischen Schriften. Lips. 1823. ut mirandum sit, eum apocalypsin eidem auctori tribuere.

2) ita Johannes in ev. LXX. versionem aut presse sequitur aut levibus ex memoriae lapsu mutationibus, quod exempla in Eichhornii biblioth. bibl. T. II. p. 1002-1006 monstrant; at apocalypseos auctorem versionem hanc solam legisse, ex indiciis patet nullis; imo quae ex V. T. iisdem paene verbis hausta exprimit, eum textum hebraeum inspexisse probant,

in tota Hebraeorum antiquitate sic in disciplinis etiam, quas Judaei magistri in scholis tradebant, arcanis probe imbutum; doctiorem et qui majori arte totam et antiquitatem et recentioris temporis notionum ambitum in scriptum suum converterit, ne Paulo quidem excepto neminem invenias. Summam quam totum opus monstrat artem ubique insignem supra §. 2. 3. exposuimus. Quae in ev. et epp. prorsus diversa sunt, in quibus tanta est simplicitas, tam parum ex antiquitate imagines et argumenta petuntur, ut quomodo idem omnia scriptor aut meditari aut elaborare potuerit, nemo intelligat. In scholis certe Judaeorum Johannem non fuisse eruditum ex Act. 4, 13. apparet.

§. 10.

De auctore libri.

Quae cum ita sint, apocalypsin non ab eodem auctore scriptam esse cui evangelium et epistolas debemus, in aprico est positum. Neque revera ipsum opus huic repugnat. Quanquam enim prophetarum antiquorum more suum nomen operi inseruit auctor, nunquam tamen se Apostolum Johannem dicit, sed Christi tantum cultorem assiduum (1, 1. 2. 9. 22, 8.), ut qualis Johannes intelligendus sit inter plures illos, qui in rerum Christianarum primordiis Christi doctrinam sincero studio amplecti et propagare solebant, prorsus dubium sit. Neque nulla tantum in toto opere adsunt, unde de apostolo solo auctore cogitandum sit, indicia et vestigia, sed occurrit etiam 21, 14. locus satis memorabilis, qui apostolum auctorem fuisse omnium minime probabile esse monstrat. Qui enim ibi apostolorum Christi duodecim nomina maximis effert laudibus, eumne ipsum putabis

ut 6, 13. 14. cll. Jes. 34, 4; 18, 2. cll. Jes. 13, 21. 21, 9. 34, 14. Jer. 50, 39; 18, 4. 5. cll. Jer. 51, 6. 9. 45; 18, 7. cll. Jes. 47, 7. 8; 18, 21-23. cll. Jer. 25, 10. 51, 63. 64.

fuisse in ipsorum numero? tam parum modeste de se suisque sodalibus sensisse, ut sibi ipse primum tribuerit splendorem et gloriam? Talia puto ut ab apostolis semper aliena erant (cf. 1 Cor. 4, 8-13. Matth. 20, 20-27.), ita a Johanne potissimum apostolo, quem in evangelio et epistolis nunquam dignitatem, qua fruebatur justa, efferre et memorare, imo omnia evitare videmus, quae animum minus tenerum et modestum signant. Si vero alium quenquam praeter apostolos duodecim rei christianae fautorem et magistrum laudem istam duodecim illis, quos summos venerabatur coryphaeos, tribuere sumimus, omnia plana sunt et justa.

Sed licet hinc aliud concludere ad rem ipsam gravius. Cum enim scripto huic, quae ad apostolum Johannem ducant, indicia insint nulla, hoc simul auctorem se apostolum huno non simulasse monstrat. Si enim omnia, quae ex hoc genere circa illam aetatem scripta sunt, opera perlustramus, auctores quo facilius coaevorum veteres prophetas et pios unice venerantium animos moverent, semper fere veteris cujusdam prophetae et doctoris pii personam induisse videmus. Conferas Danielem, Henochum, Pseudoesram, alios. A quo quidem aevi sui more (nam labem seu culpam nominare nolim, cum idem fere apud omnes populos antiquos frequentissimum et non temere institutum sit) nostrum auctorem, primum fortasse inter christianos hujus generis scriptorem, se immunem servasse ex collatis illis similis argumenti operum auctoribus satis elucet. Qui dum enixo studio veteris prophetae vitam et dignitatem sic aemulantur, ut eos diversam tamen personam induere ex fictione haud aegre et difficulter cognoscas, noster ne verbum quidem, quod apostolum loqui significet, immiscere studet, ut eum non alieno, sed suo nomine omnia lectoribus exhibere intelligas.

Habemus igitur Johannem quidem auctorem, sed eum ab apostolo diversum [1]), eumque aliunde haud notum; qui enim Johannes Act. 15, 37. 39. Marci cognomen gerit, is cum ipse Marcus evangelii scriptor sermone graeco a nostro auctore satis alienus fuisse videatur, non minus huc pertinere videtur quam Johannes synedrii assessor Act. 4, 6, quem quis forsan Christi fidem postea amplexum esse putet. Maneat unum hoc, Johannem hunc prophetam Hierosolymis, ut videtur, in Judaeorum scholis educatum et serius in Asiae regiones delapsum opus edidisse. Quod quidem opus quam facile seculo secundo Johanni apostolo clarioris nominis tribui potuerit satis apparet.

Sunt quidem apud patres veteres, qui apostolum auctorem negabant, de diverso auctore rumores varii, sed ii tam vagi ut certa iis haberi nequeat fides. Vero quidem proxima erat Dionysii Alexandrini sententia, Johannem forsan diversum libri auctorem esse conjicientis; quod vel historia duce probari possit, si Papiae fidem justam habuit Eusebius (h. e. 3, 25. 39. 7, 25.), Ephesi se Johannis cujusdam presbyteri tumulum juxta apostoli tumulum vidisse affirmanti. Sed cum Eusebius probabiliter (εἰκός) tantum diversum hunc Johannem intelligi posse operis auctorem dicat, rumorem sane habemus vagum, cujus originem et fidem nescimus. Qui vero inter veteres Cerinthum auctorem faciunt (v. supra p. 62.), non faciunt hoc nisi quod cum librum apostolo tribuere dubitarent, auctorem ejus alium eumque haereticum et invisum circumspiciebant; unde facile ad Cerinthum apostoli coaevum et inimicum auctorem cogitandum delapsi sunt. Quam de Cerintho libri hujus, quasi spurius sit et ex fictione apostoli nomen prae se ferat, auctore qui

1) nam apostolum evangelii et epistolarum auctorem esse nullus dubito, quae nostris temporibus contra hanc sententiam monita sunt, argumentis idoneis destitui putans.

recentioribus temporibus resuscitare et novis argumentis defendere conati sunt [1]), ii sane a vero procul absunt librum spurium esse temere sibi persuadentes nec, quam mala fide veteres isti pauci patres de Cerintho auctore loquantur, secum reputantes. Igitur in auctorem distinctius cognoscendum inquirere desinamus, in rebus antiquitatis, quis scripti ullius auctor esse nequeat, quam quis fuerit, nunc quidem facilius et certius nos investigare posse cogitantes. Librum vero si non spurium, sed apostolo tamen non tribuendum esse statuimus, nihil inde auctoritati ejus detrahitur justae. Nam, cum omnino libri cujusdam sacri gravitas non ab auctore, sed ab argumento totaque indole sua proba sui ipsa patrocinium sustinente pendeat, nil omnino libro huic inest, quod plurimos aevi illius Christianos non idem sensisse putes; quaeque ad miseros coaevos solandos affert, ea ipsa qua depicta sunt forma tum quidem plurimam vim habuisse patet. Et quanquam nostris temporibus paucas tantum ex hoc libro ideas in vulgi usum adhiberi posse plurimi jure forsan statuant, at gratulemur literis his unum saltem hujus generis ex antiquitate christiana summa scriptum superesse idque tantis virtutibus ornatum ut majore etiam, quam Danielis liber, jure in canone servatum esse fatendum sit.

Et ita quidem si de auctore omni, ut putamus, difficultate remota statuimus, non nova prorsus et inaudita, sed dilucidiora tantum et veriora effari nobis videmur. Nam dum de evangelio et epistolis apostolo tribuendis nunquam nisi recentioribus temporibus dubitatum est a

1) (Oederi) christl. freye Untersuchung über die sogen. Offenb. Joh. Hal. 1769. Eum defendunt (Strothii) freymüth. Unters. die O. J. betreffend. Hal. 1771. Semler Abhandl. von freyer Unters. des Kan. T. I. append.; neue Untersuchung über Apoc. Hal. 1776. theolog. Briefe St. 1. 2. imprimis Mich. Merkelii hist. krit. Aufklär. der Streitigkeiten der Aloger 1782; umständlicher Beweis dafs die Apoc. ein untergeschobenes Buch sei 1785.

quibusdam rem haud perspectam in dubium vocantibus, de apocalypsi, an apostolo debeatur, qui dubitarent, omni seculo, quo literae floruere, exstitisse videmus viros plures et graves. Vidimus plures patres dubitasse, quos inter Dionysii Alexandrini acumen grave et dexteritatem sinceram maxime suspicimus. Lutherum dubitantem plurimi seculo isto secuti sunt, ut inter Lutheri asseclas paullo etiam indignius de libro judicatum sit [1]); cumque deinde seculo decimo septimo et octavi initio sensus depressioris et nimis anxii vincula ut totam theologicam disciplinam coarctassent sic judicium de hoc quoque libro mutassent, haud mirum sane, quod inde fere ab anno 1770 quidam apostoli, ut culpae ipsis dabatur, inimici prodibant, quanquam hi omnes fere, quasi nimis diu veritate fraenis cohibita, nimis acerbe de libro judicabant, adeo ut et spurium et canone indignum censerent plurimaque contra apostolum argumenta infirma, falsa, quaesita, studio corraderent [2]). Qui quo iniquius de opere judicaverant, ut verum quod ipsorum sententiae inerant, falsa plurima et anxio studio quaesita obumbrarent, eo enixius Herderus, Hartwig, Eichhornius quique

1) cf. Hartwig T. III. p. 34 sqq. Oeder p. 51. 313.

2) Oeder et qui eum sequuntur; cautius dubitaverat J. D. Michaelis introd. in N. T. per omnes quatuor editiones. Praeiverat (Abauzit) discours sur l'Apoc. in oeuvres. Lond. 1770. cf. (Corrodi) Beleucht. der Gesch. des Bibelkanons. T. II. p. 301 - 352. Apostolum defenderunt: Chr. Fr. Schmid krit. Unters. ob die O. J. ein ächtes göttl. Buch sei. Lips. 1771. Reufs Vertheidig. der O. J. 1772. Knittel Beitr. zur Krit. über J. O. 1773. Lüderwald Bemühungen zur gründlichen Beurtheil. der O. J. Helmst. 1777. Hartwig Apologie der Apoc. T. 1 - 4; Hering neue Abhandl. über Ignat. u. Apoc. Vratisl. 1783. Storr neue Apol. der O. J. 1783; über den Zweck der ev. Gesch. Joh. p. 70 sqq. Eichhorn. bilioth. bibl. T. III. p. 571 sqq. Kleuker Aechtheit u. Glaubwürdigkeit der Urkunden des Christenth. T. IV. 1799. Wetstein N. T. II. p. 740. plurimique alii.

eos plurimi secuti sunt, bonam libri fidem tueri bene studebant; quae autem ad opus apostolo tribuendum argumenta proferunt, ea (apud Herderum et Hartwigium potissimum) speciosa et splendida dixeris, vera habere non poteris. Quare nostro tandem aevo gratulemur, quod inter duo haec quae diu sibi inimica ita obstiterunt, ut falsi et veri utrinque esset multum, id potius eligit unicum, cui falsi (quantum hac aetate antiquitatem assequi licet) et iniqui nihil admixtum est. Stet et stabit sua auctoritate liber; apostolum tamen ejus auctorem esse negamus.

§. 11.

Interpretes.

Libri hujus sensus coaevis auctoris satis erat perspicuus, ut prudentiores saltem, qui obscurius prolata (cf. p. 8. 9.) ex eruditionis judaicae ingenio interpretarentur, in eo errare non potuisse certum tibi persuadeas. Sed quam repente omnia mutata sunt! Nero, qualis exspectabatur, antichristus non exstitit, nec cetera ita evenere, ut vatis coaevorum spes ferebat; mutataque tota rerum facie notiones simul ex tempore auctoris notae, quibus instructus aequales cohortatus erat, paullatim obliterabantur. Quare haud miramur, quod seculi jam secundi initio sensum libri non bene assequebantur lectores. Cum enim talis sit hic liber, ut totus ex tempore auctoris natus et coaevorum tantum auctoris usui proximo inserviturus non possit rite explicari, nisi ubique perfectam quantum fieri potest et veram temporis hujus imaginem animo teneamus infixam, quomodo librum intelligere poterant seculi secundi et sequentium lectores, qui cum mutata rerum facie aequalium auctoris eorumque necessitatum obliti quae libro inest de rebus futuris spes, eam totam et eadem qua descriptae sunt forma sibi vel posteris exspectandam putarunt? qui omnia ad futurum tem-

pus et remotum retulerunt, quae auctor coaevis suis proxime instarent optaverat? Quae de libro hoc opinio auctoris menti prorsus contraria quousque invaluit, spissis semper tenebris involutus jacuit sensus genuinus lateque interpretandi libido vagis finibus oberravit. Accessit aliud, quod ad libri sensum seculo jam secundo obscurandum plurimum valuit. Est enim liber totus, ut ita dicam, in judaismo scriptus, fortius etiam quam ceteri omnes N. T. libri Judaeorum artem, ingenium, notiones messianas, cetera referens. Sed eversis Hierosolymis postquam Judaei paullatim notiones de Messia mutarunt et omnino Christianis alieniores facti erant, inter Christianos potissimum graece doctos obliterari coeperunt imagines et notiones judaicae; quae oblivio cum omnium N. T. scriptorum interpretationem apud Patres dubiam reddidit et obscuram, tum hujus potissimum libri omnium maxime judaicis istis notionibus referti. Eademque Danielis libri interpretationis fuit sors.

1. Quare haud miramur, quod liber hic, cujus sensus post triginta forsan annos jam plurimis obscurus videri poterat, Patribus jam seculi secundi male intellectus est, quanquam Irenaeus tamen a vetustioribus quibusdam quaedam de libri sensu vera edoctus erat (v. ad 13, 18). Videturque jam seculo secundo et tertii initio acer de libri obscuri, qui videbatur, et miri interpretatione dissensus viguisse, unde scripta plura et commentarios de hoc libro prius jam, quam de alio N. T. libro constat, editos fuisse probabile est (cf. supra p. 59; adde de Hippolyto Assem. bibl. or. T. 3. P. 1. p. 15). Quae scripta quod aetatem non tulerunt eo acerbius dolemus, quo minus de vero Patrum antiquissimorum circa librum hunc judicio certo nobis constat. Serius autem cum liber in Graecorum et ex parte Latinorum ecclesiis legi non soleret, et inter Graecos potissimum haud pauci sinistre de eo judicarent (Epiphan. haer. 51. 77, 26), non

codices tantum pauciores descripti sunt, iique sermonem plerumque libri peculiarem (§. 6.), quo limatior evaderet, varie mutantes; sed commentarii etiam in eum pauci nec bonae notae editi sunt. Inter Graecos solus Andreas, Caesareae Cappadociae episcopus Epiphanio serior (cf. supra p. 56), seculi igitur forsan quinti vel sexti scriptor, commentarium etiamnunc superstitem confecit (ed. Fr. Sylburgius Basil. 1596); quem serius Arethas [1]) auctum et emendatum iterum edidit (legitur ejus commentarius in Oecumenii opp. ed. Paris. T. II.). Inter Patres Latinos Primasius, Ambrosiaster, Pseudovictorinus potissimi sunt interpretes. Qui quantum in interpretatione erraverint, cum hodie in confesso sit, fusius hic exponere non juvat; omnesque ita discrepant, ut historiam explicationum apocalypticarum scripturo latissime exspatiandum sit. Cum enim, quod de toto opere statuerent, firmi nil haberent, interpretatio in singulis semper erat vaga et temeraria et pro aetatis cujusque ingenio et historia diversa. Ita de regni milliarii c. 20. et adventus Christi definiendo tempore et sensu eruendo incassum desudavere; et monstri horrendi c. 13. descripti, quod futurum exspectari posse rebantur, imago ad cujusque aetatis monstrum maxime invisum traducta est [2]).

2. Quae perversa interpretandi ratio sacrorum reformatorum tempore indolem suam non mutavit. Nam plerisque inhaesit opinio Papam ejusque impietatem c. 13 sqq. describi; alii, inter quos Newton et Bengel eminent, temporum futurorum supputationem magna sed inani opera instituerunt [3]). A quibus hallucinationibus in me-

1) erat hic idem Caesareae episcopus; sed de aetate ejus ambigitur.

2) ut a Franciscanis ad Papam v. Gieseleri hist. eccles. II. 2. p. 306 - 312.

3) ex hac aetate qui conferantur, dignissimi sunt Camp. Vitringa anacrisis apocalypsios J. A. ed. II. Amstelod. 1719. J. A. Bengel erklärte Offenbar. J. 1758.

liorem paullo viam redierunt qui vatem Hierosolymae mox evertendae imaginem depinxisse paullatim fidentius putarunt [1]); sic enim argumentum saltem aetati scriptoris convenit. Veriusque, nec tamen omni ex parte verum, ab aliis [2]) deinde Hierosolymae et Romae interitum vatem cecinisse creditum esse, supra jam §. 1—4. est expositum. Qui singula omnia explicarent, apocalypsis nacta est nostris temporibus pauciores, ut qui totum librum iterum perlustretur, haud inutilem navare videatur operam.

1) his interpretibus, quorum princeps Herderus est (cf. p. 28.) praeiverat Lakemacher observatt. philolog. P. 3. 40. cf. Hering l. c. p. 103. 104.

2) J. G. Eichhorni comment. in ap. J. Gott. 1791. quem sequuntur F. W. Hagen Sieg des Christenth. über Judenth. u. Heidenth. 1796. S. G. Lange Schriften des Joh. T. I. 1795. Heinrichs in Nov. T. Koppiani T. X. P. 1. 2. Gott. 1818. 21. aliique. — Taceo interpretes de toto N. T. agentes, inter quos tamen liber: exegetisches Handbuch über das N. T. apocalypsin omnium pessime explicat.

PROOEMIUM LIBRI C. 1—3.

I. INSCRIPTIO ET INTROITUS.

Cap. 1, 1—8.

1. Inscriptionem, si quae operibus praemittenda videbatur, veteres Orientis scriptores ipsi operi ita annectere amant, ut argumentum simul summum latius exponant, finem scriptionis aperiant, et, quod imprimis libris populi erudiendi causa scriptis convenit, lectoris diligentis operam commendent; cf. Prov. 1, 1-7. et prae ceteris Enoch. c. 1-6. *Ἀποκάλυψις* (*ἀποκαλύπτειν* vox sequioris graecitatis pro *ἀνακαλ.*) *revelatio, manifestatio rei occultae* in N. T. non nisi de rebus divinis obvium, sensu objectivo doctrinam quamcunque vel persuasionem denotat, quam quis non hominum institutioni debet (Gal. 1, 12. 2, 2), sed sensui in sui ipsius animi penetralibus nato; quo se insigniter motos et elatos videntes veteres prophetae et doctores, grato animo a deo sibi suggesta esse ejusmodi consilia persuasum sibi habebant; unde fere idem est *ἀποκάλυψις* quod *ὀπτασία* 2 Cor. 12, 1. 7.; sensu vero subjectivo cum genitivo rei conjunctum est declaratio doctrinae ejusmodi, ut *ἀποκ. μυστηρίου* declaratio doctrinae ejusmodi obscurioris quam vulgi acumen non tangit, propheta ad legis divinae normam exponit, *ἀποκ. τῶν μελλόντων*, rerum futurarum, quas, quomodo a deo imminere possint, figurarum et imaginum ope repraesentant vates (cf. גִּלָּה עֵינֵי LXX. *ἀποκαλύπτειν ὀφθαλμοὺς* Num. 22, 31. 24, 4. 16.); cum genit. autem *personae*, ut hic positum est, declaratio rerum illius generis, quam quis tradit. Fingit enim Johannes, rerum futurarum, soli deo notarum, imagines a Christo, cui a deo patefactae sunt, per se interpretem Christianis monstrari (5, 1. 6, 1 sqq.); ex qua summa totius libri idea hic occupata explicanda verba: *ἀποκάλυψις ιησοῦ ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ θεός* (male Heinrichs comm. de *φανερώσει* s. apparitione Christi subita cogitat, quae quanquam usu Paulino, quem more suo Petrinae prioris scriptor 1, 7. 13. 4, 13. 5, 1. et nonnunquam Lucas sequitur Ev. 17, 30., *ἀποκάλυψις χριστοῦ* dici queat, tamen ab hujus loci indole librorumque nomine *ἀποκαλύψεων* insignitorum more aliena est;

dicendum fuisset *βίβλος τῆς ἀποκ.*). Dedit Deus Christo revelationem istam *δεῖξαι ut monstraret* (verbum proprium de visionibus in quibus deus rerum futurarum imagines vati ob oculos ponit cf. הִרְאָה Amos 7, 1. 4. Enoch 79, 1) *cultoribus suis ἃ δεῖ γενέσθαι ἐν τάχει* quae evenire *debent* i. e. certissime evenient, ut dubitatio non adsit cf. 4, 1. 22, 6. pertinet enim ad poesium hujus generis paraeneticarum fictionem, ut prophetae, quo firmiorem miseris spem faciant, eventu non destitui poenae impiis infligendae et sortis piorum laetioris nuncium diserte affirment, imo vel ut fidem ei habeant, omnes graviter admoneant cf. 22, 6. 4 Esr. 15, 2. et imprimis Enoch 103, 1. 104, 1. Quod autem adjecit *ἐν τάχει celeriter* haec eventura esse, satis verum est, si cogitemus ipsum scriptoris Christianos consolantis et admonentis consilium postulare, ut poenam impiorum non diu moraturam seu quod ad idem redit, adventum Jesu vindicis mox instantem sisteret (cf. *ὁ καιρὸς ἐγγύς* 1, 3. 22, 6. 10. 12. 20), et quanquam quae deinceps de rebus sperandis tradit 6, 1-22, 5. non nisi plurium forsan annorum serie pandi possint, at poenae impiorum initii saltem mox imminentis spem faceret certissimam; eademque omnium similium operum est ratio. Istam *ἀποκάλυψιν* Christus Johanni *ἐσήμανεν* (idem fere quod *ἔδειξε*, de rebus futuris *signis* et imaginibus *indicandis* Act. 11, 28.) *significavit ἀποστείλας διὰ τοῦ ἀγγέλου* quae verba multis obscura visa aut ita explicari possunt, ut *ἀποκάλυψιν* suppleatur: *mittens revelationem per angelum*, quod tamen minus probatur (nam Arabum نزل in Corano, هبط Lemming spec. ex Abu Scherifo p. 25, 1. Nicoll catal. bibl. Bodl. p. 56 b. 76 a. 84 a. et similia notant magis *oraculum e coelo cadens, demissum*, ut נָפַל Jes. 9, 7), aut conferenda est Hebraeorum locutio שָׁלַח בְּיַד *mittere* (absolute, hinsenden) *per nuncium* Ex. 4, 13. 1 Reg. 2, 15. ubi nos dicimus *mittere nuncium*; quae ratio probatur simili loco 22, 6. De *angelorum* in his visionibus interventu v. p. 8; id vero hic mirum videri possit, *unum* tantum angelum memorari, quanquam infra 17, 1. 21, 9. aliorum etiam Johannem de signis docentium mentio fit. Res sic cogitanda. Unus tantum angelus [1]) et ab initio Johanni

1) Cum Christus eum semper τὸν ἄγγελόν μου dicat, intelligendus est *angelus Christi*, ut *angelus spiritus sancti* memoratur Ascens. Jes. 7, 23. — Ceterum Storr Apolog. der Offenb.

apparet in coelum eum vocans 4, 1. et per singulas visiones eum comitatur, quanquam raro mentio ejus ibi injicitur, et tandem conspectis omnibus quae conspicienda erant, solus eum dimittit 22, 6–17; possunt tamen et alii interpretis munere subinde fungi, imprimis rerum repraesentandarum, quas ipsi gerunt, gnarissimi; et hi quidem suis muneribus et nominibus distinguuntur ut 17, 1. 21, 9., illius nomen in visionum serie, utpote ab initio noti, reticetur (cf. *λέγει* 19, 9. 21, 5. *εἶπε* 22, 6. Similiter in Enochi libro, quanquam plures angeli subinde Enocho coelestia monstrant, unus tamen Uriel plurima ostendit. — V. 2. Interpretatio imprimis in vocabulis *μαρτυρία χριστοῦ* rite explicandis vertitur: quae cum ex usu Apocalypsi prorsus singulari firmam de doctrina christiana persuasionem *publica professione* et factis conspicuam denotet (1, 9. 6, 9. 12, 11. 17. 19, 10. 20, 4. *μαρτυρεῖν τινα publice profiteri* doctrinam alicujus, fere ut *ὁμολογεῖν*, ܐܘܕܝ, cf. imprimis Arabum etc. اشهد ان لا اله *testor*, publice coram testibus profiteor, *unicum esse deum* unde شَاهِد *μαρτυς* Pococke spec. h. A. p. 180.) sensus esse debet: qui *professsus est doctrinam dei et christum* (ita *λογος θ.* cum *μαρτ. χ.* conjungitur in sola Apocalypsi cf. 1, 9. 6, 9. 20, 4. quo Christi asseclae a Judaeis distinguantur), qui religionem christianam publice confiteri et tueri non erubuit; quod enim ante omnia in libro hoc commendatur, quod cuique christiano praecipitur, ut ne Christi signa relinquant, idem a se non neglectum testatur scriptor; cf. imprimis v. 9. Quae si vere ita intelligenda sunt, Johannes igitur hic simpliciter se asseclam strenuum, non doctorem doctrinae christianae nominat, sequentia *ὅσα εἶδεν*, quae vulgo ad doctorem eumque testem Jesu oculatum referunt, ab hoc nexu prorsus aliena sunt, legendumque cum plurimis codd. et verss. *ὅσα τε*, ut *ἐμαρτύρησε* sensu ex nostro sermone paullo immutato ad hoc etiam referatur: *qui professus est religionem christianam et* (declaravit) *quae vidit*, visiones cf. *γράψον ἃ εἶδες* 1, 19. Altera ista lectio quomodo ex falsa de apostolo Johanne, Jesu teste, opinione oriri potuerit, facile apparet. Non nego alibi semper (cf. tamen 21, 12. se-

p. 360 sqq. utrumque angelum eundem fuisse, contra Johannis sensum demonstrare voluisse videtur.

cundum codd. plures) *καί*, non *τέ* in Apocalypsi reperiri; at praeter Lucam et Paulum, qui *τέ* saepissime adhibent, alii quoque, ut Marcus et Matthaeus ita *καί* ponunt, ut rarissime tantum *τέ* usurpent (Mat. 28, 12). Multos veterum hanc interpretationem tenuisse inde apparet quod praeter Andream codd. et verss. satis multae addunt: *καὶ ἅτινά ἐστιν καὶ ἃ χρὴ γενέσθαι μετὰ ταῦτα.* — V. 3. Quo propius poenae impiis, merces probis instent (*ὁ καιρός* simpliciter de tempore exspectatissimo, Christi nempe vindicis advenientis, dicitur Luc. 21, 3), eo diligentius observanda animoque recolenda (*τηρῶν*) sunt quae liber de iis tradit. Constat autem in coetibus sacris unum fere semper epistolas et alia praelegisse (cf. *ἀκροαταὶ νόμου* Rom. 2, 13. Justin. M. Apol. I. c. 87. Suiceri thes. eccles. p. 251.); hinc ab initio *unum* anagnosten a ceteris, librum ex praelectione cognoscentibus, distinguit.

2. *Introitus epistolicus* v. 4—8. Opus suum septem Asiae proconsularis ecclesiis (v. ad 2, 1.) inscribens in ipsa salutandi formula prophetam se gerit Johannes. Jam enim visionum, quae sequentur, imaginibus plenus ecclesiis non simpliciter, ut in aliis epistolis, *ἀπὸ θεοῦ καὶ χριστοῦ* salutem precatur, sed gravius a deo, qualem in visionibus conspexit, et a Christo, suos ad fidem hortante et instigante moxque promissis de poenis impiorum et salute proborum datis adventu suo satisfacturo. Quo introitu nil potest aut gravius et splendidius aut fini hujus libri summo aptius cogitari. Ipsa salutanda formula adeo epistolarum Pauli (non Johannis secundae et tertiae) formam et verba refert, ut scriptorem ad eas se composuisse facile credas. Praemissa enim sueta Graecorum forma *Ἰωάννης ταῖς ἐκκλησίαις* addit salutem favoremque divinum lectoribus apprecans *χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη*, tandemque mentione Christi meritorum inductus doxologiam adjungit, ut Gal. 1, 2. 3. Dei nomen circumscribunt verba *ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος* (*instans* i. e. *futurus*, ut הַבָּא Marc. 10, 30. caret lingua hebraea participio quale est *ἐσόμενος*); notum enim, Hebraeos nomen, uti videtur, non hebraeum יְהֹוָה pro etymologiae apud veteres ambiguitate et lusu vario modo ex הָיָה s. הָוָה derivantes ad linguae suae usum retulisse; vetus quidam scriptor per אֶהְיֶה *ero* explicat, quia Jehova *futurum* se Mosis praesidium et Hebraeorum vindicem pollicetur

Ex. 3, 12—15; sequior aetas arcana in literis vocum captans ex regula cabbalistica *Notaricon*, qua verbum unum in plura disjici potest (v. Waehneri antiquit. Ebr. T. I. p. 418 sq.), tria vocabula subtiliter ex uno isto exsculpsit, unde unum illud contractum putabant: הָיָה, הֹוֶה, יִהְיֶה *fuit, est, erit*, Kamez, Cholem, et Jod ex יִהְיֶה desumto; loca v. ap. Wetst. cll. Saadiae vers. arab. Ex. 3, 14. Cumque praeterea Judaei sanctum Jehovae nomen reticendum esse sanxissent (cf. simile ineffabilis nominis divini exemplum Romanum ap. Macrob. Sat. 3, 9.), Johannes et hic et alibi nomen istud circumscribere maluit. Ceterum notandum, omnia vocabula, quia unum nomen proprium exhibent, extra grammaticae relationis concinnitatem poni, et ἦν post articulum pro participio praeterito poni, quo caret lingua graeca. — De *septem spiritibus* haec tenenda sunt. Vim divinam in terra se exserentem (τὸ πνεῦμα) antiquitus Hebraei unam semper eandemque habuere, et si quando humano more singulas, quae in uno πνεύματι distingui possunt, virtutes et vires segregarunt, ab eodem tamen πνεύματι derivavere Jes. 11, 2. Serius paullatim, imprimis exteris Chaldaeorum Persarumque philosophematibus admixtis, non tantum τὸ πνεῦμα ut substantia a deo segregata et dei ministra mundum permeans cogitari coepit 1 Reg. 22, 21. sed etiam singulae dei vires et virtutes magis magisque separatae et quasi divisae substantiarum a deo diversarum speciem induebant; solebantque a Judaeis simul ad *numerum* quendam sacrum, ut *ternarium*, *septenarium* (male id ex Jes. 11, 2. derivavere), *denarium* revocari. Vario id cernitur modo. *Primum* enim *septem*, qui numerus vulgatissimus fuit, πνεύματα thronum dei ut substantias flammis coruscantes ornare fingebant, unde *lampades ardentes* dicuntur 4, 5. vel *oculi* dei fulgentes 5, 6. cll. Zach. 3, 9. 4, 8. 10. (cf. Pirke Elieser c. 4: *oculi dei per universam terram vagantur, pars est ignis pars grando*): ut enim ipse deus non augustiore imagine quam *ignis* et *lucis summae* veteribus imprimis post Zendavestae placita cogitabatur (v. praeter Zendavestam Ex. 19, 18—24. Dan. 7, 9. 10. 1 Tim. 6, 16. Enoch. 14, 12—24. 39, 7. Ascensio Jes. 8, 21—25.), ita spiritus quoque ejus substantiae fingi poterant flammantes et quasi lampades thronum dei luce ornantes; simulque, cum spiritus hi dei totum mundum perlustrantis vim signent, *oculi* dei lucidi

mundum permeantes bene dicuntur. Alii deinde alia ratione septem haec *πνεύματα* dei ministra angelos dixere septem summos thronum dei stipantes Tob. 12, 15. Enoch. c. 20. Targ. Pseudojon. in Gen. 11, 7. v. infra ad 8, 2: ducti imprimis throni Persarum regis septem ministris regis summis cincti (Esr. 7, 14. Est. 1, 14.) et hinc throni Ormuzdi septem lucis principibus stipati (Zendav. min. T. II. p. 44.) imagine. Ex priore ista lampadum *lucidarum* imagine spiritus hi illustre nomen סְפִירוֹת [1]) nacti esse videntur. *Deinde*, cum Kabbalistarum ingenium in nominibus et numeris istis subtiliter se exerceret, virtutes seu vires istae divinae non tantum in ordinem certum coactae sunt, sed etiam qua paullatim ratione e deo quasi emanaverint, quae vires summae, quae derivatae sint, variis imaginibus sive arboris in ramos propullulantis sive corporis humani formae sive circulorum medium ut dei sedem cingentium depingere audebant. Ordo maxime vulgaris (v. alium ap. Buxt. l. c.), ad regis humani formam compositus, hic est, ut nomini אֵין סוֹף *immensi, aeterni* (dei) addantur *tres* superiores Sefirot: כֶּתֶר *corona* quasi caput, חָכְמָה et בִּינָה *sapientia* et *intelligentia* qs. oculi, et septem inferiores: גְּדוּלָּה et גְּבוּרָה *magnitudo* et *fortitudo* qs. humeri et brachia (cf. 2. Chr. 32, 8.), תִּפְאֶרֶת *decus* qs. cingulum medii corporis, נֶצַח et הוֹד *gloria et majestas* qs. lumbi, qui saepius armis s. gloria cingi dicuntur (Ps. 104, 1.), יְסוֹד *fundamentum* s. pedes et מַלְכוּת *regnum* ut pedibus subjectum; cf. Schöttgen hor. talm. T. II. p. 362. Knorr de Rosenroth Kabbala denud. T. I. p. 14. 96. Eichhornii biblioth. T. III. et V. Beer Geschichte der Juden T. II. p. 61. At haec ab Apocalypsi prorsus aliena, certe quae nunquam vel levissime tanguntur, serius demum ita excogitata videntur. *Denique* satis mature jam sacros istos

1) *luces* (luciditates) cf. Maimon More neb. c. 19. Buxtorf lex. chald. p. 1536 sq. סָפַר سفر est 1) *abradere*, *detergere*, *polire* unde סֵפֶר *liber* 2) hinc *nitidum*, *lucidum reddere*; unde intransitive *lucere* ut apud Lemming spec. ex Abu-Scherifo p. 19. 26. ipse lapis pellucidus סַפִּיר *σαπφειρος* hinc nominatur. Ceterae enim quas afferunt nominis Sefirot explicationes ut *numerationes*, *spirae* (a *σπεῖρα*, *σφαῖρα*) et per se durae et serius natae videntur.

numeros et virtutum et laudum divinarum in solennibus nominis divini invocandi formulis seu doxologiis exprimere consueverant, ut *tres* Apoc. 4, 9. 11. Matth. 6, 13. *septem* Apoc. 5, 12. 7, 12. Enoch 60, 14. et, quod rarius tantum divinae majestatis et sanctitatis quantum pote tollendae inservit, *decem* 1 Chron. 29, 11. 12. Quae hic in transitu ad multos deinceps Apocalypseos locos illustrandos notata sint. Unum praeterea noto hoc, male nonnullos cum Schöttgen. hor. hebr. T. II. p. 362. *septem* spiritus de *uno* interpretari. — V. 5. Christi gloria ex fine totius libri multo splendidius et fusius celebranda est quam dei; est is *ὁ μάρτυς ὁ πιστός* qui iis quae *testatus est* (i. e. publice affirmavit ut certum Joh. 7, 7.) *fidem facit*, promissis suis de servandis christianis firmiter stat, id quod imprimis ad hujus libri argumentum egregie aptum est cf. 22, 20; porro *ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν qui primus genitus est ex mortuis*, cum jam inter mortuos esset, primus inter homines quasi denuo natus est (quae satis insolita loquendi ratio ex Col. 1, 18. fluxisse videtur; nec mirum *genitum* simpliciter pro *iterum genito* dici, cum similiter Hebraei et Arabes (cf. impr. Cor. Sur. 2, 26.) חָיָה حيّ de *reviviscente* usurpent; si autem in vitam jam prius restitutus est Christus, quanto facilius vindex in hanc terram redire potest!); denique *ὁ ἄρχων princeps omnium regum*, quod satis notum Messiae praedicatum ex Pss. 2. 110. ductum imprimis in scriptis ejusmodi, quibus coaevos a *regum* impiorum saevitia oppressos consolantur poetae, non sine causa toties inculcatur cf. Enoch 46, 3. 4. 47, 7—11. — Verbis *τῷ ἀγαπῶντι* versus 6. initium constituendum est. A peccatis, quae ut maculae corpus polluunt ideoque *ablui* dici possunt (כִּבֵּס מִן Ps. 51, 4. 9.) emendari volentes abluit i. e. insontes reddidit, liberavit Christus *sanguine suo* effuso, allusione facta ad sanguinem victimarum peccata delentem Hebr. 9, 13. 14; alibi pro *λούειν ἀπό* (quae est vera lectio pro faciliori *λύειν*) hac notione legitur *ῥαντίζειν ἀπό* Hebr. 10, 22. Ita vero si Christiani vitiis expertes et deo accepti facti sunt, vocare eos licet *reges et sacerdotes dei*, utrumque ex notionibus illius aevi. De sacerdotibus res aperta: si enim Christiani vitiis purgati mundi et sancti sunt, sacerdotum, quos veteres et mundissimos et deo carissimos putarunt, nomine digni sunt, sublato inter sacerdotes et plebem discrimine; est-

que haec idea de omnibus Israelitis sacerdotum dignitatem, si velint, attingentibus Ex. 19, 6. ex purioribus et vere divinis Mosaismi effatis; *regum* autem nomen alio ex tempore et fonte derivatum videtur. Notum Judaeos post exilium se cum Messia victore ceteris gentibus, quibus se saepius gravissime oppressos viderant, imperaturos putasse (cf. Dan. 7, 18. 27; fons opinionis est imprimis Ps. 2, 8. 9. ad Messiam translatus); quam de regno dei non sine superbia quadam mox accedente conceptam opinionem sapienter Jesus et ejus discipuli sic limitarunt, ut *probos* et *fidos* tantum olim cum Christo regnaturos declararent, quasi ipsa postularet justitiae aeternae ratio, ut qui inter innumera, quibus jam premantur, mala probi et constantes regios mores prae se ferunt, ii olim ceteris feliciores et potentiores se futuros sperent cf. 1 Cor. 6, 2 sqq. 2 Tim. 2, 12. Apoc. 2, 26. 27. 3, 21. 5, 10. 20, 6. 22, 5. quae non de tyrannide in alios exercenda, sed de quieto tantum et servitutem duram subire nescio rerum christianarum statu intelligenda sunt. Istam vero de *regnaturo* populo Israelitico sententiam ex Pentateucho eruere cupientes Judaei illi verba מַמְלֶכֶת כֹּהֲנִים Ex. 19, 6. (proprie *regnum sacerdotum* i. e. populus, cujus cives omnes ut sacerdotes sunt, Deo regi subjectus [1]) sedulo sic exposuisse videntur, ut מַמְלֶכֶת a statu constructo divellerent: *regnum* i. e. *reges*, *sacerdotes*, addita nonnunquam et *copula*, quae sane ex hac interpretatione omitti non poterat (cf. Onkel. et Jonath. Targ. similiter LXX *βασίλειον ἱεράτευμα* unde hoc sumtum 1 Pet. 2, 5. 9.). Ex qua eadem interpretatione sui aevi Johannes hic *βασιλείαν ἱερεῖς* sejunctim reddit, vestigia textus hebraei exacte premens, quae eum non pro *βασιλείαν ἱερέων* scripsisse inde apparet, quod talis juncturae exemplum frustra alibi in Apocalypsi quaeris, v. p. 46. *δόξα καὶ κράτος* כָּבוֹד וָעֹז *gloria et laus* 5, 13. 1 Pet. 4, 11. 5, 11. verba enim *roboris*, *fortitudinis* ad laudem inde natam transferuntur. — V. 7. Salutem Christianis a Christo vindice mox adventuro dicens argumentum totius libri hic jam occupat, celeriter a salutandi formula in propheticum sermonem delabens. Ipsam adventus descriptionem ex dictis V. T. fere totam componit;

1) aliter Storr Apologie p. 414. *regios sacerdotes* explicat, quod verbis tamen inesse nequit.

forsan tamen ob oculos jam erat locus Matth. 24, 30. Messiam e coelo adventantem, *nubibus* igitur, quibus dii hominibus appropinquantes se tegere solent (Nah. 1, 3.), vectum primus, quantum constat, Dan. 7, 13. finxit, unde serius Judaei Messiae praedicatum עֲנָנִי seu בַּר נִבְלִי (v. Bengel Archiv. für Theol. P. 8. p. 24.) constituere. Vindicem eum delapsum videbunt *omnes* (πᾶς ὀφθαλμός), impii quoque, quibus aspectus terrorem incutit (Enoch 54, 5.); sed acerrimus terror haud dubie iis imminet, qui ipsum Jesum immerito trucidarunt (*ἐκκεντεῖν transfodere* in LXX satis frequens de transfodiendo per hastam, ensem, vel de *interficiendo* omnino pro הָרַג Num. 22, 29. cf. 2 Macc. 12, 6. simulque respexit scriptor ad locum Zach. 12, 10—14. [1]) ad Messiam jam tum relatum cll. Joh. 19, 31-37). Terrentur porro ceteri inimici Christianorum et Christi tota in terra; igitur *κόψονται ἐπ' αὐτὸν*

1) Zachariae sensus diversus est. Agit enim de Judaeis tandem aliquando inter miranda, quae visuri sint, favoris divini argumenta serio poenitentibus, ut cum dolore et planctu ad deum, quem דָּקָרוּ perfoderunt, lacerarunt, violarunt, susque deque habuerunt, oculos convertant. Quem locum cum evangelium aeque Johannis 19, 37. (ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν) ac Apocalypsis ad Christum confossum ita referant, ut in utroque loco ἐκκεντεῖν legatur quanquam LXX habeant: ἐμβλέψονται πρός με ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, haud leve inde argumentum ad Apocalypsin Apostolo tribuendam duxere critici plurimi, imo gravissimum et unicum nuper commentatione peculiari praedicavit Stein in Wineri theolog. Journal. T. V. 1826. p. 21 sqq. Sed id haud ita certum. Nam primum neutiquam inde sequitur, utrumque locum ex ipso hebraeo textu recens esse ab evan. et apoc. auctore versum, ita ut bis eandem versionem primus exhibuerit. Scilicet eandem vocem ἐκκεντεῖν omnes praeter LXX versiones antiquae (Aq. Sym. Theod.) miro consensu exhibent, et si LXX verbum דָּקַר saepius per ἐκκεντεῖν, nunquam vero praeterea per κατορχεῖσθαι reddere reputes, admodum probabile est, hoc etiam loco LXX ab initio idem verbum posuisse. Diversa ista versio: *adspicient ad me propterea quod* (me) *insultarunt*, dilutior illa et verborum ex mente interpretis tenacior, serius orta videtur per recensionem fortasse Originis vel aliam. Cumque ev. Joh. semper LXX versionem sequatur, eo puto facilius credemus olim ἐκκεντεῖν in LXX lectum fuisse. Deinde non apparet, quidni idem locus, qui egregie ad Christum transferri poterat et omnibus fere seculorum istorum Christianis (v. jam Ignat. ep. ad Trall. p. 166. ed. Voss.) huc translatus est, a duobus diversis N. T. scriptoribus sermone diverso de Christo adhiberi potuerit.

plangent ob ejus adventum prorsus hebraeum וְסָפְדוּ עָלָיו phrasi translata ex Zach. 12, 10; *πᾶσαι αἱ φυλαὶ* (מִשְׁפְּחוֹת LXX Gen. 10, 32.) non sunt tribus Israeliticae, sed ex summo Apocalypseos fine, cui loquendi ratio non contradicit, *omnes populi, gentiles* etiam. — V. 8. Eventu haec non destitui promissa Christi, non tantum vocabulis *ναὶ ἀμήν* affirmat, sed etiam celeri progressu ipsius, quae dicere possit, Christi verba affert, aeternum se et potentissimum, omnibus igitur perficiendis paratum profitentis. *Τὸ ἀ καὶ ὠ* quid sit, per *ὁ πρῶτος καὶ ἔσχατος* 1, 17. 22, 13. ipse explicuit auctor; est *aeternus*, prior et posterior omnibus hominibus (quomodo primus deum appellavit Jes. 41, 4. 43, 10. 44, 6. serius saepissime *ὁ αἰώνιος* simplex est dei nomen Baruch 5, 10—22); solent ita Kabbalistae א—ת usurpare v. Schöttgen. hor. hebr. T. I. p. 1086; et Indis idem in usu, v. Frankii gr. sanscr. p. 13.) Nomine *παντοκράτωρ* notum est LXX vocabulum צְבָאוֹת exprimere, quod hic post nomen יְהוָֹה (*ὁ ὢν καὶ* etc. v. ad 1, 4.) satis apte ex V. T. usu ponitur. Ceterum cum et nexus loci et aliorum locorum collatio, ut 22, 12-16, Christum deo proximum et in apocalypsi saepius dei epithetis ornatum haec effari ostendant, lectio *ὁ κύριος* i. e. *Christus*, contra Griesbach. praeferenda est alteri *κύριος ὁ θεός*, quamquam haec plurium auctoritatum suffragia ferat.

II. *Visio prima et septem epistolae* 1, 9—3, 22.

1. *Ipsa visio* 1, 9—20. Solebant vates, quo major effatis fides haberetur, et *tempus* et *locum* accepti vaticinii notare, quod quidem hic eo lubentius imitatur Johannes, quia simul, *cur* ipse eadem quae Christiani fratres mala patiens scribere se coactum viderit, ex iis apparet. Nempe et ipse injuria oppressus scriptionis hujus idea ut se solatus erat, ita ceteros ad spem erigere et firmare voluit. In *Patmo* insula, in qua Messiam et solamen et minas septem ecclesiis scribenda sibi injunxisse fingit, versabatur *διὰ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ τὴν μαρτυρίαν ἰησοῦ*, quae alii (ut Hartwig Apologie T. II. p. 55.) intelligunt quasi ob religionem christianam propagandam sponte sua eo profectus sit (quod de parva ejusmodi insula vix credibile), alii quasi *oraculum hoc* ibi accepturus Patmum petierit (quod dicendi generi prorsus contradicit); unice vere ita intelligi possunt, ut auctor

se ob fidem et constantiam in religione christiana eo poenae causa missum profiteatur; id enim et usus loquendi postulat (v. ad v. 2.), et totius operis finis summus, sicut ad Neronem insontes captivos delegantem alluditur 13, 10. et hujus imprimis loci nexus: nominat enim auctor se *christianorum fratrem et συγκοινωνόν ἐν τῇ θλίψει καὶ βασιλείᾳ consortem in eadem et aerumna*, qua nunc premuntur, et *regno* i. e. praemio futurae quietis, allusione ad v. 6. (est enim συγκοινωνὸς haud dubie ad ὑμῶν referendum, a qua male sejungunt plures critici et interpretes) *καὶ ὑπομονῇ Ἰησοῦ et patientia* i. e. patienti spe et exspectatione ut 3, 10. (תּוֹחֶלֶת Prov. 10, 28. Symm. per ὑπομονὴ LXX. per ἐλπις) *Jesu* (male alii *constantia* qualem Jesus exhibuit), quae ipsa patientia ut in θλίψει cernitur et probatur (Jac. 1, 3. 4. 2 Petr. 1, 6.), ita spe praemii τῆς βασιλείας firmatur. Jam vero quaeritur, en vere Johannes in insula ista visionem hanc conspexerit necne. Et *apostolum* quidem *Johannem* in Patmum a Domitiano, quae erat maxime vulgata, nec tamen constans opinio, delegatum ibique Apocalypsin scripsisse tradunt inter Veteres Tertull. praesc. adv. haer. c. 36. Orig. comm. in Matth. p. 417. Euseb. h. e. 3, 18. 20. Prochori apocryph. in Birch auctor. cod. ap. Fabric. p. 270. 284. Hieron. adv. Jovin. T. II. p. 27. at multa profecto obstant, quo minus fidem iis habeamus securam. Satis per se jam probabile est, Patres inde a fine seculi secundi istam traditionem (ita ipse Origenes παράδοσιν, Eusebius λόγον vocat) e sola Apocalypsi ad Apostolum relata hausisse; nam neque ad auctoris cujusdam praeter Apocalypsin fidem provocant, nec *qua ratione* Johannes in Patmum relegatus sit, dilucidius proponunt; quae autem iis, quae ex hoc Apocalypseos loco hauriri poterant, praeterea adjecta sunt, velut de Apocalypsi sub Domitiano scripta (v. p. 53.) et de Johanne in oleum igneum antea immerso, ea fide historica indigna esse per se patet. Quas difficultates bene sentientes critici recentiores (v. Eichhornii introduct. in N. T. II. p. 122. Bleek in theolog. Zeitschrift von Schleiermacher etc. T. II. p. 251.) auctorem insulam Patmum ex fictione tantum poetica ut locum certum posuisse autumant. Sunt tamen quae huic etiam opinioni obstant. Ut enim facile concedi potest, scriptores qui antiquorum nomine visiones scripsere, velut auctores libri

Danielis, Enochi, quarti Esrae et Ascensionis Jesaiae, tempora et locum cum ceteris quae de auctoribus vetustis narrant omnibus pro lubitu fingere potuisse, tamen cur qui vero suo nomine librum evulgavit, quales sunt Jesaias c. 6. Ezechiel, Jeremias et Noster [1]); locum et tempus fingere aut potuerit aut debuerit, non assequor; quaeque hoc loco Johannes de causa et commorationis in Patmo et scriptionis (cum ceteris enim christianis se aerumnis oppressum videns et sibi et ceteris in ipsa scriptione solamen quaesivit) profert, bene quadrant ad summum libri finem; quod autem tempus commorationis in Patmo, quippe quae e recenti memoria lectoribus nota erat, non curatius definivit, quod ceteri fictum locum et tempus exhibentes faciunt; quodque locum visionis ignobilem et prioribus vatibus prorsus insolitum ponit, id puto ad veritatem quam ad fictionem agnoscendam procliviores reddit lectores. Consultissimum igitur videtur statuere, Johannem libri scriptorem (v. §. 10.) vere in Patmum a Nerone delegatum esse, et cum ibi spe laetioris mox venturi temporis se solatus esset, post Neronis mortem ab insula dimissum, quae in insula speraverat, et mox non sine laetitia ex parte jam evenire videbat, scripto mandasse, ut alios quoque eadem spe erigeret; auctorem enim reducem demum e Patmo scripsisse et ex hoc ipso loco apparet (cf. ἐγενόμην *imperfectum*) et ex totius libri argumento apparet. Igitur inest quidem fictio quaedam, ex qua auctor se quae nunc pro temporis ratione scribit, ea jam tum eadem forma divinitus accepisse sumit; sed tali fictione omnes prophetae jure utuntur. Ad Johannem autem *Apostolum* haec serius male translata sunt. Quod auctor in insulam Patmum (quae est una ex Sporadibus maris Aegei, saxum desolatum et olim ignobile v. Plin. h. n. 4, 12. hodie audit *Patina* vel *Palmosa*) delegatum se dicit, apprime congruit Romanorum tum temporis proscriptos et sontes in insulas insalubres et desertas abdentium mori, v. inter alia Suet. Tib. 53. Ner. 35. Tacit. Ann. 2, 85. 4, 21.

1) ex locutione ἐγὼ Ἰωάννης 22, 8. suspicio oriri possit, alium Johannis personam induere; ita enim solent auctores ejusmodi, ut אֲנִי דָנִיֵּאל Dan. 7, 28. 8, 1. 10, 1. 7. 12, 5. cll. 4 Esr. 2, 42. Enoch 12, 3. 24, 7. 92, 3. 105, 15. Sed tenendum, hanc locutionem *bis* tantum obviam hic aptam esse, ut Johannes auctor a Jesu v. 8. distinguatur.

V. 10. *Ἐν πνεύματι* בְּרוּחַ הַקֹּדֶשׁ *γίγνεσθαι spiritu* quasi *teneri*, dum cogitatio de rebus divinis pia et intenta animum hilariorem et perspicaciorem reddit *imaginibusque* phantasiae oblatis consilia prius jam agitata confirmat, (cf. Nösselt exercitt. ad s. s. interpret. pag. 63 sqq.) ut *ἐν ἐκστάσει γίγνεσθαι* Act. 10, 10. 11, 5. 22, 17 Hebraei seriores frequentius dicunt pro antiquorum locutione: רוּחַ יי הָיְתָה עַל *spiritus dei descendit in vatem.* Ideam igitur scriptionis hujus brevi piae et alacris meditationis nescimus quo casu motae momento concepisse videtur auctor; at postea demum eam elaboratam esse satis et summa quae ubique conspicitur ars atque studium, et ipsa picturarum series longa et praeviis meditationibus concepta ostendunt. Solito sublimius mens poetae exarsit *ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ* quem *diem dominicum* multi de *die paschali* explicant, in cujus vigiliis Christiani sacra protrahere et anxie Christum exspectare solebant cl. Hieron. comm. in Matth. c. 24; at haec opinio a temporibus apostolicis, quibus Christiani *quovis die* Christum adventurum putarunt, diversa nec in N. T. unquam tacta (adeo ut vel diem paschatis annuum prae ceteris sacrum habitum esse nullibi legatur) serius demum, decrescente paullatim de Christi reditu exspectatione, orta videtur. Facilius igitur *dies dominicus* vulgaris (d. solis) intelligitur, seu qui prius inter Judaeos *μιὰ τῶν σαββάτων* dicebatur, quem quidem jam apud Judaeos juxta sabbatum honoratum (v. Lightf. et Schoettg. ad Matth. 28, 1.) Christianis jam circa an. 60. memoriae Christi redivivi et agaparum celebrandarum causa sacrum et procedente tempore abrogata sabbati sanctitate solum sacrum factum fuisse, ex 1 Cor. 16, 2. Act. 20, 7. Justin. M. Apol. I. c. 89. colligere licet; quanquam mirari subit, quomodo dies iste alibi in N. T. *μιὰ τῶν σαββάτων* semper dictus hic jam *κυριακή* nominari potuerit. Certum tamen, nullum alium diem aptiorem fuisse animo Johannis ad tales cogitationes excitando: siquidem Christi in vitam reditus memoria die solis celebrata simul et memoriam ejus ut vindicis a coelo in terram reditus excitat, vetusque ecclesia hunc ex illo concludere solebat. (ut et Johannes v. 5. 18.)

V. 11. Instruitur jam *prima visio*, in qua Johanni in ipsa terra solus Christus apparet, quae ecclesiis sive

bona sive mala monenda sint, scribenda suggerens. Cumque mortalem divinae formae repente visae aspectum aegre ferre communis esset antiquorum opinio, poeta se prius *vocem benigni* Messiae a tergo audivisse quam formam aspexisse fingit, sicut et Moses aspectui dei ferendo praeparatur Ex. 3, 2 sq. Quod vocem divinam ideoque sonoram et altam ut *tubae* audit, exinde explicandum est, quod *tubae* hujus hebraicae sonitus *tonitru* fragorem refert (Jahnii archaeol. I, 1. p. 457.); unde cum in Jehovae apparitione tubae memoria injecta esset Ex. 19, 19. 20, seriores saepius tubarum in tali fictione mentionem injiciunt, unde etiam tubae sonitum Messiae adventanti praecinere credebant v. p. 19. Voce *βλέπεις* (*visurus es* v. p. 39.) non tantum quae hac visione continentur, sed quae toto libro, intelligenda esse, ex libri indole et fine 22, 16. apparet; quem si reputasset Griesbachius, non putem eum *ἑπτὰ*, quod bene codd. quidam omittunt, textui inserendum suasurum fuisse. Nam liber omnibus ecclesiis destinatur, quanquam septem hae propiores erant ceteris; et saepius etiam omnes ecclesias complectitur auctor v. ad 2, 1. 7. 22, 16; quomodo e sequentibus 1, 20. 2, 1 sqq. *ἑπτὰ* addi potuerit facile intelligitur. — V. 12. Messias, ad quem Johannes jam convertitur, (*τὴν φωνὴν videre vocem* i. e. quae res vocem emiserit) conspicitur septem candelabris aureis cinctus, septem in dextra tenens stellas; quae figurae quid significent, v. 20. ipse exposuit scriptor; est tamen videndum, quomodo istis uti potuerit. *Illustres* enim et inclyti saepius *stellae* fulgentes et *lucidae* poetis nominantur (v. ad 2, 28.); rarius, eodem tamen ex fonte, *lampades* seu *candelabra* (v. ad 11, 2.); quam utramque imaginem Johannes hic ita conjunxit, ut *ecclesiae* (sunt enim Christiani *ἀγαπητοί*, *ἐκλεκτοί*, imo Judaei *stellae* coeli dicti erant Dan. 8, 10.) illustres et deo carae candelabra, singuli autem quidam in iis viri insignes *stellae*, quasi lumina minutiora (Gen. 1, 16.), vocentur; quibus et ecclesiis et viris Christum semper adesse sustentando, tuendo, omniumque facta et molimina acute observando, apte ita exprimitur, ut Christus *et faustus et, si opus, puniens inter ipsa* candelabra *versari* (ut *inter vos versor* de deo dictum est *vobis praesens adsum* Lev. 26, 12. Matth. 18, 20. sicut hebraeum וְהִתְהַלַּכְתִּי בְּתוֹכְכֶם exacte exprimit locutio *ὁ περιπατῶν ἐν μέσῳ τῶν ἑπτά* 2, 1.) et

stellas, minora scilicet lumina, *dextra ut fortiori tenere* (ut similiter אָחַז בְּיַד Ps. 73, 23. Jes. 42, 6. 45, 1.) dicatur. In qua tota imagine respexit quidem simul auctor ad septem spirituum V. 4. 3, 1. numerum et sensum, ut Christus cum vi divina suis adesse fingatur; sed in ea adornanda adeo singularis est, ut vix prima stamina ex Zach. 4, 2. cll. Ex. 25, 31 sqq. 37, 17 sqq. duxisse videatur. *Nomen* ipsum *Messiae* reticetur, ex praedicatis insignibus, sicut et alibi in Apocalypsi fit (v. p. 88. 89.), colligendum; sed inest jam vocabulis *ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου similis aliquis homini* (aramaice ܟܒܪܢܫ) satis aperta Messiae notio. Nomen enim hoc ex Dan. 7, 13. hic verbotenus haustum primum, quantum scimus, apud Danielem de Messia dictum est, mox autem ex Danielis valde adamato saepiusque lecto libro adeo invaluit ut jam in Enochi libro circa Christum natum scripto perpetuo fere *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* locutio Messiam insigniat 46, 1 sqq. 61, 10-17. et hinc in N. T. non minus frequenter Christo inhaereat. Unde explicandum sit nomen, interpretes quam maxime ambigere notum est (v. Henkii Magazin. T. 1. p. 507 sqq. J. E. Chr. Schmidt Bibliothek für Exegese T. 1. p. 583 sqq. Scholten spec. herm. de appellatione *του υιου του ανθρωπου* Ultraj. 1809.), nobis quidem ita statuendum videtur. Daniel qui Messiam *comparat* tantum homini, id haud dubie sibi voluit, inter angelos summos thronum dei stipantes solum Messiam ut Davidis filium *humanam* prorsus formam prae se ferre, qua ab angelis (ut inter alia Tobiae liber docet) ab humano genere et stirpe et forma diversis discernatur; quae sententia mirifice inde firmatur, quod ap. Enoch. 61, 9. nomini *filii hominis* etiam ut synonymum nomen *filii foeminae* adjungitur. Falso igitur Bertholdt in christol. Judaeor. p. 31. nomen hoc neque rei neque personae ullum habere respectum putat; imo Messiam bene ab angelis distinguit. Illud tamen ex N. T. elucet, Jesum ipsum modestia verecunda se potius *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου hominibus similem* nominare voluisse, ceteros vero Messiae significantius et gravius nomen *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ* dedisse, adeo ut ambiguitatem illius hoc nomine evitarent, cf. locos, in quibus ex hac ratione nomina haec bene distinguuntur, Luc. 22, 68. 69. Joh. 1, 50. 52. 12, 34. Matth. 16, 12. 16. rarissime in N. T. alii praeter Christum nomen *ὁ υ. τ. ανθ.* adhibent Act. 7, 56. — Sequitur externae Messiae formae

descriptio, in quam quidquid augustum et regum ornatus et phantasia suppeditaret, sedulo congessit poeta, in multis Danielis vestigiis insistens. In singulis membris describendis sequitur fere ordinem alias receptum, quo a summo corpore ad pedes et vocem descenditur (v. interpret. nostram Cantici Cant. p. 134. et adde Hamaker de Waked. expugn. Memph. et Alex. (L. B. 1825) p. 14. infr.). Primum Messias est indutus ποδήρη (χιτῶνα) veste *talari*, ad pedes usque pertingente; sunt enim vestes pendulae et laxae, apud Persas imprimis, regum, nobilium et sacerdotum insigne (cf. Jes. 6, 1. Ez. 10, 2. Enoch 14, 22. impr. figurae Persarum procerum et servorum ap. Le Bruyn It. tab. 158. et Chardin tab. 68. cf. inter Arabes طويل الذيل longus syrmatis i. e. dives, nobilis Harir. p. 553. ed. de Sacy. Schult. monum. p. 67. Motenabbi ed. Reiske p. 23); unde ποδήρης δόξης Sir. 27, 8. 45, 7. 8. LXX ponunt ποδήρης pro מְעִיל veste longa imprimis a regibus et sacerdotibus gestata 1 Sam. 15, 27. Ad qualem vestem constringendam opus est ζώνη baltheo pectori admoto (ex Dan. 10, 5.), de cujus ornatu v. Jahnii archaeol. bibl. I. 2. p. 82. — V. 14. Omnia membra fulgore lucido oculos ferire vario modo exprimitur. Et primum quidem caput, capilli imprimis; *candore* micant fulgente (cf. *ensis candens* Virg. Aen. 12, 91.), quos nivi vel lanae primus comparavit Dan. 7, 9., secuti sunt plures, ut Enoch 46, 1. 14, 18. 105, 2. 4. 10. qui simul colori candido *rubrum fulgentem* bene jungit; male enim Storr diss. in Apoc. p. 4.*) *aetate provectum* notare putat, cum *deum* tantum *patrem*, non Messiam, ita appellari Dan. 7, 9. conveniat. *Oculi* vero clari et nitidi ut *flamma* lucent, quae satis trita est imago Dan. 10, 6. Enoch. 105, 2. 4. Il. 13, 474. — V. 15. Difficillima vox est χαλκολίβανος, de qua v. varias sententias ap. Bochart. Hieroz. T. III. p. 893 sqq. ed. Lps. Sunt qui vocem ex χαλκός et לָבָן *candens* ad *aes ignitum* exprimendum recens a poeta formatum credant, vel ex χαλκός et λιβανός notare (ut Peschito ܢܚܫܐ ܠܒܢܢܝܐ) *aes Libaniticum*, quod utrumque satis durum est. Vulg. vertit *aurichalcum*, quocum fere convenit nota Suidae: εἶδος ἠλέκτρου τιμιώτερον χρυσοῦ, quod si probari possit nec ex sola conjectura haustum est responderet fere verbis נְחשֶׁת קָלָל *aes politum* Dan. 10,

*) recusa in Commentt. theol. ed. Velth. Kuin. Rup. T. IV. p. 439.

6. Ez. 1, 4-27. in simili descriptione. Diversa profert Salmas. exerc. in Sol. p. 810. ex vetere Graeco quodam, unam scilicet thuris speciem dici *χαλκολίβανον*, colore *igneo* (*πυῤῥός*) et solis (aeris forsan etiam candentis) splendorem referente; idque ceteris interpretatu tutius est imprimis quia et nomen est graecum et color igneus [1]) apprime huic loco convenit [2]). Alia ignei coloris imagine pedes *ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι* instar lapidum vel aeris in fornace ardere videbantur; male codd. quidam *πεπυρωμένῳ* legunt, ad *χαλκολιβάνῳ* ex ista *aurichalci* notione relatum; duplicem certe hic tutius inveniri comparationem, repetitum *ὡς* monstrat cll. v. 14. *Vocem* denique divinam, quam semper veteres ingentem fingunt, cum *fluctuum multorum* מַיִם רַבִּים fragore primus comparavit Ezech. 1, 24. 43, 2. (Dan. 10, 6.); repetiere id frequenter seriores, ut Apoc. 14, 2. 19, 6. 4 Esr. 6, 17. — V. 16. de *ἔχων* v. ad v. 12; de *annulo* dextrae septem gemmis s. stellis ornato, quamvis nos ex sensus pulchri regulis cogitare proclives simus, auctor certe non cogitavit. Gladii longi bipennis ex ore Messiae exeuntis imago, multis mira et indigna visa, ita delineanda est. Solo *verbo* suo et jussu, seu quod jam propius imagini est, *spiritu oris sui* deus ut quaevis efficere ita *improbos interficere* poetis, deinde omnino Rabbinis dicebatur Hos. 6, 5. impr. 4 Esr. 13, 4-11. 38. 2 Thess. 2, 8. ubi v. quae e Rabbinis congesserunt Schöttg. et Wetst.; quod ergo humanis manibus *gladius*, id ori divino sermo; unde eo etiam progressi sunt poetae quidam, ut verba dei gladium nominarent, ut Enoch 61, 4. 15. modo verbum modo gladium dei impios trucidare fingit cf. Jes. 11, 4. Sap. Sal. 11, 20. 18, 15. 16. Hebr. 4, 12. utque Johannes Christum ultorem sistens gladium ipsum ex ejus ore prodeuntem et trucidantem conspicere sibi videatur 19, 15. 21.

1) quod Bochartus objicit, comparationem cum *odore* suavi, in quo re vera jam Andreae comm. misere ludit, hoc loco ineptam esse, quisque videt; sed si *color* tantum ut in *lana* et *nive* v. 14. respiciendus est, quid displiceat non video.

2) certe non opus est Salmasii l. c. conjectura χαλκοκλίβανος *clibanus* (Plin. h. n. 18, 11. 19, 1.) in quo aes liquescit, quanquam ea significatio sequentibus aptissima esset unamque imaginem exhiberet. Unde et prius putaveram vocem (a λίβω, λείβω stillo, liquefio) derivatam signare *aes liquefactum eoque in fornace candens*; modo ex usu loquendi significatio compositi probari possit.

Quae fingendi audacia, per se satis aperta modo, Johannem non figuras sed imagines et comparationes exhibere memineris, inde etiam excusatur, quod sermo hominum acer et inimicus saepius poetis gladio percutienti, telo ferienti et baculo tundenti comparatur, ut Ps. 57, 5. 59, 8. 64, 4. Job. 5, 15. Prov. 14, 3. Jer. 9, 7. — Tota vero ejus externa facies, (ὄψις *aspectus*, nec tantum κεφαλή v. 14.) solem plenissimo jubare (ἐν δυνάμει ex cantico Deborae Jud. 5, 31. huc translatum) circa meridiem fulgentem referebat; cf. supra ad 1, 4, et Enoch. 105, 2. 4. 10. 4 Esr. 7, 55. et Wetst. ad h. l.

V. 17. Ut semper dei adspectu veteres vitiorum humanae naturae memores se indignos putarunt et reverentiam sanctam summo timore signarunt (Jes. 6, 4. Ex. 33, 20. Tob. 12, 16.), ita imprimis in visionibus hujus generis inde a Danielis libro mortales subito dei et angelorum aspectu gravissime percelli finguntur, donec ipsi angeli animos iis reddunt. Praeivit, quem Johannes brevius aeque ac gravius expressit, Dan. 8, 17-20. 10, 7-19. cf. Ez. 1, 28. 43, 3. Enoch. 59, 1-3. 70, 1 sqq. 4 Esr. 10, 30. 12, 6-8. Ascens. Jes. 7, 6. Timorem Messias Johanni excutiens, dicit μὴ φοβοῦ *noli timere!* aeternus (v. 8.) ille sum, semper praesens, nunquam auxilium detrahens! Recentiores critici verba distinguunt: ἐγώ εἰμι· ὁ πρῶτος etc. *ego ille sum! aeternus* etc. quasi Christus Johanni apostolo olim sibi familiari eo timorem adimat, quod suam ipsi memoriam revocet. Sed (ne dicam locos parallelos 1, 8. 22, 13. obstare) ut talis phrasis Jesu in terris cum discipulis viventi bene convenit, Joh. 6, 20. Matth. 14, 27. ita ad Messiam coelestem mutatae prorsus formae hominumque consortio ereptum non quadrat, neque unquam in Apocalypsi Messias ita Johannis familiarem se prodit vel vitae prioris consortii meminit. Timorem satis adimunt verba μὴ φοβοῦ; sequentia autem epitheta non augent timorem sed magis etiam leniunt, cur et qualis advenerit Christus indigitando. Abrupta enim et gravia quae sequuntur verba Messiam signant aeternum, nunquam defuturum, potentem, ut quod ex toto carmine apparet et poenae impiis infligendae et auxilio piis ferendo semper paratus cogitetur. Ὁ ζῶν אֵל חַי *deus vivus*, semper efficax et potens Jos. 3, 10. quo satis notum est Hebraeos Jehovam a fictis diis distinxisse; idque dei

praedicatum sibi convenire ex vita sua terrestri probat Messias cf. v. 5. Quantum igitur, si Christus cum deo Christianis et nunquam defuturus, et omnium facta semper observaturus est, solamen! ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ θανάτου (mors ad Orcum ducit) καὶ τοῦ ᾅδου *potestatem teneo mortis et Orci*, ut impios statim morte punire, pios integros reddere queam. Locutio e seriori Judaismo desumta. Quaevis naturae pars seu regnum, imo et quaevis potestas ut suos habet angelos, ita et claves, potentiae angelorum praefectorum signa; quatuor tantum vel tres rerum gravissimarum claves (sepulcri s. mortis et resurrectionis, partus, alimentorum et pluviae) deum sibi soli servasse ex locis quibusdam V. T. ut Gen. 20, 18. anxie explicitis fingunt seriores, ut Pseudojon. Deut. 28, 12. Num. 27, 5. Targ. hiero. Gen. 30, 22. Sanhedrin fol. 113, 1. cf. Wetst. ad h. l. Orci autem clavis angelis a deo traditae, cujus saepius Apocalypsis meminit 9, 1. 20, 1, origo propius etiam cognosci potest; nam saepius in V. T. Orco a superis mundi partibus segregato *portas* Jes. 38, 10. Ps. 9, 14. Matth. 16, 18. vel *os* Enoch. 54, 11. poetae tribuerant. Eodemque modo *coelo* claves dant, Ascens. Jes. 6, 6. 10, 24 sqq. — V. 19. Scribe quae *vidisti*, quod ad visionem hanc ipsam refertur et ἅ εἰσι *quae sint ea*, quae significent et ἃ μέλλει *quae post haec futura sunt*, visiones nempe de futura piorum et impiorum sorte 4, 1—22, 5; [1]) in quibus cum totus liber contineatur, jam ad priorem, quae propior nunc est, visionem rediens poeta v. 20. dilucidius dicit: *scribe* τὸ μυστήριον (proprie res clausa, secreta et incognita Eur. El. 87; imprimis sacro sensu de doctrina et imagine mentem plebis fugiente et prudentioribus ac quasi initiatis tantum intelligenda Marc. 4, 11. Matth. 13, 11. v. infra 17, 5.) *arcanum septem stellarum et septem lampades*; cf. ad v. 12. 13. Ἄγγελοι τῶν ἐκκλησιῶν solo h. l. in N. T. memorati, quos *antistites ecclesiarum* in genere significare non dubium est, duplici ratione explicari possint: 1) prophetae et doctores populi in serioribus V. T. libris מַלְאָכִים *nuncii* nominantur Hag. 1, 13. Mal. 2, 7. Koh. 5, 5.; at hic usus loquendi circa Christi tempora jam extinctus vi-

1) placet prima specie ob oppositum quod videtur versio, et quae *nunc sunt* et quae futura sunt; sed hoc verbis ἃ εἶδες et ipsi sententiae non bene convenire penitior disquisitio monstrat.

detur. 2) Res igitur repetenda ex שְׁלִיחַ (צִבּוּר) צִיבּוּר *nuncio, legato, ministro synagogae* de quo v. Buxtorf lex. talm. p. 1885. 2411. Vitringa de synag. vet. III. 2. et, qui tamen minus bene ejus munera distinxit et ad h. l. applicuit, Schöttg. hor. p. 1089–1094. Legati s. ministri hujus erat, omnes res coetus sacri externas curare, ut munus convocandi coetus, literas accipiendi et mittendi, imprimis *praelegendi* et recitandi, preces praeeundi, et si forte sacerdos abesset, benedictionem pronunciandi, exemplo etiam suo spectabili ceteros hortandi; utque ad inferiora muneris sui *ministro* uti poterat, ita sacerdote semper inferior habitus est, quanquam synagogae facilius sacerdotibus et Rabbinis quam his ministris carebant. Est igitur angelus ecclesiae in Apocalypsi idem qui in ceteris scriptis N. T. graeco magis nomine *διάκονος* appellatur, (non qui ἐπίσκοπος vel πρέσβύτερος); et septem quae sequuntur epistolae propterea ad ministros singularum ecclesiarum missae sunt, quod hi literis et accipiendis et praelegendis invigilabant, exemplumque morum ipsorum ecclesia sequi solebat. Ipse epistolarum praelegendarum sermo quanquam semper fere ad singulum convertitur antistitem (v. impr. 3, 4.) quippe qui exemplum ceterorum est, nonnunquam tamen ad singulos Christianos ecclesiae cujusdam tendit, ut 2, 10. 13. 27. nihilque omnino perscribitur, quod ad solius antistitis mores et fidem sese referat. Certe multum a veritate interpretes (ut Storr Apologie der Offenb. p. 253 sq.) aberant, qui contra ipsius Johannis sententiam (1, 4. 11. 22, 16.) epistolam quamque ad solum antistitem referebant.

2. Cap. II—III. Sequuntur jam singulae septem epistolae, de quibus quaedam praefari oportet.

1. Quanquam singulis ecclesiis diversa scribuntur, ut ne una quidem epistola alteri similis sit, unum tamen *summum* ex omnibus elucet *argumentum*. Christum nunciant proxime affuturum, pios et *fidos* praemiis justis ornantem, impios et vel ab ipsa christiana doctrina vel a puriori apostolorum institutione deficientes poenis tradentem meritis. Hinc Johannes et solatur miseros atque vexatos, hortaturque ut fidem servent concuti frangique nesciam, et impios segnesque ut redeant ad saniora, minis permovere studet.

2. *Magna* quae in toto libro attente consideranti conspicua est *ars* in his epistolis consummata cernitur. Nam et singula quaeque epistola mira sollertia scripta est et omnes ad idem exemplar ita quidem efformatae sunt, ut varietas delectusque insignis et copia verborum idearumque largiter affluens ejusdem semper formae repetitae fastidium haud injucunde compenset. Constat autem quaevis epistola *quatuor* partibus similibus. 1) Salutandi ab initio formula in quaque epistola eodem modo ita adornatur, ut post τάδε λέγει Messiae nomen significantius simul et gravius atque poeta dignius *praedicatis* insignibus circumscribatur, praedicata autem haec in quaque epistola diversa ex descriptione augustae Messiae formae C. I. praemissa desumantur ea, ad quae deinde ex epistolae argumento bene alludi possit. (2, 1. 8. 12. 18. 3, 1. 7. 14.) 2) Deinde ad singulae cujusque ecclesiae statum transiens auctor praemissa formula *οἶδα τὰ ἔργα σου*, quae sit ejus conditio, quid laudandum, vituperandum, corrigendum sit, diverse pro diversis cujusque ecclesiae moribus exponit; et laudem quidem perfectam duae tantum merentur 2, 9. 3, 8; vituperium duae 3, 1. 2. (paucis hujus coetus christianis exceptis v. 4.) 3, 15. in tribus autem ceteris, quae laude non minus quam vituperio dignae videbantur, describendis ad Pauli Apostoli epistolarum exemplar se componens laudem praemittit mitemque se quantum poterat praebet 2, 2-4. 13-15. 19-21. 3) Quibus breviter expositis ad hortationes conversus probos et fidos ne unquam laude sua excidant admonet et praemia eos exspectare jubet merita; vituperandos ut ad saniora redeant instigat; omnesque Christi mox vindicis redeuntis memores esse jubet. 4) Denique in *fine* cujusque epistolae auctor iterum ad *omnes omnium* ecclesiarum christianos conversus, pios tantum et fidos, qui nunquam ne maximis quidem periculis a christiana doctrina avocari se patiantur, praemia ista vitae post mortem felicis insignia relaturos esse affirmat, unde in omnibus epistolis ὁ νικῶν repetitur et in singula quaque pars quaedam felicitatis post mortem pios mansurae, ita quidem ut lectores ad integram hujus felicitatis infra 21, 1-22, 5. plenius depictae descriptionem, ex qua hic singula hausta sunt, cognoscendam praeparentur et alliciantur; quoque attentiores fiant lectores et penitius, *fidos* tantum felices fore, animis suis infigant, in quaque epistola

repetitur epiphonema ὁ ἔχων οὖς ἀκουσάτω τὶ τὸ πνεῦμα λέγει ταῖς ἐκκλησίαις 2, 7. 11. 17. 29. 3, 6. 13. 22. In hoc tamen singulare cernitur inter tres priores et posteriores epistolas discrimen. Scilicet in omnium pariter epistolarum fine ita alluditur ad praedicata Messiae in fronte posita, ut sive praemii sive poenae a Christo exspectandae imago ad praedicatum Christi praemissum se componat 2, 1. 5; 8. 10; 12. 16; 18. 28; 3, 1. 5; 7. 12; 14. 21. (maxime dilucidum hoc in prioribus epistolis v. quae infra ad haec notabuntur); sed in tribus prioribus epistolis allusio haec in adhortatione singularum ecclesiarum (seu in tertia epistolae parte) legitur, praemissamque deinde in quarta parte formulam ὁ ἔχων οὖς etc. sequitur adhortatio ad omnes christianos: ὁ νικῶν etc.; in quatuor contra posterioribus adhortationi singularum ecclesiarum statim facili suavique transitu generalis adhortatio ita annexa est, ut haec demum allusionem istam contineat eique epiphonema ὁ ἔχων οὖς in fine subjiciatur. Quod discrimen non temere factum esse ipsa summa qua omnia nitent ars monstrat; consilium autem ejus partim in ipso variationis jucundae studio partim in numero sancto *ternario* juxta majorem *septenarium* distinguendo quaerendum videtur. Cf. §. 3.

3. Quale *consilium* Johannes his epistolis scribendis secutus sit, facile apparet. Quod enim ubique in toto libro monetur et inculcatur, *pios* tantum *et fidos* Christi asseclas felices fore, reditum Christi vindicis proxime instantem ut impiis luctuosum sic piis gaudio fore et praemio, id in his epistolis omnium maxime affirmatur; monendi erant Christiani, poenam non gentilibus tantum instare, sed Christianis quoque ignavis et vitiorum vel doctrinae falsae macula contaminatis 20, 15. cll. 3, 5., immo poenae acerbissimae initium ab ipsis Christianis indignis capi, ut egregie monetur 1 Petr. 4, 17. Igitur Christum mox affuturum *omnium* semper ecclesiarum et Christianorum facta observare et ubique ab omnibus ejus asseclis vitae morumque rationem exigere justam demonstraturus *septem ecclesiarum* doctrinam et mores singulos sedulo expendit, laudat et vituperat, hoc haud dubie consilio ductus, ut eodem modo *omnium* ecclesiarum mores taxatum iri innueret. Nam haec septem ecclesiis dicta omnibus simul ubique terrarum ecclesiis dicta esse praeter

totius libri indolem ipsa quae in cujusque epistolae fine leguntur verba monstrant 2, 7; 11; 17; 28. 29; 3, 5. 6; 12. 13; 21. 22; cf. et media in epistola 2, 23. Quod autem *septem* ecclesias omnium imaginem esse voluit auctor, id partim poetae tribuendum est, sicut Amos Jehovam *omnes* populos impios puniturum ostensurus quorumdam malefacta exempli causa uberius describit 1, 3—2, 6, partim numero *septenario* sacro ut ceteris Hebraeis (notatu dignum, Amosum etiam septem populos enumerare) ita imprimis Johanni in hoc libro adamato.

4. Igitur cum septem quas diligentius taxaret, ecclesias sibi eligendas statuisset auctor, eas eligere debebat de quarum et virtutibus et vitiis experientia vel nuntiis fidis bene edoctus erat, septem igitur Asiae proconsularis urbes, ipsi vicinas et cognitas. Ob numerum septenarium non omnes provinciae urbes afferre poterat, ne eas quidem in quibus jam illo tempore ecclesias collectas fuisse scimus, ut Colossas et Hierapolin Col. 4, 13. Cur has ipsas nec alias elegerit, suis haud dubie ductus est rationibus probis, inter quas potissima haec fuisse videtur. Cum septem hae omnium imago sint, sedulo poeta diversissimas et virtutes et vitia variosque eorum gradus depingere studuit, ita ut nullius ecclesiae mores et pericula eadem prorsus describeret; ob quam ipsam varietatem septem elegit diversissimae indolis ecclesias. De quarum interno statu quae tangit, satis brevia sunt et nobis nonnunquam obscura, utpote quae illis temporibus nota digito monstrare sufficiebat; nec obliviscendum, Johannem non doctoris, ut singulis doctrinis et moribus refellendis immorari opus esset, sed hortatoris et prophetae partes agere. *Ordinem* autem singularum quas recenset urbium hunc tenuit, ut ab Epheso, primaria scilicet provinciae urbe et Patmo propiore ad ceteras pro situ regionis ipso versus occidentem sitas procedat.

5. Denique dubitatum est, an *apto hoc loco* positae sint epistolae. Fuere qui cogitarent, ipsas rerum futurarum visiones nimis tardari et ordinem quasi interrumpi (v. Heinrichs, T. II. p. 207. 208). Qui quidem vix reputasse videntur quid poeta voluerit. Nam toto capite I. jam ad epistolas has lectores praeparavit poeta, imo per totum librum *paullatim* demum ad reditum Christi describendum progreditur, consulto saepius morans ut, quod

caput rei est, *fidos et probos* tantum a reditu isto praemium exspectare posse doceat. Similiterque omnino in 4 Esr. duae partes adsunt, altera docendo et erroribus refellendis propria c. 3—10. altera prophetica poenam impiorum et reditum Christi describens c. 11—14. [1]). Certe quae ad difficultatem hanc levandam multis criticis hodie probabilia visa sunt, parum placent. Nonnulli septem exemplaria ita scripta esse a Johanne putant, ut *singulo* cuique una tantum harum epistolarum secundum ecclesiarum nomina praefigeretur (v. Lange die Schriften des Joh. T. I. p. 76.), parum reputantes, unam harum septem epistolarum per se solam obscurissimam et inutilem esse, et ex toto poetae artificio omnes septem conjunctissimas haberi; contra dubitari potest, an Johannes librum hunc omnino ad septem has ecclesias miserit; multoque probabilius, librum hunc *omnibus* ecclesiis destinatum non alia ratione ac ceteros ejusmodi propheticos paullatim propagatum esse. Alii *post absolutum demum carmen omne* epistolas scriptas et insertas putant (v. Heinrichs l. c. p. 208), quia in epistolis descriptionis Hierosolymae coelestis c. 21—22, 5. imagines praelibentur; sed inde efficitur tantum, auctorem prius de argumento bene meditatum scribenda omnia jam in procinctu habuisse. Unum hoc displicere possit, quod idem Christus omnes has epistolas in visione quasi dictare videtur, et poeta eo usque fictionem deseruit ut quid Christus post haec fecerit, quomodo disparuerit, ante 4, 1. lectores incerti sint. Sed tali modo in omnibus hujus generis scriptis saepissime fictione excidunt auctores; nec quaerendum, qua optima ratione fictio sibi constare potuerit, sed quid fictionibus ejusmodi *assequi* et *significare voluerint* auctores.

1. C. II, 1—7. In Ephesina ecclesia, quam satis mature jam conditam firmatam et auctam fuisse ex Pauli in ea urbe commoratione diuturna Act. 19, 1-20, 12. patet, Christiani fortiter quidem illo tempore et fidem suam inter maxima pericula servaverant et doctrinam genuinam a Paulo traditam contra cujusque generis haereticos propugnaverant, sincere a Paulo discedente Act. 20, 29-35. hac de re moniti: sed iidem post Pauli discessum amorem inter se mutuum et charitatem pauperibus exhibendam neglexerant, divitiis scilicet suis elati et avaritiae

1) cf. et *Ascensionem Jesaiae*, duabus partibus compositam; in priori c. 1-5. lectores praeparantur historia narranda secuturae.

sordidae dediti. Igitur laudes cum vituperio miscentur. Quod epistolae omnes formula τάδε λέγει i. e. כֹּה אָמַר יְיָ Am. 1, 3-2, 6. incipiunt, inde explicandum est, quod Johannes in ipsis epistolis ut in toto opere *prophetam* simul se gerit, ut epistola quaevis, salutandi quoque formula in fine destituta, vaticinii quoque speciem referat. ὁ κρατῶν, ὁ περιπατῶν v. ad 1, 12, 13. — V. 2. Formula οἶδα τὰ ἔργα σου a qua omnes epistolae ordiuntur, generalior est: *novi quidquid agis*, *mala* etiam facinora 3, 1. 15. Laudantur autem *duo*, primum quod doctrinam christianam inter pericula externa summa constanter tuiti sunt, alterum, quod falsos doctores a se arcuerunt. Utrumque Johannes ut in oratione prophetica subliniore bis exprimit, brevius ab initio et deinde copiosius. τὸν κόπον σου καὶ τὴν ὑπομονήν σου *laborem defatigantem et patientem tuam constantiam* i. e. quod inter gravissimas quibus te defatigabant rei christianae inimici, vexationes a fide non defecisti; καὶ ὅτι οὐ δύνῃ (quod pro vulgatiori et N. T. etiam alias consueta forma δύνασαι poetis tantum et serioribus raro dicitur v. Phrynich. ecl. p. 359. 360 ed. Lobeck.) βαστάσαι κακοὺς *et malos* i. e. improbos et falsos doctores *ferre non potes*. Quae jam copiosius expositurus primum falsos doctores eos evitare exemplo comprobat. Quinam falsi doctores innuantur, difficilius ex his concise dictis extricatur; de Johannis Baptistae discipulis non cogitaverim, quippe qui jam pridem Epheso Pauli industria remoti erant nec satis aperte h. l. significantur; imo putem Johannem de Judaeo-Christianis rigidioribus Mosaicarum legum patrocinium suscipientibus loqui, quales a severioribus Hierosolymae Judaeo-Christianis subinde ad Pauli doctrinam de libertate christiana propugnandam et evertendam in ecclesias extra Palaestinam emissi, *Apostolorum* etiam nomine ornati et aliis modis commendati quantas turbas in ecclesiis a Paulo conditis excitarint, ex 2 Cor. 2, 17. 3, 1. 11, 5. 13, 12, 11. (ubi similiter ὑπερλίαν ἀπόστολοι et ψευδαπόστολοι dicuntur) Gal. 1, 7. 2, 4. Phil. 3, 2. satis apparet. Hos igitur λέγοντας ἑαυτοὺς ἀποστόλους Apostolorum i. e. doctorum ab ecclesia Hierosolymitana constitutorum nomen male jactantes ἐπείρασας *probasti*, diligenter doctrinam eorum ad examen revocans, unde apparuit eos nomine isto indignos ab Apostolis Jesu non constitutos esse. — Inde ad constantiam in vexationibus

probatam rediens v. 3. lusu quodam sermonis vocabula βαστάζειν et κόπον in diversum transfert sensum. Ut falsos doctores *tolerare* nequis, ita *toleras* tamen vexationes διὰ τὸ ὄνομά μου i. e. quia a cultu Christi nomen trahis idque tueri studes (male vulgo ὄνομα in his redundare putant; βαστάζειν pro φέρειν ex נָשָׂא 2 Reg. 18, 14); *defatigatus* es, at defatigationi non succubuisti (κοπιᾶν *defatigari* est etiam *viribus deficere* Joh. 4, 6. κοπάζω Marc. 4, 39). — V. 3. *Amor*, quem neglexerunt christiani, non est amor seu lenitas et mansuetudo doctoribus falsis debita, quippe quos V. et N. T. scriptores nunquam adamandos censent, sed charitas erga pauperes (ut v. 19), quam apostoli ecclesiis ditiorum urbium, qualis vel maxime Ephesus erat, eo enixius commendant, quo facilius in iis opulenti superbi pauperes despiciebant cf. Rom. 13, 9. 10. 1 Cor. 13, 13. et ipsa Pauli ad Ephesios verba Act. 20, 35. Ceterum πρῶτος in N. T. ex more Hebraeorum in singulis vocabulis comparativum a superlativo non distinguentium (cf. grammat. crit. hebr. p. 575) pro πρότερος ponitur cll. v. 5. 19. 1 Tim. 5, 12. —

V. 5. Cum Christiani ob virtutum quibus omnes homines antecellere debent, cognitionem et exercitationem in alto et summo paene honoris fastigio collocati saepius dicantur (ut Eph. 1, 3-12), virtutis neglectae rei ab hoc dignitatis fastigio *delapsi* cogitantur; minus certe commode cum aliis Kypke in observ. p. 575 vertit: *unde cecideris* i. e. quam divitiarum i. e. virtutis 3, 17. 18. jacturam feceris. Nisi resipiscens, pergit, egregiam ut prius virtutem probas, in adventu meo mox instante κινήσω τὴν λυχνίαν σου *removebo candelabrum tuum* i. e. allusione ad 1, 12. 13. 2, 1. facta gratiam et benevolentiam meam tibi detraham; hactenus enim ex imagine supra délineata candelabra sive ecclesiae Christo *proximae* i. e. carae et acceptae sunt.

V. 6. Mitigandae sententiae causa aliud praeterea quod laude dignum sit profert. τοῦτο ἔχεις *hoc habes* i. e. hoc laudis tibi eripi nequit. De *Nicolaitarum*, quae hic memoratur, secta longa et anceps est quaestio, fonte scilicet antiquorum testimoniorum, unde res confici possit, aut prorsus deficiente aut turbido et variis commentis inquinato. Sed si conjecturis haec supplere cogimur, est tamen maxime probabilis quaerenda. 1) Patres inde ab

Irenaeo haeresin Nicolaitarum haud raro memorant, omnes Johannem de iis locutum esse persuasum sibi habentes. Quorum testimoniis nixi inter recentiores quoque haud pauci haeresin talem constituunt, quam ad Gnosticorum familiam latam ex Patrum traditione pertinuisse credunt; imprimis defensores strenuos Patres nacti sunt *Moshemium* instit. hist. ecc. T. 1. et demonstrat. sect. Nicol. in diss. ad hist. eccl. pert. T. I. WALCHIUM Hist. der Ketzereien T. 1. p. 167 ff. et nuperrime uberius disserentem SCHEFFLER-TIBURTIUM de Nic. a nonnullis ex haeret. catal. expunctis. Gott. 1825. Vix tamen Patrum fides defendi poterit; nam et de auctore atque origine et de dogmatis sectae adeo vel discrepant et dissident vel aperte coecutiunt et fingunt, ut nihil ex iis certi haurire liceat. Cum enim Nicolaum unum e septem primis Hierosolymae diaconis Antiochiae natum proselytum Act. 6, 5. memorari viderent, hunc sectae auctorem temere sumsere, sed quomodo ab Apostolis diaconus electus deinde improbae sectae auctor exstiterit, varii varie commenti sunt: alii probum hominem deinde impium factum, Judae Ischariotae exemplum secutum simpliciter tradunt, ut Iren. adv. haer. 2, 27. Epiphan. haer. 27. Jos. ap. Fabric. cod. apocr. V. T. p. 352 append.; alii tantam a viro probo maculam abstersuri impios quosdam homines serius vocem δεῖν παραχρῆσθαι τῇ σαρκί qua usus sit Nicolaus, ad suas nequitias impuras detorsisse narrant, ut Clem. Alex. Strom. 2. p. 490. 3. p. 522. unde quia falso Nicolai nomen prae se ferunt, ψευδώνυμοι Νικόλαιται dicuntur in Constitt. ap. 6, 8. Ignat. ep. ad Trall. c. 11; alii denique Nicolaum ab isto diacono diversum [1]) auctorem ferunt, ut Cassian. collat. 18, 16; in tantoque opinionum dissidio ipsi Patres se omnia haec *fama* tantum tradita accepisse identidem affirmant. Dogmata quidem eorum satis multa afferunt Clem. et Epiphan. l. c. August. de haer. 5. Sed quae afferunt, Gnosticis sunt priva, videnturque Patres ex scortandi et carne sacrificiali fruendi crimine a Johanne iis culpae dato conclusisse, Nicolaitas Gnosticorum, quibus saepe similia crimini vertebantur, sectam fuisse, quod

1) Nicolaus quidam Corinthius scortandi libidine infamis obvius est in apocryph. act. Apost. ap. Fabric. cod. ap. N. T. I. p. 498. nisi tale hominis ficti nomen ex communi demum Nicolaitarum nomini aspersa infamia ductum esse probabile videtur.

imprimis ex Epiphan. haer. 27. apparet. Denique et illud mirum, Patres hos fere cum Andreae commant. in h. l. sectam suis etiam temporibus errores suos propagare statuere; Eusebium contra H. E. 3, 29. sua aetate sectam diu exstinctam tradere, quod fidei multo propius videtur. 2) Quibus difficultatibus permoti multi jam Patrum testimoniis missis nomen Νικολαιται a Johanne demum ex hebraea voce בִּלְעָם confictum putant, ut *Bileamitarum* nomine aut omnino impuri et impii declarentur, improbique homines hic Nicolaitae dicti iidem sint quos v. 2. notaverat, aut scortandi et carne sacrificiali fruendi prurigine laborantes symbolice innuantur, sicut Bileam olim Israelitas vitia haec docuit v. 14. 15. cf. inter alios Janus de Nic. ex haeret. catalogo expungendis 1723. Heumanni Poecile. T. II. p. 391 sqq. Vitringa observ. sacr. 4, 9. et in comm. ad h. l. Storr Apologie der Offenb. p. 260. Münscher über die Nicolaiten in Gableri Journal T. V. 1803. p. 17–29. In qua quidem sententia quod nonnulli putant Nicolaitarum nomen eosdem improbos designare qui v. 2. taxantur, non habere videtur quo defendatur. Etenim si v. 2. rigidiores Mosaismi defensores vituperantur, quomodo ii scortationem et carnis sacrificae esum, quae vitia ad gentilium tantum mores pertinent, commendasse dici possunt? [1]) Haec autem vitia pro omnibus contrarii etiam generis nominata et ab exemplo tantum Israelitarum a Bileamo seductorum petita esse vix probabile est. Erat haud dubie scelerum Johannis aevo has ecclesias inquinantium, quae ter in his epistolis v. 6. 14. 15. 20. tangit, et scelerum a Bileamo jussorum similitudo quaedam, quae Johanni ut inter tot improborum V. T. doctorum nomina Bileami exemplum eligeret ansam praebuit. Nec minus parum profecto probabile est, nomen Nicolaitarum a Johanne hic demum fictum esse. Nam et hoc loco, ubi nomen prorsus nudum ponitur, nullum symbolici sensus signum et vestigium apparet, et infra v. 14. 15. Nicolaitae comparatione instituta a Bileami, qui inveniri possint, sectatoribus ita distinguuntur, ut jam tum homines hoc nomine omnibus noti adfuerint necesse sit. 3) Igitur sic res cogitanda videtur. Improbos istos qui

1) Storr Apologie p. 256 sqq. utrosque confundens apostolos e Judaea missos sacris sacrificae esum permisisse putat. Sed hoc ab eorum indole alienum.

tum ecclesias Asiae minoris turbabant, scortationem et carnis sacrificialis esum commendasse ex v. 14. 15. 20. apparet; certe vitia haec proprie intelligenda esse admodum probabile est, sive rem sive locum spectes. Abrogatis enim in gentilium gratiam legibus mosaicis Apostoli a carne saltem sacrifica edenda christianis interdixere Act. 15, 29. 21, 25. hac haud dubie moti causa, quod epulas gentilium sacras cultui deorum incesto, scortationi aliisque spurcis moribus favere bene sciebant, sicut olim Bileam Israelitas ad epulas sacras invitatos ad scortationem quoque perduxit Num. 25, 1 sqq. At mature jam subtiliores quosdam inter gentiles christianos mandatum hoc, quod illis saltem temporibus utilissimum fuit, salva religione christiana migrari posse statuisse ex 1 Cor. 8, 1 sqq. 10, 27-30. apparet. Quid ergo, si liberius quidam sentientes, ipsi forsan e Corinthi ecclesia egressi, in Asia proconsulari carnis sacrificae esum et epularum in templis deorum societatem licitam esse docuerunt? Quos homines cum Judaei et ceteri Christiani Bileami praecepta sequi non sine causa jactarent, inditum iis videtur nomen Bileamitae, quod mox in graecum *Νικολαιταί* transiit; satis enim notum, Judaeorum nomina in Graecis regionibus saepissime in graeca conversa esse, ut *δορκάς* ex *ταβιθά* Act. 9, 36. Nomen autem בִּלְעָם seriores Judaei vario lusu vel a בַּעַל עָם *dominus* (tyrannus) *populi*, vel a בָּלַע עָם *absorpsit, perdidit populum* vel alio modo derivavere v. Buxt. lex. talm. p. 314. unde facile in graecum *Νικολαός* transiit. Utque Johannes verbis *κρατοῦντες τὴν διδαχὴν βαλαάμ* v. 14. ipse viam interpretandi monstrat, ita Nicolaitarum nomen tum temporis in Asia pervulgatum fuisse ex ipso sermonis tenore apparet. Mox tamen secta haec (siquidem Christiani quidam una in re a ceteris abhorrentes hoc nomine digni sunt) prorsus exstincta videtur, ut seculo jam secundo frustra Patres Nicolaitarum nomen quaesiverint [1]).

1) male multi interpretes haereticos hos eosdem esse credunt quos contra disputant Judae epistola et 2 Petr. 2, 13-15. Quanquam enim et hi impudicitiae se dederent, at principium tamen a quo egressi erant, longe fuit diversum. Dubitarunt enim an Christi reditus sperandus sit et hinc, remoto poenarum metu, in omnem licentiam effundebantur.

V. 7. In fine attentio ecclesiarum excitatur sueta illa formula ὁ ἔχων οὖς qua saepius Jesus in fine orationum rem auditoribus diligentius ponderandam reliquerat ut Matth. 11, 15. τὸ πνεῦμα simpliciter ita positum haud dubie *spiritus prophetiae* est, quo correptus (cf. 1, 10.) Johannes omnia haec perscribit. Sequens ὁ νικῶν quod in omnium epistolarum fine personat, non est *purus, pius*, quod forsan ex syr. ܙܟܐ sumi possit, sed ex summo totius operis argumento primaque significatione *victorem*, periculis quae undique minantur non succumbentem, *constantem* notat cf. 21, 7. 8. ubi δοῦλοι et ἄπιστοι opponuntur. Arborem vitae, cujus fructum hic ut partem praemiorum commendat, seriores Judaei, ut omnia quae prius terrestrem paradisum ornaverant, in coelum translatam ibique, ut prius in terra, *medio* in horto minoribus arboribus cinctam putarunt, v. eam fusius descriptam in Enoch. 31, 1-5. 24, 1-11. et ap. Schöttgen. ad h. l.; alludit autem Johannes ad 22, 2. Ceterum male μου hic et 3, 2. a quibusdam omissum est Christum hic loqui non reputantibus.

2. 2, 8—11. *Smyrnensis* ecclesia a quo condita sit veteres non tradidere, statumque ejus ex hac tantum perbrevi epistola augurari licet. Christiani ibi ut e pauperibus tantum collecti erant, ita parvi habiti et despecti, imprimis a Judaeorum synagoga adeo vexati, ut a magistratu urbis calumniis Judaeorum in Christianos effusis moto certum jam poenae vinculorum periculum immineret. Unde miseros hos, quos paupertas praeterea a vitiorum irritamento defendit, solatur tantum et meliora sperare jubet Johannes. Cum nec vituperet auctor vitiorum maculas nec falsos doctores dicat ibi errores sparsisse, interpretes Polycarpum Johannis Apostoli discipulum pietate insignem ibi jam tum episcopi munere functum morum castitati invigilasse credunt; sed parum probabile, Polycarpum Marco Antonino Imperatore mortuum Eus. H. E. 4, 15. Iren. adv. haer. 3, 3. sexaginta plus annis episcopi munere esse functum. — V. 8. Apte salutem dicit a Messia semper vivo qui ut sibi vitam reddidit, ita asseclis suis salutem praestare et eos a mortis periculo eripere potest cf. 1, 5. 8. 17. 18. V. 9. θλίψις *calamitas*, cujus generis fuerit et unde orta, non minus aliunde perspicitur, quam cur hujus potissimum ecclesiae chri-

stiani pauperes dicantur; potest tamen θλίψις ad vexationes Judaeorum mox uberius describendas referri. Pulchre solatii causa monet ἀλλὰ πλούσιος εἶ *opibus terrestribus destitutus* ob virtutem tamen praemiis olim ornaberis coelestibus, quae thesauris comparantur asservatis Matth. 6, 20. 19, 21. Ut autem in aliis ecclesiis Judaei rigidiores Christianos saepe illudebant, vexabant, apud magistratus criminum accusabant, immo nonnunquam etiam ut ad vincula et supplicia ducerentur efficiebant (cf. Act. 14, 2. etc.), ita Smyrnae imprimis diu acre gliscere coepisse inter Judaeos et Christianos dissidium, ex Polycarpi Judaeorum fraude interfecti exemplo apparet cf. Euseb. l. c. Tales igitur invidos et impios Judaeos graviter reprehendens honorifico *Judaeorum*, quod sibi solis deberi jactent (cf. 3, 9. 2 Cor. 11, 22.), nomine indignos pronunciat; constat enim illo tempore Judaeos, ut omnes fere antiqui populi nominibus suis bonum omen et gloriam inesse volebant, sanctitatem quam prae se ferebant ex nominibus quoque suis elicere et probare studuisse, ut v. c. ex nomine יְהוּדָה, in cujus sensu jam luserat vetus vates Gen. 49, 8., se *laudandum* (הוֹדָה) deoque carum populum esse jactarent (Rom. 2, 17. Phil. 3, 5.); quam eandem gloriolam cum ex nomine *coetus dei* קְהַל יי Num. 16, 3. 20, 4. etc. quaeque synagoga sibi arrogare non erubesceret, Christianosque hoc nomine indignos judicaret, Johannes acute eos non *dei*, quod sibi persuasere, sed *Satanae* coetum nominat (ut ipse Jesus Joh. 8, 37–44.). Ceterum locus hic probat, quantum tum adhuc temporis Christiani illi nomini Judaeorum tribuerint, ut haec facile videas ante Hierosolyma eversa scripta esse. — V. 10. ἃ μέλλεις πάσχειν vexationes enim graviores minitabantur, praetereaque communis erat opinio, ante Christi adventum maxima fore pericula; unde etiam quosdam per *diabolum* (i. e. per impios, quos diabolus moderari videbatur, Judaeos et magistratum ab his incitatum) in *vincula* (quod poenae genus a magistratu in his partium dissidiis et turbis primum erat, cf. Act. 12, 3. 16, 23.) eo fine ductum iri affirmat, ut *probentur*, ut fidem suam inter maxima pericula probare eoque consummatam virtutem monstrare possint, unde mala (πειρασμοί) strenue obeunda a V. et N. T. scriptoribus haud raro commendantur deusque consulto homines malis explorare dicitur

Gen. 22, 1. Ex. 16, 4. Jac. 1, 2. 3. Rom. 5, 3-5. Simulque solatii causa vexationes has per *breve* tantum tempus (nil enim distinctius innuunt *decem dies*, ut עָשׂוֹר Gen. 24, 55. Dan. 1, 14., fere ut alibi *septem*) duraturas eos sperare jubet. Deinde ad cohortationem progressus, quamvis non vincula tantum, sed *mors* etiam religionis tuendae causa subeunda esset (ἄχρι θανάτου cf. Phil. 2, 8), fidem iis servandam censet, ne praemiis (*coronis*, imagine e ludis graecis deducta Jac. 1, 12. 1 Petr. 5, 4. cf. ad 4, 4. infra) futurae salutis sua ipsorum culpa priventur. Vita s. ἡ ζωὴ vel dilucidius ἡ ζωὴ αἰώνιος ex Judaeorum circa istam aetatem opinione vita est piorum post judicium de omnibus hominibus a Messia habitum in aeternum beata; nam pii tantum *vivent* seu vita sua et luce gaudere poterunt; impii a Tartaro ad judicium convocati et in Tartarum iterum detrusi vitam trahent infelicem et morte pejorem, quae proinde ὁ θάνατος ὁ δεύτερος vel αἰώνιος dicitur cf. Dan. 12, 2. Wetst. ad h. l. Atque ita et ζωὴ bene respondet τῷ θανάτῳ τῷ δευτέρῳ v. 11. et allusio duplex instituitur tum ad introitum epistolae v. 8, tum ad Paradisi coelestis descriptionem 20, 6. 14. 21, 8. ubi v. not.

3. 2, 12-17. In *Pergamena*, de cujus ortu et statu nihil veteres scriptum nobis reliquerunt, ecclesia Christiani egregiam quidem in vexationibus a gentilium haud dubie [1]) superstitione profectis constantiam probaverant, ut ne caede quidem Antipae a fide christiana deterrerentur; at graviter Johannes dolet, quod Nicolaitarum opiniones perversas non repudiaverant. ῥομφαίαν v. 1, 16. ensem cur hic Christum vindicem comitari fingat, ex v. 16. apparet. — V. 13. *Novi* ποῦ κατοικεῖς, *in quam impia et inimica urbe sis*, nempe *ubi thronus Satanae est*, quae verba nonnulli praeeunte *Andreae* comm. ad idolorum cultum referunt, cui Pergamus prae ceteris Asiae urbibus stultam mentem applicuerit, ut daemones ibi consedisse dici possint; alii inde dictum putant quod Pergamum Aesculapii, serpentis s. *draconis* (qualis Satanas dicitur 12, 9.) symbolo repraesentati, cultus nobilitavit v. Th. Hasaeus in bibl. Brem. III. p. 93 sqq. Spanhem. de prae-

1) Judaeos aperte nominat Johannes 2, 9. 3, 9. neque erat quod nomen eorum reticeret; ita ut si nomen eorum non legatur, gentilium vexationes intelligi probabile sit.

stant. numism. IX, 4. Herodian. 4, 4. 8. Martial. ep. 9, 17. et alia ap. Wetst. ad h. l.); sed ejusmodi tecta ad Aesculapium allusio hic non minus temere sumta videtur, quam quae a Wetst. ad verba νεκρὸς καὶ ἔζησε v. 8. (quae ad cultum Aesculapii Smyrnensis refert) e longinquo petita est, neque ullo modo apparet, cur Johannes aut Pergami potissimum idolorum cultum notaverit qui Ephesi v. c. etiam perniciosior fuit, aut exinde Christianis pericula timeat, ubique inter gentiles iis minitantia; igitur, quod ex v. 9. 10. et ex toto Apocalypseos argumento apparet, ob *vexationes* potius Christianis in hac urbe subeundas Satanam nominat, eumque hic quasi sedem suam fixisse fingit, quia Christiani ibi acerrime ad necem usque (quod in ceteris epistolis non affertur) infestati erant. Nec illud concedi potest, voce θρόνος forsan ad *magistratum* Romanum in hac urbe Christianis infensiorem allusum esse. *Κρατεῖς tenes nomen meum* i. e. Christianum te esse non abnegas, Christi a quo nomen geris (v. ad v. 3.), cultum tueris; *καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ne illo quidem maximi periculi et vexationis tempore* quo Antipas trucidatus est. Pergami praeter hunc plures martyres occubuisse tradit Eus. h. e. 4, 14; at hujus omnium primi Antipae, antistitis seu episcopi fortasse, caedes ob ipsam antiquitatem adeo obscurae memoriae est, ut seriores demum martyrologi ex hoc loco fabulas de ejus caede omni fide destitutas fingere cogerentur, quas v. in Act. Sanct. T. II. Apr. p. 3. 4. Martyrologium Antipae, similis haud dubie ingenii, legisse se testatur Andr. in comm. Ceterum notabilis est hoc versu constructionis negligentia, quam alibi frustra in Apocalypsi quaeras. Quam si quis a Johanne removere velit, aut omissis cum multis codd. vocabulis ἐν αἷς pro Ἀντίπας in genitivo rescribendum est ἀντίπα, quod facile ob sequentem nominativum (cf. 1, 5.) in ἀντίπας transire potuit, aut ὅς delendum, quippe quod ex literis ultimis praecedentis πιστός temere repetitis natum sit; ut v. 14. codd. quidam cum Andr. legunt ἐδίδασκεν ἐν pro ἐδίδασκεν. Utrumque ut non certum sumo, ita saltem si codd. quidam assentirent, amplecti non dubitem. — V. 14. 15. Quia Bileami suasu Balak Moabitarum rex Israelitas ad epulas idolo Baalpeor sacras vocatos ad scortandum pellexit, Christiani illo tempore carnis sacrificae esum commendantes Bileami invisi doctrinam sequi dici poterant;

et ipsos horum mores perversos Johannem et aequales ejus ad hanc comparationem ipsumque Nicolaitarum nomen (v. ad v. 6.) inveniendum duxisse, inde satis apparet, quod hic vitium εἰδωλόθυτα edendi tangit, non his ipsis verbis ex Bileami historia desumtum (nam legitur Num. 25, 1. 2. 31, 16. nec in hebraeo nec graeco textu, nec Jud. 11. 2 Petr. 2, 15. ubi Bileam ob alia vitia comparatur cum falsis doctoribus), sed inde a decreti apostolici Act. 15. tempore inter Christianos gentiles agitatum, indeque a seriori hoc tempore ad antiquum Bileami relatum. Et ex ipsá versuum duorum indole elucet, Nicolaitarum nomen proprium fuisse falsis istis doctoribus; unde comparationem instituit: *ut Israelitae* olim Bileami doctrinam secuti peccarunt, ita eodem vitio Nicolaitae peccant. βαλεῖν σκάνδαλον ἐνώπιον ex hebr. נָתַן מוֹקֵשׁ (seu מִכְשׁוֹל) לִפְנֵי Ez. 3, 20. 14, 3. Jer. 6, 21. Rom. 14, 13. 3 τιθέναι πρόσκομμα prop. *offendiculum, obstaculum objicere, quo quis impingat vel aberret*, ut de impedimentis exercitus progressum inhibentibus Judith 5, 1. saepissime in V. T. de iis dicitur, qui sollicitando homines ad vitia abripiunt; peccato enim abreptus πταίει כָּשַׁל *impingit, cadit* Deut. 7, 25. Jac. 2, 10. 3, 2. Ceterum lectio ob dativum verbo διδάσκειν appositum (v. p. 43.) incommoda visa in his versibus admodum fluctuat. Pro ἐδίδασκεν τῷ Βαλὰκ alii legunt ἐδ. ἐν τῷ Β., Andreas vel ἐδ. ἐν τῷ Βαλαὰμ τὸν Βαλὰκ docuit Bileam per Bileamum i. e. diabolum Balacum, quod si in pluribus codd. inveniretur nec tantum ex literis ultimis vocis ἐδίδασκεν male repetitis ortum videretur, melius explicari possit: *in parte Pentateuchi de Bileamo* (cf. Marc. 12, 26. Phil. de agricult. T. I. p. 203. ed. Franc.), ut Judaei revera Parascham בלק constituunt; sed talis citatio hic praeter ordinem foret. In fine edd. aliae ὃ (quod etiam ob nexum faciliorem in ἣν mutatum est) μισῶ, aliae ὁμοίως legunt; praeferendum censeo quod in codd. quibusdam legitur ὁμοίως ὃ μισῶ vel ὃ μισῶ ὁμοίως (*quale tuum factum non minus odi quam Israelitarum olim* gravi propterea poena affectorum Num. 25, 3 sqq.), certe alterutrum ob similes literarum ductus facillime omitti poterat. — V. 16. οὖν Griesb. ex codd. pluribus adoptavit; sed insertum videtur ad orationem emolliendam collatis parallelis 2, 5. 3, 3. Minae (ut v. 5.) non ita intel-

ligendae sunt, quasi Christus, si resipuerint, non adventurus sit; sed ita ut sensus sit: *in adventu meo* ut omnibus ita tibi exspectando *puniam impios illos qui inter vos peccant*; igitur verba ἔρχομαί σοι ταχύ, nisi hebraea lingua enunciationes brevissimas adamaret, proprie sic jungenda fuissent: *ego qui repente adero puniam*; bene etiam σοι et αὐτῶν distinguuntur, cum poena haec gravis impiis tantum immineat cll. v. 20-24. Quod autem multi cum Wetst. et Herd. ense Christi hic ad gladium a Bileamo conspectum Num. 22, 23 sqq. alludi putant, in hanc quam supra depinxit auctor imaginum seriem non quadrare facile apparet.

V. 17. Manna, cujus esum Israelitae in deserto fastidiebant, postea a serioribus imprimis poetis *dulce coeli donum* dicta est Ps. 78, 24. 105, 40. cf. Suiceri thes. II. p. 266. Quae opinio miro modo post exilium adaugeri coepit. Cum enim arca foederis a Nebucadnezare haud dubie incensa templum post exsilium constructum careret, seriores Judaei, ut et arcae olim sanctissimae sanctitatem defenderent et cur templum Serubabelis arca (quam ob tabularum Mosis aliarumque quae priorem distinxerant rerum defectum Serubabel restituere non potuisse videtur) destituatur explicarent, arcam non incensam sed ante Nebucadnezaris adventum jam sive a Josia rege sive, quod plurimis placuit, a Jeremia tuto in loco una cum aliis sacris rebus, ut vasculo mannae, candelabro etc. absconditam (2 Macc. 2, 4—7. Abulfarag. hist. dyn. p. 57. Eisenmeng. Judaism. II. p. 858. Wetst. ad h. l.) finxere; adduntque fabulae, Jeremiam haec semper abscondita fore dixisse, donec Messiae antiquum et majorem etiam templi splendorem restituentis adventu iterum patefiant v. Fabric. cod. apocr. V. T. I. p. 1112 sqq. et quae infra notantur ad 11, 19; alii denique arcam et cetera ut totum templum in coelum translata cogitavere. Igitur cum vasculum quoque mannae juxta arcam asservari solitum Ex. 16, 32-34. Hebr. 9, 4. nunc *absconditum* in Messiae regno iterum affuturum crederent, Johannes pios in conviviis olim gaudii societatis cum Messia significandi causa celebrandis (3, 20. 19, 9.) manna hac ut cibo coelesti fruituros fingit. Et bene quidem esui carnis sacrificae mannae gustus dulcissimus opponitur; sed difficilius est de sequenti ψῆφος certi quid statuere. Explicant id, ut

contortas plane ut Herderi explicationes taceamus, 1) multi cum Wetst. ex traditione seriorum Judaeorum una cum manna Israelitis in deserto *lapides pretiosos et margaritas* pluisse v. Eisenmeng. Judaism. T. I. p. 484. Sed utut haec ex prava Ex. 16, 14. explicatione ducta sint, tamen huic loco, ubi *unus* tantum lapis cuique dandus memoratur, quomodo conveniant non patet. 2) Vitringa et Lange ad judicum Romanorum et Graecorum morem referunt *lapillis albis* reos absolvendi *atris* condemnandi (Plin. ep. 6, 11.), ut sensus sit Messiam judicii tempore candorem et felicitatem piorum publice declaraturum esse. In quo tamen partim nescitur, quid sequens *nomen divinum* in tali calculo scriptum sibi velit, more graeco, cujus alibi in N. T. mentio non fit, mire cum hebraeo mixto; partim suffragia non reo absolvendo sed magistratui dabantur. 3) Grotius praeunte Andreae et Arethae comm. ad ludos Olympicos alludi putat, e quibus victores progressi, si urbem patriam intrabant, *tesseram* accipiebant, in qua quid emolumentorum honoris causa publice nacturi essent, indicatum erat; cf. Sam. Petiti var. lect. c. 8. Hic ergo pro nota hac emolumentorum et facultatum tesserae inscribi solita *nomen divinum* inscriptum esset, in quo nescio annon graecus et hebraeus ritus nimis confusus sit. 4) *Nomen novum cujus sensum nemo* (mortalium) *nisi cui deus tradit intelligere potest* est haud dubie *nomen divinum dei patris et Christi*, ex nota opinione qua Judaei seriores nomen יהוה mortali et pronunciari et recte intelligi non posse, quaevis autem maxima per se sua vi efficere et securitatem praestare (v. ad 7, 3.) statuebant cf. praeter rabbinica satis nota Ascens. Jes. 1, 7. 7, 37. 8, 7. 9, 5. 10, 12. 15. Danzii rabb. enucl. p. 116. Ut igitur nomen hoc laminae in pontificis maximi capite inscriptum maximae erat venerationi Ex. 28, 36. 39, 30, ut ex seriorum Judaeorum opinione deus nomen illud Caini capiti affigens omnem ei salutem contulit (Pseudojon. ad Gen. 4, 15.), ita etiam in Apocalypsi nomen illud saepius (3, 12. 7, 3. 14, 1. 19, 12.) pii gerunt quo salutem sibi comparent infinitam. Utque nomen hoc alias inscriptum est *laminae*, ut Ex 28, 36. ad quem locum haud dubie respexit auctor, ita hic *lapidi pretioso* s. *gemmae* (ut ψῆφος et ψηφίς saepius, v. c. Longi Pastor. IV. p. 128. ed. Lond.), ad similes omnino usus inservienti cf. אֶבֶן Ex.

28, 21. *Candida* est gemma s. *splendens*, sicut omnia quae ad ornatum hunc coelestem pertinent, ut *vestes candidae* v. ad 3, 5. Quid autem sublimius quam Christianos pios omnes eodem quo olim sacerdos summus (cf. 1, 6.) modo deum cognoscere? Nec male *mannae* juxta arcam reconditae decus summi sacerdotis sanctum sanctorum intrantis adjungitur.

4. 2, 18—29. Quanquam non constat quo tempore condita sit *Thyatirorum* (de urbe ignobili v. Steph. Byz. s. h. v.) ecclesia, primis tamen jam rei christianae temporibus ante scriptum hoc opus ibi floruisse coetum aliquem ex hac epistola satis elucet; forsan Lydia, ex hac urbe Lydia, ut videtur, Philippos profecta ibique Christiananam fidem studio laudabili amplexa et a Paulo diu instituta Act. 16, 14. 15. in patriam urbem redux ecclesiam condidit. Christiani ibi laudem quidem virtutibus caritatis mutuae et constantiae meruerant adeo ut studium fidei christianae indies cresceret: sed iidem mulierem quandam Nicolaitarum praecepta commendantem impune passi erant ad errores suos quosdam seducere. Unde laudibus virtutum praemissis graviter in mulierem istam et paucos ejus sequaces invehitur auctor, ceteros modo ne iisdem erroribus abripi se patiantur, felices fore praedicans. Nomen ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ex *Ps.* 2, 7. haustum Judaeos jam ante Jesum natum Messiae dedisse patet ex nobili loco Enoch. 104, 2. cf. 4Esr. 13, 37. 52. Sohar. ad Jes. 19, 1. et Ilgen comm. in Pauli Memorabilien T. VII. p. 135 sqq. de φλ. πυρ. et χαλκολιβ. v. ad 1, 14. 15. — V. 19. *Amori erga pauperes* (ἀγαπῇ v. 4.) bene jungitur διακονία *sustentatio*, imprimis sensu christiano eoque novo sublevatio pauperum beneficiis erogandis cf. Act. 11, 29. quibus stipibus colligendis et administrandis praepositus vocabatur διάκονος, nec discerni potest, utrum Johannes hic stipem ecclesiae hujus usibus destinatam, an stipem annuam Hierosolymitanis colligi solitam (2 Cor. 9, 1.) intellexerit; probabilius tamen posterius non est, cum prius jam in voce ἀγαπῇ contineatur. — V. 20. ἀφεῖς bene explicat glossa perperam in multas edd. recepta ἐᾷς *sinis*, non repudias et dimittis. Mulier haec eadem prorsus carnis sacrificae esus indeque vitae perversae et lascivae praecepta dedisse videtur quae Nicolaitae commendabant; et quanquam una in ecclesia hos errores sparsit,

tamen quia eam impune siverant Christiani, asseclas jam suos nacta erat v. 22. Nomen ejus, quod Christianis in ecclesia haud dubie satis bene notum erat, modestiae causa consulto reticens, gravius *Jezabelem* eam dicit, quae uxor Ahabi regis, Sidonii regis filia, cum ad varia vitia imprimis idolorum cultum et maritum pellexisset et ceteros Israelitas adigere maxime enisa esset, quantum Israelitis piis invisa fuerit, ex 1 Reg. 16, 31. 18, 19. 21, 25. 22, 53 sqq. 2 Reg. 3, 2. 9, 22. satis apparet, quanquam, quod hic imprimis urgetur, φαγεῖν εἰδωλόθυτα nusquam in V. T. et alibi ut singulare et summum Jezabelis vitium notatum haud dubie Johannis tantum tempore summum habebatur. Ceterum mulier ista Jezabelis mores referens in ipsis coetibus sacris doctrinam suam publice et quasi res gravissima esset divino jussu commendavit (ἡ λέγουσα ἑαυτὴν προφῆτιν); nam ut cuique primis rei christianae temporibus animi sensa in coetu publico proferre licuit, ita foeminis quoque idem non vetitum, a Paulo tamen limitibus coercitum fuisse ex Rom. 16, 1. 1 Cor. 11, 5. 14, 34. Act. 21, 9. (cf. Jud. c. 4. 5.) apparet. Male autem multos interpretes foeminam hanc pro tota secta seu ecclesia impia poni existimare intelligens quivis videt. — V. 21. Ex hoc v. colligi potest, satis diu jam mulierem istam errores suos impune sparsisse, ita ut deus quasi clementia ductus non statim eam punivisse dici possit. Poena vero merita jam instans ab Israelitarum qui peccata et idolorum cultum in deserto peste saepius luerunt Num. 14, 37. 25, 1—9. exemplo exprimitur. *Κλίνη* ex hebr. מִשְׁכָּב Ps. 41, 4. et מִטָּה 2 Reg. 1, 4-17. ܥܪܣܐ Ephr. Syr. Op. T. III. p. 284 sqq. de *lecto aegroti* dicitur, unde *in lectum conjicere* (cf. syriaca in J. D. Michaelis lex. p. 557.) est aegrotum reddere. *οἱ μοιχεύοντες* sunt qui doctrinam mulieris de licito carnis sacrificae esu sequentes vitae in festis gentilium impurae et lascivae, quod ipsa praeivit, exemplum imitati sunt. — V. 23. *Filii* quoque puniuntur ex nota antiquorum opinione, qua summum peccati periculum expressuri et ut prorsus aboleatur cupientes, ex parte naturae etiam legem sequentes, *posteros* quoque peccata parentum luere statuebant cf. 2 Reg. 9, 7-9. *θάνατος* cll. 6, 8. 18, 8. non est simpliciter *mors*, quomodo hic redundaret, sed *morbus gravissimus* mortem semper afferens i. e. *pestis*;

cum enim Aramaei vocabulo pesti proprio careant, voce generaliori utuntur ut Syri ܡܘܬܢܐ Barhebr. p. 355, 14, quod Peschito ut Targumi מוֹתָא pro hebr. דֶּבֶר ponunt (2 Sam. 24, 13, LXX etiam haud raro דֶּבֶר per θάνατος expressere). His ergo poenis divinis omnes intelligent, deum *arcana* etiam quae impii celare student vitia notare; νεφρούς ex Ps. 7, 10. aliisque locis. — V. 24. βάθη *profunda, abscondita* nominantur partes doctrinae intellectu difficiliores 1 Cor. 2, 10. cumque Nicolaitae isti doctrinam suam de licito carnis sacrificae esu rationibus abstrusis et obscuris velantes (ut alii quoque haeretici *alta*, sua mysteria venditarunt cf. Tertull. adv. Valent. c. 1. et Suicer. thes. eccl. I. p. 12. 615.) se penitius intimas christianae fidei causas rimatos esse et τὰ βάθη ejus cognoscere jactasse videantur, Johannes hoc ipsum quo gloriabantur vocabulum retinens addit tantum grave illud τοῦ σατανᾶ *mysteria, quae dicunt, revera Satanae,* vt v. 9. 3, 9. συναγωγὴν θεοῦ quam jactabant Judaei, in συν. τοῦ σατανᾶ, qualis ex sua mente erat, acerbe converterat. βάρος non est cum Vitring. *de lege, officiis* quae Judaei *jugum* עֹל Jer. 5, 5. v. Schöttg. ad Matth. 11, 29. nominarunt, intelligendum, cum hoc ab hujus loci nexu alienum sit et praecepta gravia a Jesu nunquam data vel aucta sint; sed βάρος est *onus, molestia* Matth. 20, 12. ut כֹּבֶד Jes. 21, 15. unde etiam de calamitatibus a deo immissis dici potest; jam vero omnibus quidem hac in ecclesia calamitates ob vexationes gentilium tolerandae erant (v. 19.), sed quas praeterea deus poenae instar impiis se immissurum modo minatus est v. 22. 23. eae piis non timendae sunt; unde v. 25. bene pergit: πλὴν ὃ ἔχετε *tantum quod laudis* constantiae imprimis in fide christiana tuenda *nunc vobis est* (v. 6.), *id ne vobis eripiatur annitimini.* — V. 26. Pulchre ita adnectitur jam futurae, quam omnibus virtutibus ornatus olim sperare potest, felicitatis descriptio, hausta ea magnam partem ex Ps. 2, 8. 9. ad Messiam translato. τὰ ἔργα μου *quae facienda ego praescripsi* bene opponuntur τοῖς ἔργοις impiae istius foeminae v. 22. De opinione ista tempore vulgata, pios *regnum* in gentes exercituros esse cum Christo, v. ad 1, 6. dicta; male enim quidam hic ad Jezabelis regno et vita privatae historiam

contrariam alludi putant. — V. 27. Ad verbum fere haec ex LXX. Ps. 2, 9. expressa. Imago regis hostes suos facillima opera conterentis et dispergentis in utroque membro plenior multo et pulchrior est lectione textus hebraei תְּרֹעֵם *confringes eos* sceptro regio forti et gravi, quam versionis LXX. faciliore, quae primo aspectu videtur, lectione תִּרְעֵם *pasces, reges eos*; et cum Johannes praeterea versionem LXX. ὡς σκεύος συντρίψεις αὐτούς in ὡς σκεύη συντριβήσεται (v. p. 39.) mutaverit, non bene apparet, quomodo comparatio haec cum priori membro cohaereat. — V. 28. Verba ὡς κἀγὼ εἴληφα sc. ἐξουσίαν v. 26. haud dubie non sunt cum sequentibus jungenda; de ipsa re cf. Luc. 22, 29. Ultima verba καὶ δώσω αὐτῷ τὸν ἀστέρα τὸν πρωινόν eo tantum fine adjecisse videtur poeta, ut formae quam sibi praescripserat legi satisfacturus ad initium epistolae v. 18. ubi Christi *splendor lucidus* descriptus erat, in fine alluderet. Notum satis est, hominem illustrem (vel formosum ut אֶסְתֵּר Est. 2, 7 = ἀστήρ) *lampadem lucentem* vel *stellam* vel *solem* dici, ut Davides 2 Sam. 21, 17. vel splendorem ejus cum lampade, stella, sole comparari; nobilis est inter ceteras comparatio cum *stella matutina*, Lucifero seu φωσφόρῳ, qua primus Babylonis splendorem depicturus usus esse videtur Jes. 14, 12. Et Messiam quidem jam pridem Judaei *stellam* nominaverant (ut infra 22, 16, unde et Trajani tempore Messiam *Bar-cocab* nominabant), ducti imprimis loco Num. 24, 17. ubi כּוֹכָב de Messia explicabant, et imagine *lampadis* qua vetus scriptor Davidem insigniverat 2 Sam. 21, 17. Ut autem pii omnino fortunae et praemiorum Messiae participes erunt, ita splendore quoque Messiae hoc eximio ornati erunt (Matth. 13, 43.), ut is stellam matutinam, cujus radiis ipse fulget, piis *dare* videatur: *stellam* enim in hoc symbolico libro saepius pro *fulgore et radiis stellae* poni ex 12, 1. satis apparet. Quae tenenda sunt, ne vertamus: *faciam eum stellam*; nunquam enim adeo in hoc libro graeca dictio confunditur, ut δώσω αὐτῷ pro θήσω αὐτόν *faciam eum* dici possit.

5. 3, 1—6. In vetere Lydiae metropoli, *Sardibus*, quae ex remota jam antiquitate ob luxuriam qua diffluebat et mores pravos infamis erat, Christiani, haud mul-

tum, uti videtur, ceterorum civium moribus superiores ob turpia quae perpetravere vitia (quae singula tamen ne tetigit quidem Johannes) tantum a doctrina christiana degenerarant, ut nomine ecclesiae christianae prorsus indigni judicandi essent. Videntur igitur Christiani gentilium prorsus mores iterum sectati esse, eorum immemores, quae christiana religio non patiebatur; unde etiam a gentilibus, quibuscum amice conspirabant, eos non esse vexatos inde colligi potest, quod Johannes τὴν θλίψιν et ὑπομονήν non memorat. Gravi igitur vituperio cum minis praemisso a paucis tantum his vitiorum sordibus non inquinatis futurae salutis piis imminentis vivide describendae ansam sumere potest. In praedicato Messiae hic notandum, *septem spiritus dei*, de quibus v. ad 1, 4, Messiae tribui. Quanquam enim alias septem hi spiritus dei thronum circumstant, tamen ut alia praedicata divina in Messiam transferuntur, ita spirituum etiam horum splendor cf. Enoch. 48, 3. p. 51. ubi *tres* spiritus Messiam comitantur. Cumque spiritus hi lampadum seu oculorum lucentium imagine exhibeantur (v. p. 89.), poterant ob hanc imaginis similitudinem cum *septem stellis* (quas alias Messias tenere dicitur 1, 16. 2, 1.) componi, ut ipsa hac junctura Messiam ecclesias, quarum antistites stellis his respondent, observare easque πνευματικάς, spiritu divino et vigore agitatas esse debere innuatur. ὄνομα ἔχεις *nomen, famam habes* quasi *vivas, quanquam revera mortuus es;* nota enim est Apostolorum, Pauli imprimis, imago, qua homines ignorantiae peccati nocte sepulti per Christum *vitam* nacti dicuntur, ut jam porro in virtutum studio strenue persequendo nunquam delassentur et fatiscant cf. Rom. 6, 13. 2 Cor. 4, 11. Eph. 2, 1. 5. Igitur Sardii summae hujus vitae christianae conditionis immemores *vitiis sepulti et quasi mortui* sunt, ut similiter νεκρός dicitur qui in virtutum studio negligentior et segnior est Matth. 8, 22. — V. 2. In eadem persistens imagine pergit: *evigila* et *confirma cetera quae* ἀποθάνειν i. e. *moriendo,* otiando, *amissurus es,* auge et obtine quae hucusque tibi mansere virtutes, ne mox et has amittas (vix enim τὰ λοιπά pro τοὺς λοιπούς dici posse videtur, imprimis cum de paucis insontibus infra demum v. 4. sermo fiat). Lectio admodum variat; genuina mihi videtur ἃ ἔμελλες ἀποθάνειν, pro quo satis multi e glossa ἀποβάλλειν legunt; alii multi cum partim imperfectum ἔμελλες, ex

veterum epistolae scribendae usu [1]) explicandum, obscurum videretur, partim ἀποθνήσκειν audacius cum accus. positum offenderet, mutarunt illud in ἔμελλεν vel μέλλει, parum reputantes, ex indole linguae hujus libri neut. pl. cum pl. construi. — πεπληρ. = τέλειος *neque enim facta tua deo perfecta videri* (hoc est ἐνώπιόν τινος ex hebr. לִפְנֵי) *inveni.* — V. 3. *In memoriam tibi revoca omnia ut doctus es,* i. e. nihil mutans, sincere eadem recolens, (neque enim πῶς pro ποία dici potest); institutio autem doctrinae christianae illo tempore non scriptis, sed *ore* fiebat per ipsos apostolos (unde praeceptor *dat* נָתַן Joh. 17, 8. discipulus *accipit,* לָקַח, παραλαμβάνειν 1 Cor. 11, 23.) vel discipulis apostolorum aliisque, quae acceperant, imprimis narrationes de vita Jesu, enarrando repetentibus. *Fur* imago est *de repente* et *clandestino* advenientis Joel 2, 9. eratque tum temporis inter Judaeos pervulgata opinio Messiam inopinato, *media nocte* adventurum esse (v. Hieronym. comm. ad Matth. c. 24.), fere ut olim Israelitae media nocte Aegypto egressi salutem nacti erant Ex. 12, 29; eadem imago ut saepius obvia est de Christo Matth. 24, 42-44. 25, 14. 1 Thess. 5, 4. ita hoc imprimis loco aptissima, ut Messias *dormientes* et segnes opprimens depingatur. Adventum gravem et inopinatum exprimit etiam junctura ἥκειν ἐπί בּא עַל cf. gramm. crit. hebr. p. 610.

V. 4. ὀνόματα usu satis raro de *capitibus* i. e. personis dicitur, ubi simul de *numerandis* iis sermo est cf. 11, 13. Act. 1, 15. haustum videtur ex שֵׁמוֹת Num. 1, 2. 18. 20. 3, 40. 43. 26, 53. (haec certe sola notio hic apta videtur); de *numero* explicat Schleusn. thes. in LXX. T. IV. p. 93. quod, tamen hic ob ipsum pluralem ferri nequit. *Innocentes, virtutis studio ductos* notat, per eos *qui vestes suas non inquinarunt.* Ut enim omnino color *candidus* laetitiae est munditiei et innocentiae [2]),

1) hunc etiam bene graecum usum in N. T. reperiri probat praeter alia illustre exemplum 1 Petr. 5, 12. ἔγραψα *hanc epistolam scribo,* quod obiter noto, multos intt. hunc locum minus dextre intellexisse videns.

2) id maxime apparet ex Enoch. 88, 1—89, 46. ubi variae imagines, ut vaccae, suis, ovis *albae* pios proavos aliosque notant. Cf. Apocal. Pseudojoh. in Birch auct. cod. apocr. Fabr. p. 252 sq. Oppositum ῥυπαρός v. 22, 11,

ater vero tristitiae et poenae Zach. 3, 3 sqq., ita imprimis *sacerdotes summi* munditiei summae externo habitu studentes tunicas gerebant albas Lev. 16, 4 sqq. ut *candidas vestes servans* virum pium sacerdotis sanctitatem tenentem significet. A terra haec ad coelum translata; finguntur que a Judaeis non angeli tantum albis induti tunicis ut Enoch. 89, 41. sed pii quoque coelum ingredientes novis ornari candoris splendidi vestibus; utque divites in terra magnam vestium copiam in promtu habent (2 Reg. 5, 5. 10, 22. Jac. 5, 2. Il. ζ, 100.), ita addunt in coelo ingentem vestium multitudinem asservari cf. 4 Esr. 2, 39. 44. 45. Enoch. 61, 18. (ubi *vestes vitae* dicuntur), Ascens. Jes. 3, 25. 4, 16. 8, 14. 26. 9, 9. 25. Zohar ed. Amstel. I. p. 66. II. p. 210. Eisenmeng. Jud. T. II. p. 310. Schöttg. ad h. l. Hinc praeter hunc locum, in quo vestes albae ut decoris et virtutis praemii futuri signum bene vestes albas ut vitae terrestris innocentiae imaginem sequuntur, saepius in Apocalypsi pii in coelo vestibus ejusmodi indui finguntur 6, 11. 7, 9. 19, 8. ubi ipse auctor explicat: *τὸ βύσσινον τὰ δικαιώματά ἐστιν τῶν ἁγίων.* — V. 5. Imagini de vestium albarum usu alteram jungit ei vicinam. Libri *τῆς ζωῆς,* in qua seriores hujus generis scriptores omnium ad *τὴν ζωὴν* (v. ad 2, 7.) seu ad regnum coeleste aeternum admittendorum nomina perscripta fingebant, imago ducta est ab antiquis poetis Ex. 32, 32. Jes. 4, 3. Ps. 56, 9. 69, 29; ut enim magistratui libri sunt memoriales, in quibus mortuorum nomina delentur, ita vitae futurae felicitate indigni e tabulis hujus generis divinis exulant cf. 13, 8. 17, 8. 20, 12. 21, 27. Dan. 12, 1. eademque locutio Enoch. 105, 21. Omnino ad apparatum judicii divini, qualem seriores hi poetae secundum judicum seriorum e scriptis libellis causas cognoscentium morem describunt, solennem librorum, in quibus facta humana quaeque diligenter perscripta cogitantur, inspectio pertinet cf. 20, 12. Dan. 7, 10. Enoch. 47, 3. 88, 104-118. 89, 21. 25. 30-33. 96, 15. 16. 99, 4. 103, 1. 2. 105, 16. 17. 23. 4 Esr. 6, 20. Ascens. Jes. 9, 22. Denique si pii judicium subibunt divinum, Messias aderit iis patronus strenuus; is enim coram deo angelorumque judicio praesentium corona *ὁμολογήσει τὸ ὄνομα agnoscet* (ita enim tutissime explicatur, non est *laudat*) *nomen eorum,* eos sibi cognitos et probatos profitebitur; quae locutio ex Matth. 10, 32. ubi *τοῦ πατρός* et Luc. 12, 8.

ubi τῶν ἀγγέλων legitur, conflata videtur. Et hinc in initio etiam v. 1. Messias se *dei potestatibus* uti dixerat.

6. 3, 7—13. In ecclesia *Philadelphiae*, quae urbs a conditore Attalo Philadelpho Pergami rege nomen nacta est, Christiani neque a gentilibus multa perpessi videntur, neque in virtutum studio defatigati: sed coetum christianum vix nascentem et crescentem (v. 8. μικρὰν ἔχεις δύναμιν) Judaeorum (cf. 2, 9.) superbia et invidia infestabat; quam cum Christiani fortiter tolerantes a fide sua tuenda nullis conviciis et vexationibus deterrerentur, Johannes tam acre studium collaudans et ad altiora excitans spem imprimis facit fore ut mox Christiani rebus suis adauctis se Judaeis superiores conspiciant, utque Judaei ipsa hac speranda Christianorum nunc ob tenues res despectorum prosperitate moti vitia sua summa reverentia Christianis exhibenda emendare studeant. *Ὁ ἅγιος* (קָדוֹשׁ Hos. 11, 9. Hab. 3, 3. poetis haud raro est deus) *sanctus*, qui ob ipsam suam sanctitatem injuriam Christianis a superbis Judaeis illatam ulciscitur, ὁ ἀληθινός ex 1, 5. promissis suis de beata piorum sorte stans, uti deinde v. 12. uberius describetur. Quod Messias hic *Davidis clavem* gestare dicitur, haustum quidem est ex loco Jes. 22, 22. (*clavis domus*, quae vox hic omittitur, *Davidis*) a Judaeis dudum in Messiam translato, sed novo tamen modo hic enunciatum reperimus. Ut enim Messias omnino Davidem refert (5, 5. 22. 16.), ita *potestatem* quoque (cujus signum *clavis* est cf. ad 1, 18.) in totum Davidis regnum exercere fingitur, ita ut Judaeis etiam imparet eosque Christianos venerari cogere possit cf. v. 8-9. Sequentia *qui aperit nullo claudente* etc. in genus quidem *potestatis* tantum *perfectae* imaginem plenam sistunt cf. Jes. 22, 22.; ipse tamen scriptor statim v. 8. ad singulum quid refert. Est enim locutio inter apostolos satis frequens: *portam fidei aperuit deus* i. e. efficit ut multi Judaei vel gentiles introeant in fidem christianam Act. 14, 27. 1 Cor. 16, 9. 2 Cor. 2, 12. Col. 4, 3. igitur δέδωκα ἐνώπιόν σου θύραν ἀνεῳγμένην ex hoc doctorum christianorum usu innuit: nemine impediente efficiam ut quam plurimi fidem christianam amplexuri ad te se convertant, ut inimici tui te venerentur, id quod sequenti versu dilucidius sine imagine exprimitur. Alii imaginem v. 7. 8. ita explicant, ut regnum divinum s. Messianum describa-

tur, cujus aditum Christus piis aperiat, ab impiis arceat Matth. 16, 19.; hoc tamen nescio an hic quidem jam apte desribatur, cum infra demum v. 12. ut in fine ceterarum epistolarum spes regni Messiani excitetur; certe prior explicatio nexui sententiarum v. 7-9. (cf. imprimis ἥξουσι v. 9.) et loco Jes. 22, ubi similiter *clavis* potestatem tantum notat, multo aptior videtur. Ceterum singulare in hac epistola deprehenditur, quod Johannes miseros et despectos solandi cupidine abreptus prius felicia sperare jubet, quam mores eorum exposuit; unde postea ad τὰ ἔργα explicanda addit: ὅτι μικρὰν ἔχεις etc. cf. 2, 13. — V. 9. Efficiam (δίδωμι נָתַן v. Ez. 15, 8 etc., ob longiorem verborum insertorum seriem deinde repetitur ποιήσω αὐτοὺς cf. infra 12, 9. Deut. 28, 52.) ut Judaei, qui nunc nomine suo sacro elati se solos synagogam dei constituere gloriantur, verius autem Satanae synagogam constituunt (idem 2, 9.), mox te venerentur submisse societatem fidei christianae cupientes. Notum est, prophetas veteres inimicos Judaeorum olim meliora edoctos submisse cultum dei amplexuros et venerationem maximam supplicum more (προςκυνεῖν ἐνώπιον τῶν ποδῶν הִשְׁתַּחֲוָה לִפְנֵי) probaturos esse cogitasse Ps. 72, 9. Jes. 2, 3. 60, 14. cf. infra ad 21, 24. Certe ne cogitemus cum Storrio l. c. p. 451. poetam hos Judaeos, quippe quos Satanae esse dicat, a regno divino arcere voluisse. Quomodo autem amor Christi in asseclas suos, e quo Judaei hi de fidei christianae praestantia sibi persuadeant, cogitandus sit, ipse poeta fusius v. 10. describit, arctissime cum priori ἠγάπησά σε conjungendo. Scilicet ingruentibus mox impiorum causa calamitatibus gravissimis, quos Messiae adventum praecedere vulgaris tum erat opinio (Matth. 24, 6. cf. supra §. 1-3.), incolumes erunt Christiani pii (7, 3 sqq.); unde Judaei ecclesiae prosperitatem ut pietatis praemium conspicientes ira sua dimissa societatem fidei christianae submisse expetent. De ὑπομονή μου v. ad 1, 9. de πειρασμός hic in genus *calamitatem a deo immissam* signante v. ad 2, 10. οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς in genus quidem *omnes* sunt *homines*; cum tamen calamitates hae piis Christianis non nocere dicantur, per se apparet ceteros tantum (at quanta pro paucorum istorum numero multitudo!) intelligi, gentiles, Judaeos, Christianos etiam impios. Quae quidem phraseos saepissime obviae generalior significatio per totam Apocalypsin

tenenda est, hoc tantum discrimine, ut inde a 11, 15. Judaei saltem Hierosolymitani, quippe qui ad pium Christi cultum tum erunt conversi 11, 13., hoc impiorum numero eximantur. — V. 11. Virtutum tuarum decus tuere ne praemio exinde tibi sperando excidas! cf. 2, 10. et de στεφ. 2, 10. — V. 12. Ut initio epistolae Johannes e loco Jes. 22, 22. egressus erat, ita ad eum in fine revertitur; cumque Jesaias v. 23. praefectum in statione quam adeptus est honoris *firmiter* manentem *paxillum alte infixum* (Esr. 9, 8. 9.) nominet, Johannes imagine paullo nobiliori suaeque aetati aptiori Christianum pium, sacerdotis dignitate ornatum in regno coelesti quod hinc *templum dei* nominatur (v. vero 21, 22.), *columnam* appellat, non ut eos homines fidos et quasi Christi consiliarios esse innuat, sed ut pios *semper* (22, 5.) in loco sancto securos et immotos mansuros esse exprimat; quam solam notionem hic esse tenendum, non tantum Jes. 22, 23. monstrat, sed etiam quod ipse poeta eam solam urguet, addens *καὶ ἔξω οὐ μὴ ἐξέλθῃ ἔτι nec unquam amplius inde egredietur*, stabilis et firmus erit in templo, quae quidem verba ut sequens *αὐτόν* non ad columnam, sed ad hominem procul dubio referenda sunt; monstrat id jam part. *ἔτι*. Ceterum *ἐξέρχεσθαι exire* ex Aramaeorum more (cf. gr. crit. hebr. p. 208 not.) pro *ejici* dicitur cf. Marc. 4, 21. Aliam deinde huic adjungit imaginem, quam brevius jam supra 2, 17. attigerat: capiti ejus frontale affigitur simile ornamento pontificis summi, non tantum nomen dei inscriptum exhibens, ut 2, 17. sed simul urbis sanctae, in qua domicilium habebit (v. de nova Hierosolyma ad 21, 2.), et ipsius Messiae; in qua quidem fictione indulsit sibi poetae ingenium, supra Judaici ingenii quae jam reperiebat commenta egressum. Judaei enim jam non tantum nomen dei *Jehova* mortalibus haud intellectum, *novum* igitur piis patefactum iri, sed *Messiam* etiam et urbem sanctam Hierosolymam nomen hoc *Jehova* gesturam esse putabant; cf. tract. baba bathra fol. 75. 2. ap. Eisenmeng. Judaism. T. I. p. 449; Messiae nomen divinum *Jehova* deberi concluserunt ex Jer. 23, 6.; Hierosolymae ex verbis וְשֵׁם הָעִיר יְהוָֹה שָׁמָּה Ez. 48, 35.

7. 3, 14—22. *Laodiceae* ecclesiam jam circa annum 60 conditam fuisse, inde satis patet, quod Paulus Colossenses epistolam ipsis scriptam Laodicenis legendam tra-

dere jubet Col. 2, 1. 4, 13. 14. Paulo serius cum Johannes epistolam hanc scribebat, Christiani, divitiis procul dubio, quibus urbem hanc olim tenuem tum temporis celeriter auctam esse tradit Strab. 12. p. 866. cf. v. 17., elati et securi facti in socordiam delapsi esse videntur, ut quanquam vitiis foedis non inquinati neque a recto tramite se secessisse credentes, strenuo tamen virtutum studio omisso a vere christianae vitae laude multum abessent. Unde praemisso vitae dubiae vituperio gravi ad meliora hortatur Johannes; amore tantummodo ductum se mores istos corripere, nec nisi pietate et constantia insignem praemia prosperitatis futurae reportaturum esse. Ὁ ἀμὴν (cf. p. 36.) idem ὁ μάρτυς ὁ πιστός v. 1, 5. Quid sit ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ admodum disceptant interpretes, quanquam quae sola statui possit explicatio, facile apparet. 1) *qui primus in vitam rediit*; sed ita ἐκ τῶν νεκρῶν 1, 5. vel simile quid addendum erat. 2) Wetst. et alii: *primus* i. e. *caput ecclesiae christianae*; sed quanquam doctrina christiana καινὴν κτίσιν s. vitam prorsus novam et vitiorum expertem efficere nonnunquam dicitur Gal. 6, 15. 2 Cor. 5, 17., tamen adjectivum καινὴ hic necessario addendum fuisse per se patet. 3) *primum* i. e. *auctor creationis dei*, qui mundum creavit (v. Staeudlinii introduct. in N. T. mor. p. 251.); temere tamen ἀρχὴν *auctorem* significare sumitur. 4) verba ferunt Messiam *primum a deo creatum* eaque notio ex Judaeorum circa Christi tempora dogmate haud dubie vera judicanda est. *Angeli* nempe, postquam a Judaeis post exilium non manifestationes tantum divinae naturae in terra, sed personae habiti sunt affectibus humanis praeditae, tempore quodam etiam *creati* cogitandi erant; ortaque est inter ceteras opinio, eos aut *secundo* creationis die cum coelo, aut quae vel frequentior sententia ex Job. 38, 7. hauriri poterat, *ante* mundum primo die creatos esse, quibus deinde deus ad singulas mundi res creandas usus sit cf. Fabric. cod. ps. V. T. p. 851. Eisenmeng. Judaism. T. II. p. 370 sq. Suicer. thes. eccl. I. p. 32. *Messias* igitur, angelis multo superior (v. ad 19, 10. 1 Petr. 1, 12.), sicut omnes dignitate excedit, deo proximus, ita omnium primus ante mundum conditum vel, quod in lingua vulgari idem est, ab aeterno creatus cogitatur, quam opinionem non Apostolorum tantum aetate et serius Judaeos fovisse cf. Eisenmeng. Judaism. I.

p. 316. 1 Petr. 1, 20. Eph. 1, 4. 3, 9—11. Col. 1, 15. Ascens. Jes. 9, 5 sqq., sed Christum jam inter Judaeos ortam reperisse, nobilis docet locus Enoch. 48, 3—7. cll. 61, 10. ubi Messias inde a mundo condito *occultus* fuisse dicitur; cohaerentque hae ideae cum notione *τοῦ λόγου τοῦ θεοῦ*, qui primus dei jussu creatus mundum deinde ipse creavit Hebr. 1, 2. cf. infra ad 19, 14. Quae omnes notiones e quo potissimum fonte fluxerint facile apparet. Angelos enim quo sunt sublimiores et perfectiores, quo propiores deo, eo prius creati, quasi quae prius e deo emanaverunt deo sint proxima. — V. 15. Hominem nec satis impium, ut gravius accusari ipseque sibi poenitendum esse sentire queat, nec satis strenuum, ut laudari possit, bene dicit *nec frigidum* (ut *ardor* est studium et vigor) nec *fervidum*, sed *tepidum*, qualem Rabbini בֵּינֹנִי *medium* vocant cf. Schöttg. utque aquam tepidam ob malum saporem *evomimus*, sic Christus dubiam ecclesiam ferre nequit, e vicinia sua pellit, favore privat, quod imagine ut supra 2, 5. exprimitur [1]). — V. 17. Divitiae quas se possidere *cogitant* (*λέγεις*, ut אָמַר, *φημί* saepissime), ut opposita Smyrnensium paupertas 2, 9. proprie de opibus terrestribus intelligendae sunt; at re penitius inspecta erant illi *infelices* et *miserandi*, *pauperes* virtutum thesauri aeterni, *coeci* salutem suam veram ignorantes et *nudi*, vero virtutum decore destituti, infamia notati. Igitur pulchre jam v. 18. quomodo acri virtutum christianarum (*παρ' ἐμοῦ*) studio vitia haec emendanda et verae divitiae recuperandae sint, iisdem imaginibus inhaerens exprimit vates. *Aurum exploratum* (*πυρόω* LXX. pro צָרַף liquefacere, purgare igne) *igne* Jes. 1, 25. Mal. 3, 2. 3. alludit simul ad virtutem laboribus obeundis probandam cf. 1 Petr. 1, 7; similiter vestes sint *candidae*, animi integri et candidi signum (cf. v. 4.), ut *nuditatem* (עֶרְוָה *infamia* simul Hab. 2, 15. 16.) *foedam tegant*; denique opus est collyrio seu unguento ad lippitudinem oculorum caecutientium sanandam, ut *lippum* eodem modo pro *fatuo* dicit Hor. sat. I, 3, 25. ep. I, 1, 29. — V. 19. Quae cum acerbius dicta

1) ὄφελον ἦς cf. 1 Cor. 4, 8. 2 Cor. 11, 1. quasi ὄφελον particula sit, dictum pro εἴθ' ὤφελες εἶναι; cf. Herm. ad Vig. p. 758. Male libri quidam habent εἴης; nam optativus qui in toto N. T. justo rarior est, in Apocalypsi nunquam legitur.

videri possent, Messias se amore tantum et salutis iis comparandae studio haec monuisse addit. Respexit forsan ad Prov. 3, 12. cll. Ebr. 12, 6. ἐὰν pro ἂν in N. T. et alibi (Thilo ad Act. Thom. p. 8.) post pron. relat. eorumque adverb. ubi sententia etiam enunciationem *conditionalem* patitur. *Ζήλωσον fervidum et strenuum age*, tarditatem socordem mitte cf. Gal. 4, 18. — V. 20. Se enim salutem tantum omnium cupere, imagine exprimit Messias satis jucunda. Omnis, qui doctrinam Messiae invitatus recipit et tuetur, in aeternum beatus redditur. Messiam vero pro ipsius doctrina ponens poeta fingit eum invitantem domos circuire, portam pulsare (de κρούω rarius Atticis pro κόπτω adhibito v. Lobeck ad Phryn. p. 177.), libenterque intromissum convivium parare cum amico gaudii plenum; cf. ἡ σοφία πάρεδρος τῶν πυλῶν Sap. Sal. 6, 14. Verba ἐάν τις ἀκούσῃ τῆς φωνῆς μου inde explicanda sunt, quod januam pulsans simul voce se prodere solebat, quo securius qui intus erat januam aperiret cf. Cant. 5, 2; [1]) ceterum per se patet, hoc in nexu ea ex ambiguitate grata ad eum transferri qui *praecepta divina tuetur*, ut saepius in V. T. שָׁמַע בְּקוֹל יְיָ. Quae in fine mire dicta videntur *ego eum eo coenabor et ille mecum*, ea Elsner, observ. s. II. p. 446. adstipulante Ikenio ex modestorum hospitum, Indiae imprimis, more derivat, quo advenas quos se aestumatiores putabant, non ad coenam vocabant sed se iis convivas esse honoris causa dicebant cf. Philostr. 2, 27. Quae tamen e longinquo petita; simplicius et aptius imago ex 19, 7-9. repetitur. Gaudium societatis piorum cum Messia in paradiso ineundae *epularum* imagine sistitur; proprie ergo Christiani in altera vita *cum Messia* epulantur; ad quod ut alludatur post δειπνήσω μετ' αὐτοῦ ponit καὶ αὐτὸς μετ' ἐμοῦ. — V. 21. Hinc jam aptus transitus ad partem quandam praemii futurae vitae describendam. Ut Messias proximus a deo post labores in terra feliciter exantlatos regnum divinum simul moderari fingitur (cf. c. 5. et alia), ita pii Messiae doctrinam amplexi cum Messia triumphaturi (cf. ad 1, 5. 2, 26-28. 22, 5.) et quasi in throno ejus considere cogitantur cf. ad 4, 4.

1) hunc locum in mente habuisse Johannem putant quidam (cf. Ikenii diss. ad h. l. in dissert. phil. theol. p. 594 sqq.). Sed Cantico nunquam utuntur scriptores N. T. (v. versionem n. vernacul. p. 34.) et similis mos occurrit Act. 12. 13. 14.

Quare usu loquendi e Graecorum diis et heroibus desumto Patres Christum σύνθρονον (ut sapientia τῶν θεοῦ θρόνων πάρεδρος dicta erat Sap. Sal. 9, 4.) et pios παρέδρους appellant cf. Suicer. thes. eccl. II. 1164.

LONGA VISIONUM SERIES. Cap. 4, 1—22. 5.

Post epistolas has scriptas evanescit Messias, et cum Johannes vix sibi redditus esset, nova orditur visio quae deinceps ad finem usque 22, 5. pluribus visionibus arcte cum hac conjunctis continuatur. Demonstranda erat futura, quam sperare possent Christiani fidi, prosperitas; vividis coloribus depingenda erant martyrum praemia splendida, adventus Christi in terram tum ad pios quotquot in fide permanserint servandos tum ad impios omnes et inimicos rei christianae, ut Romam et Imperatores ejus, perdendos, penitus exscindendos inque aeternum a piis segregandos; regni denique coelestis pios beantis initium. Quae quidem omnia cum Johannes quasi coram viderit describat, se in coelum raptum fingit, ubi deus adest omnia gubernans; Messias suorum, qui fidi manent, propitius ac potens adjutor, martyres quorum beata sors praedicanda est pro piis hominibus supplices tendentes palmas, angelorum denique catervae dei jussa perficientium et Johanni res futuras demonstrantium. Ad quae quo melius lectores praeparentur,

1. *coelum*, in quod se translatum sentit, splendide *describit* C. IV. ut theatrum in quo plurima quae sequentur repraesentata sunt. Et quo graviora in coelo decernuntur, totius nempe terrae futura conditio, eo splendidius et solennius est coelicolarum concilium, eo augustiorem omnia spirant majestatem et reverentiam. Praeclare igitur in splendido hoc coelicolarum consessu deique summa majestate describenda diutius moratur vates, quo attentius exspectent lectores, quid tandem in tanto coetu decernatur.

V. 1. Coelum dei habitaculum, quod ab aethere diversum clausumque cogitatur, seriores si quid e coelo delabitur, non tantum *aperiri* dicunt (v. Lightf. ad Matth. 3, 16; Act. 7, 56. 10, 11.), sed *portas* etiam reserari fingunt cf. inpr. Ascens. Jes. 6, 6. 10, 24 sqq. omnibus praeivisse videtur Ezechielis נִפְתְּחוּ הַשָּׁמַיִם 1, 1. de φωνὴ σάλπιγγος v. ad 1, 10. ἀνάβα ὧδε cf. 11, 12. de iis qui in coelum tolluntur; quod quomodo factum sit, an nube

ventove eum attollente, hic taceri libentius videmus quam fusius describi, uti saepius fecit auctor Enochi 14, 9-24, 39, 3. 70, 1-7. 86, 2. Placet ipsa in fingendo brevitas, quo diutius lectores gravioribus considerandis immorentur. — V. 2. Augusta quae sequitur throni divini et coetus cum eo sacri descriptio hausta quidem est ex priorum vatum figmentis Jes. 6. 1 Reg. 22, 19. Ez. 1. 10. Dan. 7, 9 sqq. imprimis cf. Enoch. 14, 12 sqq. 18, 10. 39, 7 sqq. 40, 1 sqq. sed praeterquam, quod Johannes ad Jesaiae indolem proxime accedens mira omnia depingit brevitate et majestate, hoc felici figmento innovavit, quod pro angelorum catervis quos seriores Judaeorum vates thronum dei cingere fingunt, beatos quosdam Christi asseclas thronis insidentes et quasi senatum dei constituentes repraesentat. Ut enim per totam Apocalypsin futura fidelium christianorum praemia summa praedicantur ut vel angeli se iis non superiores sentiant (v. 19, 10. Ascens. Jes. 7, 22.), ita imprimis hi senes promissum de piis Christianis cum Messia regnantibus (cf. ad 1, 5. 2, 11. 3, 21.) ratum fore, imagine satis splendida et quasi re jam facta comprobant. Ipsum autem *dei nomen* reticet auctor. Ut enim alibi dei nomen Jehova nimis sanctum *praedicatis* potius circumscribere maluerunt seriores Judaei (v. ad 1, 4.), sic imprimis in festivis visionum dei descriptionibus vates seriores religioni sibi ducebant deum ex praedicatis gravibus et significantibus cognoscendum lectori relinquere; crescit ex ipsa reticentia majestatis divinae naturae sensus et reverentia, quasi mortales *deum* ipsum nunquam cognoscere possint cf. Dan. 7, 9. Enoch. 14, 21 sqq. Ascens. Jes. 10, 6; et sic per totam Apocalypsin fere dei nomen reticetur e praedicatis intelligendum; alium fuisse antiquorum Hebraeorum sensum ex Jes. 6, 1. apparet. — V. 3. Augustam quam vidit naturae divinae speciem non poterat aptiore quam luminis et splendoris summi imagine describere cf. ad 1, 5; Ez. 1, 4. rutilantem igitur fulgorem comparat cum gemmis coloris pellucidi et rubri, nec anxie qualis color ruber cuique proprius sit distinxisse videtur. De *iaspide* ישׁפה lapide partim roseo partim purpureo partim viridi, quem ob summum ruborem (secunda enim species intelligenda videtur) saepius nominat 21, 11. 19. v. Plin. h. n. 37, 37. Braun de vestit. sac. p. 584. Bellermann die Urim und Thummim p. 69. Ei similis est σάρδιος quem

cum LXX. pro אֹדֶם ponant, probabile est nostrum *carneolum* significare a colore carnis humanae dictum, sicut אֹדֶם cohaeret cum אָדַם *ruber fuit* et אָדָם *homo* (a colore carnis) cf. Braun p. 501. Bellermann p. 47. Ceterum cf. Pirke Elieser c. 4. *similitudo throni est instar sapphiri* ex Ez. 1, 26. 10, 1. Augetur autem splendor coruscus medius circumjecta throno *iride* colorum mitiorum, inter quos cum *viridis* excelleat, iridem istam solito scilicet splendidiorem *smaragdo* comparat; hic enim lapis (ex sanscrito *marakata* nomen ducens cf. Schlegel bibl. ind. T. II. P. 4.) jucundi viridis coloris est cf. Plin. h. n. 37, 5. Bellermann p. 40. *Iridem*, quae angeli etiam capiti circumjecta fingitur 10, 1. primus ad summum dei splendorem in visione adhibuisse videtur Ezech. 1, 28. Cf. p. 46. — V. 4. Viginti quatuor, qui ex hominibus prodierint, presbyterorum *συνθρόνων θεοῦ* nemo unquam nec veterum nec posteriorum vatum Hebraeorum meminit; quod enim multi cum Vitringa putant, Johannem haec ex Jes. 24, 23. hausisse, falsum videtur, quia Jesaias viros graves, quorum numerum non definit, *in terra* a Jehova sustentatos imperium moderaturos fingit. Haud dubie igitur sacrum hunc senatum novavit vates, cujus causae supra indicatae sunt; et presbyteros (זְקֵנִים, *primores*, consiliarii) hos prius in terra Christi fidem tenuisse et instar martyrum in coelo honorari ex ipsa eorum descriptione et ex perpetuis quas effundunt Christi laudibus elucet. Sedent hi in thrónis quod Christus asseclis suis pollicitus est 3, 21. Matth. 19, 28. induti sunt *vestibus candidis*, praemium vitae prioris integrae et gaudium significantibus 3, 4. 5. ubi v. not. et *coronis* ornati, quia in terra strenue pro fide et virtute pugnarunt 2, 10. 3, 11; quid igitur presbyteri hi sibi velint, ipse auctor prius jam explicuit [1]). Quaeritur autem cur *viginti quatuor* nominentur. Putant nonnulli *duos* e quaque tribu Israelitica affuisse; sed quanquam omnes pii in terra secundum tribus duodecim numerantur 7, 4. hic tamen certa hujus vestigia non reperiuntur. Igitur cum alias sacerdotum insignia ad beatos in coelo transferri soleant (v. 1, 5. 3, 12. etc.), multo vero similius, scriptorem ad *viginti*

1) fingunt etiam, thronos et coronas (ut vestes v. p. 127.) jam in coelo piis paratos esse cf. Ascens. Jes. 7, 22. 8, 26. Tanchuma fol. 39, 4. Jalkut Rub. fol. 11, 3.

quatuor quae inde a Davide in templo erant *sacerdotum classes* allusisse (de quibus v. Jahnii archaeolog. T. III. p. 339.), quorum capita una cum sacerdote summo in templo conspexit etiam Ez. 8, 16. 11, 1. — V. 5. Revertitur sermo ad thronum dei. Alias cum deus saepissime fulgura, tonitrua et *fragores* (φωναί, קֹלוֹת) mittere dicatur Ex. 19, 16. Ps. 97, 3. hic ea a throno ipsius exire dicuntur, quanquam vatem non ut poetas Graecorum dextram dei jaculantem depingere videmus; cf. quomodo de fulguris, tonitru etc. origine judicat Enoch. 58, 4-15. De septem lampadibus thronum dei ornantibus v. ad 1, 5. — V. 6. Pergit jam ad inferiora throni divini describenda. Pavimenta solebant veteres tesselis pellucidis vitrium referentibus tegere; unde adeo oculos fallere poterant, ut ignari *mare* se videre putarent. Nobile exemplum occurrit in Cor. Sur. 27, 44. ubi Belkis Sabaea regina palatium Salomonis adiens pavimentum *mare* (لُجَّة) esse putat cf. ibi *Maracc.* Hinc pavimentum hic vocatur *mari vitreo* et *crystallo* (קֶרַח Ez. 1, 22.) simile. Pavimentum autem dei, quo ut scabello pedum utitur, *coelum* pellucidum et splendidum poetis habebatur Ez. 1, 22. 23. 25. 26. 10, 1. Ex. 24, 10. quod etiam probari potest ex Pirke Elieser c. 4. *locus in quo thronus stat sunt septem nubes gloriae.* — Thronum ipsum portant quatuor animantia ζῶα dicta, de quibus breviter tentemus quid certi poni possit. Ut thronus humanus columnis fulcitur quae apud Persas, Indos aliosque populos antiquos saepissime animalium fortium onera gestantium imaginem referunt (cf. inter alia monumentum persicum in itinerario de Bruyn tab. 158. Chardin tab. 68.), ita Hebraei quoque poetae jam antiquitus thronum dei ab animalibus sustineri et portari putabant, hoc tantum discrimine ut Hebraei, quia Jehovam in coelo tantum versari putabant, animalia ista *volando*, alis igitur instructa, quoquo vellet deus, thronum portare fingerent. Haec antiquitus כְּרוּבִים i. e. *jumenta* dicta sunt, nec ad certum numerum restricta; modo enim *unius* mentio fit Ps. 18, 11. modo duorum Ex. 25, 18; Ezechiel autem primus, quantum scimus, *quatuor* nominavit novumque praeterea nomen חַיּוֹת ζῶα antiquo isti [1]) substituit. Forma eorum ex

1) si tamen Ez. 10, 14. ubi כְּרוּב pro שׁוֹר 1, 10. ponitur, comparamus, Cherubi potius *boum* tantum formam referebant,

Ez. 1, 5 sqq. 10, 14. cognosci potest. Cum jumento throni divini convenire videatur, ut quodcunque robur fortissimis est animalibus, id conjunctum possideat, dederunt ipsi poetae fortitudinem *leonis*, robur *bovis*, alas *aquilae*; cumque non minus jumenta haec ut deo proxima et nonnunquam dei custodes (v. 8.) habita *intelligentiam* summam possidere aptum videretur, *hominis* forma adjecta est; hanc certe quadruplicem formam ea conjungere fingit Ezechiel cll. Pirke R. Elieser c. 4. Johannes tamen, cui fortasse mixta talis figura displicebat, *unam* tantum aut leonis aut bovis aut hominis aut aquilae formam quodque quatuor illorum animantium referre fingit v. 7, alas tamen cuique sex tribuit v. 8. Quae cum ita sint, facile apparet, ζῶα haec Johannea et חַיּוֹת Ezechielis non esse *naturas intelligentes*, sed revera *animalia* ex unica vocis significatione; nec ea *angelos* esse, quibuscum male confunduntur a Judaeis (Buxt. lex. p. 1115.) aliisque; quanquam enim Johannes his ut animalibus intelligentia praeditis laudem dei et vocem humanam tribuit 5, 8. 6, 1. 19, 4. et unum phialam praebere fingit 15, 7; nunquam tamen ea a throno dei discedere et angelorum dei instar ablegari possunt. Verba ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ κύκλῳ τοῦ θρόνου obscura videntur et a variis varie contra linguae leges exposita; sensus hic videtur animantia ista *medio in throno*, nempe dum corpora posteriora ut animalium sub throno posita Johanni ex inferiori loco aspicienti ad medium usque thronum porrigere videbatur, et *circa thronum*, dum capita marginem superiorem throni attingentia in quatuor coeli plagas versa erant, ut diserte legitur in Pirke Elieser c. 4. ap. Schöttg. p. 1106. cf. infra 6, 1—7. *Extra* et *retro*, a facie et dorso, oculis plenos esse Cherubos, sumsit ex Ez. 1, 18. 10, 22; exprimit hoc prudentiam acutam et omnium rerum providam cognitionem, ut nullibi in volatu impediri et retardari possint, cf. de angelo mortis Eisenmeng. Jud. I. p. 872. — V. 7. Similitudo omnium animantium jam propterea non poterat esse perfecta, quod alis instructa

ita ut conjunctio diversorum animantium forsan seriorum tantum poetarum omnia ornantium ingenio debeatur. Dolendum quod vetus Hebraeus nullus ante Ezechielem formam descripsit. Aliis locis ceterum ipse Ezechiel Cherubos esse dicit sua חַיּוֹת 10, 20.

sunt v. 8; notandum tamen est, tertium *faciem* tantum *hominis* gestasse, ne ceteris animalibus nimis esset dissimile. *μόσχος* non *vitulus* sed *bos juvencus*, fortissimus עֶגְלָה Jud. 14, 18; ponitur in LXX. etiam pro שׁוֹר Ex. 21, 33. — V. 8. Ipsam quidem hactenus animantium quatuor imaginem ex Ezechiele delineavit vates; sed cum naturas has in sequentibus non ut mutas et inertes, sed ut laudibus deum efferentes et nonnunquam ipsa dei quae juxta thronum effici possunt mandata exsequentes exhibere animus esset, officia *Saraforum* Jes. 6. in eas transfert, quanquam hi ut *angeli summi* (שָׂרָף haud dubie est شريف *nobilis*) thronum dei non portantes sed deum sedentem ut ministri circumstantes proprie diversi sunt [1]); unde hic statim non *quatuor* alas cuique tribuit ut Ezech. 1, 6. sed *sex* secundum Jes. 6, 2. *γέμοντα*, quae genuina videtur lectio v. p. 39. 3. 1., non ad *alas* cum Storrio p. 453. aliisque referendum est, quod etiam grammaticus nexus non patitur, et ineptam efficit imaginem, sed ad *ζῶα*; neque enim in Apocalypsi hoc quisquam propterea neget, quia idem jam v. 6. praecesserit. Igitur *κυκλόθεν circa* est *ab omnibus externis partibus* i. q. *ἔμπροσθεν* v. 6. et *ἔσωθεν intrinsecus*, versus thronum i. q. *ὄπισθεν*. *Laudes* dei canunt ut Sarafi Jes. 6, 3. ter *ἅγιος* exclamantes, cum ipsa *sanctitas* dei ut summa virtus non satis praedicari possit. Antiquiores simplicius et brevius aut ipsum coelum, in quo maxima elucet dei poténtia, Ps. 29, 2. 3. aut sacrum senatum deum laudare fingunt; seriores imprimis saepius de coelicolarum laudibus et cantu loquuntur, ecclesiae preces in coelum transferentes, cf. Enoch. 9, 3. 4. 39, 7. 60, 9. 12—14. Ascens. Jes. 7, 15. 8, 17. 10, 1. quae ex parte cum his Johannis verbis v. 8—11. mire conspirant. — V. 9—11. Ut in synagoga sacerdotem preces praeeuntem coetus excipit, ita preces quatuor animantium ut summorum in coelo sacerdotum sequitur senatur sacri precatio. De *tribus* dei virtutibus vel laudibus (ut. hic *δόξα καὶ τιμὴ καὶ εὐχαριστία*) in solenni prece v. ad 1, 4. Primores isti thronis suis exsilientes humique se prosternentes *στεφάνους βάλλουσι coronas deponunt* coram

1) ejusmodi confusionem serius apud Judaeos magis magisque invaluisse monstrat liber Enochi, (ut 60, 13. 70, 9.) Buxt. lex. p. 1115. alia.

throno divino, ut summam reverentiam deo debitam regnumque non sibi sed deo soli regum regi convenire significent cf. Ascens. Jes. 9, 10 sqq. Propert. 2, 8, 25. Capitol. in Anton. Philos. c. 4. et Wetst. ad h. l. Laudes divinas a *creatione mundi* repetere seriorum potissimum mos satis frequens est cf. Ps. 104, 2. 148, 5. Enoch. 9, 3. 4. carm. samarit. ed. Gesenius Lips. 1824. Si lectio οὐκ ἦσαν plurium codd. suffragia ferret, sensus oriretur satis aptus: *voluntate tua non erant et creata sunt* i. e. ex junctura hebraea (v. gr. crit. hebr. p. 539 sqq.) *cum non erant* creata sunt; difficilior haec lectio a plurimis librariis haud intellecta facile potuit mutari.

2. Jam C. V. propius ad id, cujus causa vates in splendidum hoc theatrum raptus fuerat, accedendum erat monstrandumque, quid ibi actum iri exspectandum sit: quocum argumento vates Messiae, coelicolarum praeter deum summi, nunc demum, cum res ipsius agatur, in coetu sacro conspicui formae augustae descriptionem et laudes justas pulcherrime ita conjunxit, ut sicut Messias omnium praeter deum augustissimus est et virtutum laudumque divinarum aemulus, sic imago etiam ejus et laudes hic iis, quae capite priori de deo dicta sunt, similes depingantur atque ita majestatis divinae alterum quasi prodeat exemplar prioris aemulum. Sic omnia haec aptissime suo loco delineata et composita esse patet. Singula haec sunt. Theatro illo splendido undequaque conspecto vates librum etiam in dei dextra teneri videt, quem rerum humanarum fortunas futuras amplecti et ex ipso loco et ex prius 4, 1. monitis facile erat augurari. At nemo usquam coelicolarum librum arcana futuri temporis septem sigillis inclusa continentem prehendere sigillisque reclusis legere potest, donec tandem, qui ceteris coelicolis praeter deum major est, cujus causa omnia haec aguntur, *Messias* prodit, quem diutius morantem tandemque conspicuum eo plus omnes suspicimus solumque admiramur. Is enim, quae ejus sunt, solus legere potest, piorum nominis ejus cultorum adjutor fautorque unicus; quare ab omnibus summisque coelicolis tantum numen submisse adorantibus laudes ei offeruntur dignae, eximiae, summae. V. 1. Liber, quem dextra dei (cujus tamen nomen hic poetice non tantum ex scripti hujus indole cf. p. 135, sed apte etiam ne quid indigni et nimis humani majestati divinae tribuatur, verbis τοῦ καθη-

μένου ἐπὶ τοῦ θρόνου intelligendum indicatur) tenet, arcana futuri temporis omnia deinceps monstranda continens ut e simili poetarum fictione prodiit, unde *librum vitae* deo tribui p. 127. notatum est, ita ab hoc distinguendus tamen ex ipsa vatis sententia; cf. Deut. 32, 34. Mal. 3, 16. Ps. 139, 16. Ut enim reges quae peragenda decreverunt dudum meditati scripto mandant, secreta condunt et amicis tantum intimis inspicienda dant, sic deus omnia ad finem usque eventura dudum praeparata et constituta libro inclusit Messiae uni legendo. Eratque hic libellus (βιβλίον, utpote manu portandus) *intrinsecus et a tergo*, extrinsecus, scriptus, foliis igitur ab utraque parte literarum copia repletis, ut solebant nonnunquam veteres, ubi materiam largam interius folium non caperet, aversam quoque partem implere (libri *intrinque* scripti, ὀπισθόγραφα Plin. ep. 3, 5. Martial. ep. 8, 62.); idque hic data opera monetur, ut liber multa et varia, quibus spatium internum non sufficeret, complectens insigniatur. Quam libri indolem quanquam vates ex aspectu partis aversae literis obsitae concludere poterat, aperte tamen ex evolutis demum foliis intellexit, ut ex Ezech. 2, 10. cujus vestigia hic pressit auctor, satis certum est. Arcana vero et nemini praeter Messiam perspecta et perspicienda continens liber *sigillo* munitus est, quod qui solvere aut callet aut valet, libri argumentum cognoscere potest (Jes. 29, 11.); saepiusque ita vates hujus generis seriores futuri temporis arcana *obsignata* סְתוּמִים וַחֲתֻמִים Dan. 8, 26. 12, 4. 9. Eno. 30-33. 96, 15. 99, 4. 103, 1. 105, 16. dicunt. Quod autem *septem* sigilla indicantur, non id tantum sibi vult, *firmissime* obsignatum esse librum: septem enim singula sigilla distinguenda esse sequentia monstrant. Res sic cogitanda videtur. Argumentum libri ubi per plura folia continuandum erat, folia glutinata s. compacta cylindro circumvolvi solebant, sigillo uno in ultimi s. externi folii fine posito. Quae vero septem folia volumen (מְגִלָּה) hoc divinum habet, ea sigillatim deinceps desumenda et legenda non compacta erant, sed singula sic circumvoluta, ut singuli cujusque fini s. margini sigillum esset impressum. Quae folia septem si ejusdem erant longitudinis, ut unum sigillum sequenti occuleretur, numerus, nisi ab angelus dictus est, post omnia demum reclusa vati patebat; si vero folium, quod proximum cylindro circumvolutum ultimo loco panditur vatique propterea septimum

dicitur, omnium fuit longissimum, ut cetera deinceps, quo remotiora a cylindro, eo breviora fierent, poterant sane singula etiam conspici sigilla marginibus foliorum prominentibus deinceps impressa. Idque ut putemus inde etiam adducimur, quod folia seu sigilla prius soluta brevioris sunt argumenti, posteriora amplioris ordine justo. Quae quanquam ita imaginem praebent congruam, ut qua alia ratione vates librum hunc cogitarit nesciam, tamen sedulo cavendum ne in imaginis totius interpretatione nimii simus. Ut enim liber hic non nisi ad arcana futuri temporis soli deo nota designanda fingitur, sic septem sigilla hoc solo consilio distinguuntur, ut arcana illa paullatim per ordinem justum patefactum iri monstretur; igitur deinceps ubi singula recluduntur, non argumentum quasi e tabula legitur, sed narratur tantum rerum futurarum ordo et progressus.

V. 2. Sed non statim Messias ad librum aperiendum prodire potest; monstrandum prius erat, neminem coelicolarum praeter Messiam negotio huic parem esse, ut ita omnium oculi in hujus admirationem rapiantur. Itaque morae nectuntur, proditque angelus praeco quicunque possint ad librum resignandum vocans. Cui cum omnes impares sint, Johannes tandem, arcana quae videbat inclusa haud patefactum iri desperans frustraque paene se in coetum hunc ad res futuras cognoscendas raptum (4, 1.) putans in lacrymas effunditur acerbas, donec post tantas moras, *Messiam* a deo veniam hanc petiisse et impetrasse, e sanctiori coetu quidam Johanni nuncians animum reddit (v. 5.), atque ita qui unus deest, Messias prodit omnium in se conversurus oculos. Quae quomodo dignius et aptius fingere potuerit vates nescio. Angelum ἰσχυρόν nominat non epitheto ornanti, quod quid sit non intelligimus, sed quia *praeco* est; sunt enim praecones, ut jam ex Homero notum, robustiores; est igitur hoc adjectivum appositum ob *vocem altam* (φωνῇ μεγάλῃ) ut 10, 1. 3. ἄξιος *quis ea est dignitate*, ut deus arcani hujus notitiam ipsi concedat. — V. 3. Mirum visum est, quomodo vates *neminem* in *coelo*, ubi res agitur inventum esse dicturus terram quoque et terra inferiora tangere potuerit. Ipse tamen scriptor, quam hujus locutionis prima origine ex Exod. 20, 4. derivatae mentem conceperit, v. 13. indicavit. Qui enim omnibus mundi partibus praepositi sunt angeli summi (v. p. 103. et infra v. 13.)

ii ei in coetu sacro coelesti congregati sunt totum repraesentant mundum, ut quanquam hic res in coelo agatur, ceterarum tamen mundi partium custodes et imagines simul adesse fingantur. Quid sit *βλέπειν* ambiguum videtur. Nequit denotare *videre* simpliciter, quippe quod cuique patebat; si vero ordinem verborum *ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον οὐδὲ βλέπειν αὐτό* v. 3. 4. cum simili ordine v. 2. comparas, vix dubium, quin quod ipsa verborum secutio suadet significet: aperire librum et apertum *videre*, perspicere, legere; volumen enim tale apertum demum penitus inspicitur et intelligitur, et ipsum *βλέπειν* non est i. q. *ὁρᾶν*, sed saepius de *mente perspiciente* dicitur, ut Soph. Oed. Tyr. v. 740. — V. 4. Lectioni *πολύ* praestat *πολλά*, ut *πολλὰ στενάζειν*, *multa flere*, *gemere* Virg. Aen. 4, 395. — V. 5. Interea cogitandus est Messias prodiens aut ipse aut per sanctiorem senatum veniam libri suorum in gratiam scripti aperiendi petiisse et impetrasse; quod e senatu isto quidam (*εἷς* haud dubie est i. q. *τις*, مِن) apte hic Johanni nunciat. Verbum *ἐνίκησε* cum infinitivo hic ratione nova et poetica ponitur: *vicit aperire* i. e. *obtinuit*, quae *difficulter* obtinetur, *potestatem aperiendi*; inest enim ita verbo *νικᾶν* notio rei vel potestatis, quam quis sua virtute sibi comparat, quasi laborum praemium justum (er hat sich das Recht ersiegt, errungen); quod *qua re* obtinuerit victoris instar, hic non indicatur; haud dubitandum tamen, quin auctor virtutes Christi labore probatas innuat, quae ut haec quoque sigilla referandi potestas nunc ipsi cedat effecerint [1]). Quas ob causas etiam Messiae nomen circumscribitur praedicatis hic aptissimis; est is *leo e tribu Judae*, fortissimus heros (Jer. 4, 7. ليث الله *leo* (heros) dei C. van Waehnen ad Ali sentent. p. 163.) e Judae posteris, qui ex omnibus qui obeundi erant laboribus victor exiit, sicut ipsum jam Judam Jacobus leonem nominarat Gen. 49, 9. cf. 4 Esr. 12, 31. 32.; et *radix*, surculum et progenies *Davidis*, quod praedicatum ex Jes. 11, 1-10. Messiae inditum; ipsum Messiae nomen ex libri hujus indole consulto omissum esse patet. — V. 6. Messiam jam prodeuntem oculisque conspicuum mortalibus videt vates *ἐν μέσῳ* — *καὶ ἐν μέσῳ* (quae prorsus hebraea jungendi ratio ex

1) Ceterum praestat haud dubie infinitivus ἀνοῖξαι lectioni ὁ ἀνοίγων, ab iis ut videtur profectae, qui ἐνίκησε non intellexerant.

בֵּין־וּבֵין fluxit cf. LXX. Lev. 27, 12. et gramm. crit. hebr. p. 619.) *inter thronum divinum* quatuor animantibus proxime cinctum cf. p. 137 sq. *et presbyteros*, loco igitur dignissimo, quem Messias deo proximus et presbyteris multo superior tenere possit. Isque Messias, nomine iterum proprio omisso, iis hic describitur praedicatis, quae quaecunque et homo in hominum gratiam perpessus est et divinae naturae particeps summa efficere valet, junctim una imagine signantia hoc loco aptissima dicas. Apparet enim *agni* imagine, qui *mactatus* videbatur (ὡς non est *Caf veritatis*, quod omnino nihili est (cf. gr. crit. hebr. p. 614 sq.), sed genuina sua gaudet notione: *ut* mactatus i. e. mactatus, ut videbatur, ut species ferebat, mactati vestigia ferens, ut probatur etiam ex loco simillimo 13, 3. de Nerone caesi signa ferente), quae pictura Messiam innuit agni instar sacrifici mansueti et insontis trucidati ut generis humani jam monstrata virtutis et salutis via beandi et peccatis liberandi crimina prius ex ignorantia stulta commissa lueret; quo nomine ex Jes. 53, 7. hausto primus Jesum insigniverat Johannes Baptista [1]) Joh. 1, 29. 36. Summam deinde et vere divinam, quae Messiae est, potentiam descripturus vates agno huic non duo, sed *septem* dat *cornua*, potentiae maximae signum, ut cornuum jam apud antiquos roboris invicti imaginem depingentium (ut Ps. 112, 9. 1 Sam. 2, 2.) ornatus apud seriores prophetas belluis datur homines fortissimos quosque in visione signantibus Dan. 8, 3 sq. Eno. 89, 12-24. At multo etiam sublimius emicant juxta sanctum hunc septem cornuum numerum *oculi septem*, ut ipse vates explicuit, spirituum septem divinorum mundum permeantium, divinae igitur potentiae omnia pervadentis, tenentis, perlustrantis, signum a deo ad Messiam translatum hicque loci, ipsis verbis prorsus consonantibus, ex Zach. 4, 10. desumtum, cf. supra p. 89. Quos septem oculos quomodo cum septem cornibus in imagine bene conspirent, utrum cornua juxta oculos prominuisse (Dan. 8, 5.), an oculos cornuum apicibus impositos (Dan. 7, 8.)

1) non *Apostolus*, ut quidam voluere magnum inde ad Apocalypsin et evangelium eidem apostolo tribuenda argumentum redundare sibi persuadentes; praeterea nomen ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ apud Johannem Bapt. satis diversum est a nostro τὸ ἀρνίον, totaque imago circa apostolorum tempora frequentissime in usu erat cf. 1 Petr. 1, 19. Act. 8, 32.

cogitarit auctor, non quaerimus, imaginum delineationem exactam et congruam non esse scrutandam reputantes. Ceterum agni imago huic loco aptissima, cujus mox v. 9. usus est congruus, per omnes visiones manet, donec tandem Messias in terra bellator et victor comparens melius equitis formam induit 19, 11. Lectionem ἑπτὰ πνεύματα τοῦ θεοῦ cum And. Aret. cod. Matth. ob p. 40 dicta praetulerim. — V. 8. Jamque cum exspectatissimo libri illius e dei manu traditi legendi negotio unice dignus appareat Messias dei σύνθρονος, jure tota coelestium cohors in gaudium, venerationem et adorationem sinceram rapta laudes canit tanto numini pares. Quas quidem vates pulcherrime depingit coetus terrestris, qui in templo deo gratias et laudes canit, imagine in coelestem tralata. Igitur ut sacerdotes in templo praeconium et preces pias ordiuntur, sequitur dein coetus totius selecta cohors quae sacerdos vel sacerdotes praeiverunt verba, donec tandem universus coetus in laudes divinas effunditur a sacerdotibus denique brevibus confirmandas et finiendas, sic Messiae laudes inchoant qui deo proximi adstant sacerdotum ritu animantia quatuor et presbyteri, cujus sanctioris cohortis exemplum sequitur coetus angelorum propiorum Messiam encomiis celebrantium (v. 11. 12.), dein universi omnium coetus doxologia in Messiam et qui eum misit deum fusa excipit, donec tandem post duplicem hanc doxologiam sanctioris iterum coetus laudationem et preces brevibus finientis adoratio repetita omnia claudit. — Qui cantum inchoant summi coelitum, apte hic *citharas* gerunt quibus decantanda modulentur (cf. 14, 2. 15, 2.); simulque *pateras* aureas precibus piorum thurum instar deo offerendis, id quod non minus apte hic finxit vates. Cum enim justitia divina tyrannos Christianorum optimos quosque dire vexantes hucusque nondum tetigerit, preces piorum de tyrannis puniendis per totum hunc visionum et actionis introitum continuo ascendere fingit vates cf. 8, 3. Hae autem preces per angelos summos omnium terrae rerum custodes peritos, una cum ceteris quaecunque in terra aguntur, ad dei solium afferri (Tob. 12, 12. 15.) et, ubi piae justaeque fuerint, simul cum patrocinio ita offerri cogitantur, ut quo deo acceptiora sint, cum thuribus (θυμιάματα, ex eodem utrumque etymo θύω) suaveolentibus ad solium divinum perveniant; preces enim acceptae thuris instar

grati in coelum ascendunt Ps. 141, 2. Quomodo vero cithara simul psallere et pateram gestare potuerint vix est quod quaeramus: nil enim significare voluit vates nisi eosdem coelites summos, qui et laudent deum et preces ei offerant. — V. 9. 10. Laudationum vices ita distribuuntur, ut sanctioris concilii coelites primum Messiae merita, quippe quae ipsi optime norunt et aestumant, uberius describant. Oda haec quam fundunt *nova* dicitur; nam et omnino jam nova oda novos spiritus conceptus ferens fortius animum ferit gratiorque est decantatis illis et ad nauseam repetitis in deos odis pristinis et suetis (unde saepius שִׁיר חָדָשׁ celebratur Ps. 33, 3. 40, 4. 96, 1. 98, 1. 144, 9. 149, 1.), et hic imprimis loci carmine tali novo praeludendum erat, cum nunc demum Messias arcano isto libro solvendo et auxilio suis praeparando quam incepit suis comparandam salutem aeternam, totam perficere paratus sit; cf. 14, 3. Messiae hoc maximum est meritum, quod *mactatus* (in ἐσφάγης apte alluditur ad ἐσφαγμένον v. 6.), caede sua cruenta et sanguine insonti effuso homines omnium terrae populorum *deo redemit* (ἀγοράζειν = פָּדָה), doctrinam iis tradens quam sequentes e vitiorum in quam delapsi erant servitute ad verum dei cultum et amorem emergere queant, cf. eandem locutionem 1 Cor. 6, 20. 7, 23. 2 Petr. 2, 1. et infra 14, 3. 4. (In quatuor, quae homines cujusque tandem sint generis omnes exprimunt vocabulis nota progressum a minori ad majus: φυλή tribus, γλῶσσα lingua i. e. ex seriori hebraismo Jes. 66, 31. Dan. c. 3—6. populi copia singulari dialecto utens, λαός, populus, ἔθνος gens). Qui vero a peccatorum servitute liberati sunt, ad sacerdotum deo acceptorum et regum dignitatem assurgunt, regnumque si nondum in terra revera assecuti sunt, at certo tamen assequentur, cf. p. 91. 92 ad 1, 6. dicta; hujus enim loci hic est simillimus, ut et βασιλείαν καὶ ἱερεῖς e cod. Alex. vers. copt. et vulg. aliisque vetustis scriptorum testimoniis praeferendum putem cf. p. 92. Sed difficultates haud paucas objicit totus sermonis tenor mira lectionis varietate obscurus. Si enim 1) cum textu ante Griesb. vulgato v. 10. ἡμᾶς et βασιλεύσομεν legas, omnia haec ad sanctioris concilii coelites referenda essent. Jam verum quidem, ex hujus libri indole angelos etiam christianis non superiores Messiae omnium summo salutem suam debere censeri (cf. infra ad 19, 10.), ita ut presby-

teri ex Christianis beatis selecti dicere possint: *nos Messias ex omnibus populis redemtos sacerdotes et reges fecit;* at haec ab animantibus saltem quatuor (v. 8.) dici non potuisse [1]) patet, nec quomodo beati illi presbyteri se *in terra regnaturos* sperare possint elucet. Igitur 2) haud dubie αὐτοὺς et βασιλεύσουσιν cum Andrea (Aretha qui alteram lectionem sequitur antiquiore) et codd. atque verss. satis multis legendum, ut v. 10. saltem ad pios Christianos in terra viventes referatur. Quae si probantur, at porro difficultas inde oritur, quod ita v. 9. cum v. 10. non conspirat; utrumque enim versum de iisdem per Messiam beandis agere facile sentias, ut v. 9. non possit ad coelites, v. 10. ad homines referri. Unde tandem 3) eo delabimur, ut ἡμᾶς v. 9. spurium judicemus, addicente cod. Alexandr. et qui eum fere comitatur, interprete Aethiope. Sic enim, utut durius ex graeca lingua, cujus indoles ad ἡμᾶς quod tantas turbas effecit, inserendum librarios adduxisse videtur, at aptissime ex libri hujus ingenio (cf. supra p. 41.) vertendum: *deo redemisti (homines) ex omni populo easque fecisti* etc. Saltem si ad loci ipsius tenorem et similes omnes locos (ut 1, 6. 14, 3. 4.) attendimus, coelites summos hic de genere potius humano quam de se solis loqui multo est probabilius. — V. 11. 12. Hanc coelitum summorum laudationem brevior excipit plenioris (πολλῶν, non πάντων ut v. 13.) angelorum innumerabilium solium divinum cingentium coetus conclamatio, augustam et vere divinam Messiae tanti numinis majestatem praeconiis justis prosequens. Angelorum innumerabilium catervas seriores vates et poetas solium divinum circumstare fingere satis est notum; hausit hoc auctor ex Dan. 7, 10. ubi similiter אֶלֶף אַלְפִים וְרִבּוֹ רִבְבָן. Legendum vero ἤκουσα ὡς (quod multi saepius male omittunt, ut 14, 3.) i. e. *videbar* mihi audire vocem talem; nam ut omnia, remotiora imprimis, ita se audire, videre etc. sibi visum esse exprimatur, ὡς toties repetitur. In doxologia festiviore v. 12. qua Messias divinarum virtutum et laudum decore dignissimus praedicatur, *septem* virtutes et laudes consulto enumerantur, uti supra p. 91. tactum.

1) hinc, quod nunc video, Witsius in Aegyptiacis II. 13. jam hymnum, phialas, citharas ad solos presbyteros pertinere putavit, quod verbis tamen auctoris prorsus contrarium esse facile apparet.

Divitiarum (πλοῦτος) s. ubertatis omnium rerum e divino mandato usibus suis inservientium plenissimae, quae ex δυνάμει oritur, mentio jam injecta erat in simili loco 1 Chron. 29, 12. λαβεῖν vero sic intellige: *dignus est qui virtutes has ab hominibus accipiat* i. e. cui homines eas jure attribuant. — V. 13. Et horum deinceps angelorum solio divino et sacro senatui (κυκλόθεν v. 11. sic intellige, ut *post* presbyteros stetisse eos auctor sibi cogitarit) proxime adstantium doxologiam reboat *universum* angelorum agmen, remotiorum etiam per totum mundi ambitum diffusorum. Sic igitur laudatio ut a throno divino summisque coelitibus ad omnes mundi custodes ubique dispersos totumque mundum repraesentantes progreditur, ita paullatim brevior fit echus instar decrescentis; tertio enim loco doxologia a proximis angelis decantata concisius etiam effertur. κτίσμα i. q. κτίσις Rom. 8, 39. [1]) *creatura* est ex serioris aetatis notione Rabbinis solenni angelus seu vis quaedam naturae parti ulli praeposita; quot enim res et naturae partes, tot angeli praepositi (v. Eisenmengeri Judenthum. T. I. p. 805 sqq. T. II. p. 374.): unde etiam cum msc. pl. λέγοντας bene neutrum jungitur; adjecta illa *in coelo*, *terra* (ἐν τῇ γῇ praesat lectioni graece meliori ἐπὶ etc.), *tartaro* (ut Rom. 8, 39. ὕψωμα et βάθος opponuntur) et *mari* omnes angelos ubique in mundi partibus potissimis dispersos innuunt. Ultima καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα (male alii πάντας) repetita tantum sunt, ut post longiorem enumerationem omnia iterum brevi complectatur oratio, sicut Hebr. saepius in tali nexu וְ repetunt. — Amen אָמֵן *certum!* ex antiquissimo more tota concio eloquebatur, quae a sacerdote audiverat, vera se putare affirmans Deut. 27, 15 sqq. Neh. 5, 13; deinde a sacerdote quoque doxologiis a coetu pronunciatis aliisque ad hanc formam compositis postponitur, Ps. 41, 14; ad quem ritum hic quatuor animantia ut summi coelites et sacerdotes coetus doxologiam hac voce confirmant et finiunt. Simulque presbyteri adoratione repetita *deum* (ζῶντι cf. 4, 9. 10.) prosequuntur, ut a quo auctore omnia progressa sunt, et Messias creatus est (4, 2 sqq.), ad eum omnis redeat honor, omnis reverentia.

1) hanc enim loci interpretationem solam veram esse posse mihi constat. Optime haec ipse illustrat Paulus Col. 1, 16.

2. Omnibus, ad res futuras ex libro divino cognoscendas rite praeparatis jam initium fit eas pandendi et monstrandi.

Primum igitur vindictam de impiis christianorum inimicis sumendam jamjam *praeparari et prope instare* describendum erat. Cap. VI. VII. Nihil enim praecipitanter et inconsiderate in tanta re talique loco peragitur: paullatim et ordine justo et actio procedit et lectorum animus erigitur ad id, quo omnia collineant, admirandum. Et erant sane plura, quae ante ipsum vindietae sese manifestantis initium fieri eamque praeparare aptissime cogitari possent, praeludii instar hic praemissa. Priusquam enim vindicta irruat, consummatus sit calamitatum piis in fine dierum tolerandarum numerus, ut justitiam divinam a vindicta immittenda abstinere non posse intelligatur; caveatur, ne ad insontes etiam quosque vindicta illa communem terrae stragem afferens pertingat piosque omnes perdat novam post peccata et peccatores absumtos societatem inituros; par quoque est, ut horrendam istam dei vindictam omina et praeludia praecedant rerum tam singularium praenuncia. Quae quidem omnia vates ordine non minus et per se apto et visionum omnium nexui artificioque (cf. §. 2. 3.) congruo quam brevitate concinna sic dispusuit, ut

1. primum 6, 1–8. calamitatum varii generis copiam a deo terrae immissam sistat. Quaecunque enim in terra e divino mandato geruntur, a coelo, ubi prius ponderata sunt et decreta, prodeunt; cumque angeli mundum permeantes ad mandata ista exsequenda a deo dimitti cogitentur, seriores vates saepius *angelos* pernices equo vel currui insidentes cum mandatis illis a throno divino in omnes mundi plagas dimitti fingunt; cf. Zach. 6, 1–8. ubi quatuor currus dimittuntur, quam visionem Johannis hic animo obviam fuisse credi potest, et 1, 8. 9. ubi similes ad solium divinum redeunt. Quare hic cum quatuor prioribus sigillis reseratis *quatuor equites* a sede augusta cum decretis divinis prodeunt, numero hoc quaterno partim secundum totum visionum nexum et distributionem (§. 2. 3.) partim ad rei ipsius imaginem congruam aptissimo. Equites enim hi quatuor *in totum mundum* ut dimitti cogitentur, in *quatuor* mundi *plagas* ita evolant, ut quatuor animantium solium divinum cin-

gentium unum post alterum Johannem, quo distinctius equitum formam et mandata cognoscat, ad locum, unde prodeunt, augustum cieat. Datur vero cuique e quatuor illis signum mandatumque aptum. Cum enim vindicta illa his omnibus visionibus c. 6. 7. praeparanda et innuenda alteri parti insonti tandem denique post multas rerum vices liberationem et victoriam afferat, prius vero omnibus calamitates quibus probi probentur, improbi affligantur, variae instent; primus eques ut victoriam, reliqui tres ut calamitates varias a deo decretas terrae afferant dimittuntur; quae omnia hoc tantum consilio hic describuntur, ut deum de re christiana promovenda meditatum jam primo calamitates istas praevias (Matth. 24, 7.) orbi immittere innuatur. Quae calamitates ut toti orbi, christianis etiam, graves sunt et molestae, *adventare* tamen significant dei vindictam et justorum liberationem post ingentes quas christiani tum prius, tum inter has calamitates perpessi sunt vexationes.

Sed in ipsis illis quatuor equitibus jam proditoris decribendis ars elucet insignis, qua quid quisque sibi velit et qua causa emittatur, vates signis expressit aptis et aequalibus. Simul atque enim singulus quis apparet, equo jam insidet coloris ad ipsum prodeuntis equitis sensum congrui [1]); dein signum quoddam, quo quid effecturus a deo dimittatur, dilucidius innuitur, nisi cum eo jam apparuerit, datur ipsi aptum et grave; denique quid ipsi in terra peragendum sit e decreto divino, diserte etiam juxta thronum divinitus declaratur. Quae quidem triplex adumbratio decora ut in omnibus quatuor equitibus sibi venuste constat, ita grata quadam negligentia in singulis describendis iterum sic variat, ut in quater repetita hac rerum similium descriptione nullum sit legendi fastidium; utque quod ex totius operis partiumque summarum distributione elucet variationis gratae et decorae studium (§. 2. 3.), idem in singulis his brevibus visionibus admiremur.

1) 6, 1. 2. Primus igitur cum primo sigillo reserato prodit eques, *victoriae* in magna quae secutura sit rerum

1) diversi hi colores apud Zachariam quidem equos tantum distinguendi studio electi mihi videntur; at apud Johannem qui omnia majore arte expressit, singuli sensum simul inferunt aptum.

terrestrium conversione uni certantium parti certae omen et signum, ut ultimum fati exitum jam ex hoc augureris. μία אחד notum Hebraeos in *enumerandis pluribus* rebus *unum* dicere pro *primo*; potest enim et illud cogitari, ut Latinis *unus*, *alter* etc. Graecis εἷς, ἄλλος, τρίτος etc. Lectionem ὡς φωνὴ unice veram esse ex p. 42. apparet. Vocem altissimam *tonitru* referentem, quae est imago huic libro cum serioribus, aliis solennis (cf. 14, 2. 19, 6.), apte dat vates animantibus, coelestium summis. Verba ἔρχου καὶ βλέπε, quae quomodo aliter dici potuerint nescio, ex Ezech. 8, 9. hausta esse temere sumitur. — V. 2. Eques insidet (praestat ubique καθήμενον ἐπ' αὐτόν qui *insederat in eum*) equo *albo*, quo ut rariori et colorem *fausti ominis* gerente vehi solent non *duces* tantum exercituum (Sil. It. 4, 218. Herod. 9, 62.), sed, quod ad hunc locum pertinet, *victores* quoque et triumphum ducentes cf. Senec. de ira 3, 21, Virg. Aen. 3, 537, unde infra 19, 11. Christo victori ἵππος λευκός tribuitur; qui eques ut *bellator* fortis esse intelligatur, *arcum* tenet, quod signum saepius apud veteres bellatores gerunt, ut Parthorum reges in nummis. Jamque ei *corona* datur *triumphalis*, ex imagine non veterum Hebraeorum sed aevi Johannis graeco-romani; atque ita in mundum evolat *victor*, signum nempe et pignus victoriae jam ferens, *et ut vincat* i. e. hoc ipso simul dei mandato dimissus, ut victoriam reportet. Erat enim ex quatuor horum sigillorum indole modo delineata in fine dei mandatum adjungendum, quo instructus prodiit, id quod breviter quidem at satis dilucide his ipsis verbis καὶ ἵνα νικήσῃ expressum est. Male enim haec verba sic explicantur: *prodiit victoriis assuetus*, unam post alteram reportaturus.

2) 6, 3—8. Sed certantibus in terra calamitates variae imminent interitum afferentes gravem. Quae variae ex belli successu ita paullatim sequuntur, ut e bello fames, dein pestis, denique belluarum hominum domicilia paene vacua jam ingredientium multitudo noxia oriantur. Sed has omnes ad *tres* imagines seu sigilla revocaturus vates tres equites sistit, quorum primus *bellum*, alter *famem*, tertius *mortem* ex omnibus calamitatibus, bello aeque et fame, ac peste et belluarum multitudine aucta oriundam terrae afferens prodeat. Qua in fictione novum videas

vatis commentum. Quanquam enim calamitates belli prophetae jam veteres trium nominum חֶרֶב וְרָעָב וְדֶבֶר *gladii famis* et *pestis*, junctura expresserant (propria et singularis est Jeremiae, ut 14, 12. 15. 21, 7. 24, 10. 44, 13. etc. raro Ezechiel eam imitatur, ut 6, 11. 12. 5, 12. 14, 21. cll. 4 Esr. 15, 5.), ut eam Johannis animo obversatam, esse facile videas, in hoc tamen singulare quid et e visionum qui praescriptus erat numero aptissimum finxit, ut bello et fami non *pestem* tantum subjungat sed *mortem* ex omnibus calamitatibus oriundam, ut omnium sit finis et malum summum. — V. 3. *καὶ ἴδε* hic et v. 5. 7. procul dubio librariis debetur ex v. 1. sumtum. Secundus eques, *bellum* afferens, equo conspicitur *πυῤῥῷ* (a *πῦρ*) *igneo, rufo*, sanguinem igitur, ut mox dilucidius dicetur, profundendum signante; est enim hic color sanguinis et caedis Jes. 1, 18. Datur ipsi potestas pacem terra auferendi (praestat *ἀπὸ*, quanquam *ἐκ* graecae linguae convenientius), et, quod hinc sequitur, caedes mutuas efficiendi (*καὶ ἵνα* junctura duriori dictum: *et mandatum ei est ut invicem caedes molirentur homines*); cujus potestatis et mandati significandi causa *gladius* ei datur. Ubi notandum, vatem quod in ceteris visionibus tribus secundo loco aptius narrat de signo cuique equiti proprio, hic variandi studio ultimo loco adjungere; simile quid v. p. 129. — V. 5. Tertius eques *famem* ferens equo insidet *atro*, qui color hic albo v. 2. oppositus tristitiae cujusque et hinc famis moestae signum putandus est, ceteris quidem coloribus tribus ad imaginem minus aptus, cum fames colore per se dilucido signari non possit. Apparet statim cum *statera* (*ζυγὸν* jugum seu lignum res duas jungens, unde etiam de jugo bilancium dicitur ut *transtrum*; seriores Graeci omnino pro *statera* (*ζυγοσταθμός*) dicunt, ut in LXX. pro פֶּלֶס Prov. 16, 11.), qua eum frumenti appendendi pretium constituere posse significatur. Diserta autem famis terrae infligendae notatio v. 6. *voce divina* (id enim haud dubie sibi volunt verba *φωνὴν ἐν μέσῳ τῶν τεσσάρων ζώων ἤκουσα*, modesta et decora quae huic libro frequentissima est, reticentia loco tantum divino, unde sonus progressus sit, pro ipso dei ore posito) seu mandato dei ad equitem emisso continetur. Effertur id verbis singulis frumenti pretium notantibus, quod cum terris et temporibus variis varium sit, obscurius haec nobis dicta sint

necesse est; veri tamen proxima haec videntur. *Χοῖνιξ* mensura erat aridorum (cf. impr. Xen. Anab. 1, 5. 6.) frumenti, ut plurimum mos ferebat, duos sextarios vel quatuor cotylas continens; eratque panis ex eo confectus tantus fere quantum unus homo, etsi modice admodum vivens, per unum diem comederet, unde *ἡμερόσιος τροφή* *Suidae* in lex. dicitur, et *χοῖνιξ* notat i. q. panis diurnus Odyss. 19, 27. 28. cf. Diog. Laert. 8, 18. Athen. 3, 20. Herod. 7, 231.; lautiores enim et voraciores panem duarum, trium quatuorve choenicum absumere poterant cf. Perizon. ad Aelian. h. v. 1, 26. Xenoph. Anab. 7, 3. 12. Igitur si panis diurnus uno denario, i. e. tanto, quantum mercenarius totius diei labore sibi comparare potest (Matth. 20, 2. 9.), constat, ut vix miseram trahere possint vitam robustissimi quique viri, egeant omnes alii mortales, caritas annonae maxima sit necesse est. Eodemque modo, quo triticum (*σῖτος*), hordeum carissimum simul esse sequentia verba innuant necesse est, ut frumentorum omnis generis caritate pressi cogitandi sint mortales. Apte vero eques *oleo* et *vino* abstinere simul jubetur; vinetorum enim et oletorum ut aliarum ad luxum pertinentium rerum tanta tum temporis fuit in provinciis ditioribus copia, at frumenti arvis locus deesset (Suet. Domit. c. 7.), utque ciborum horum lautorum, sed, si panis desit, eheu! inutilium, nunquam esset inopia. Et quo major est frumenti omnium maxime necessarii inopia, eo aegrius ferimus cibi per se inutilis, ut olei, copiam largam et inanem. — V. 7. *φωνὴν* (quod Griesb. ejecit) et *λέγουσαν* genuinae videntur lectiones, a librariis ob v. 1. 3. 5. mutatas. Neque enim scriptor in talibus quae repetita vice occurrunt notionibus eandem semper sedulo repetit formam, ut v. 8. statim monstrat *καθήμενος ἐπάνω αὐτοῦ* (quod prorsus hebraeum עָלָיו vel מֵעָלָיו) pro *ἐπ᾽ αὐτόν*. *Morti* equus est *χλωρός* *gilvus, pallidus*, coloris ergo mortuorum seu morbo gravi (vel metu, ut *δεος χλωρον* Il. 7, 479.) laborantium. Qui quidem eques difficilius morbi symbolo ornari poterat, nisi vates de cranio forsan mortui, quod recentiores Mortis signum fecere, cogitasset; quare distinguit eum vates statim nomine *Mortis* diserto eique signi loco comitem adjungit *Orcum* dirum aegroto nulli parcentem, sicut liber hic e poetarum veterum more (cf. מָוֶת - שְׁאוֹל Jes. 38, 18.) saepius morti orcum jungit 1, 18. 20, 13. 14.

Qua in imagine praesens ἀκολουθεῖ praestare puto lectioni ἠκολούθει, cf. p. 39. Mandatumque is accipit, *quartam* i. e. satis magnam (cf. 8, 7—12, ubi tamen jam ira divina et calamitate crescente *tertia* i. e. paullo major nominatur) terrae seu hominum omnium partem interficiendi non *bello* tantum jam orto (v. 4.) et fame (v. 6.), sed *peste* etiam porro ex belli et famis incommodis facillime oriunda, qua remotiores imprimis vexari indicat Ezech. 6, 12. (θάνατος igitur, qui ab initio hujus versus haud dubie *Mors* est, postea ut una necandi ratio aliis opposita *pestis* sit oportet, ut in tali junctura V. T. semper דֶּבֶר ponit, cf. p. 123.); et *belluis*, quarum denique in terra variis calamitatibus desolata tantus augetur numerus, ut reliquias populi tenues hostium instar acerrimorum vexent cf. 2 Reg. 17, 26; sicut jam Ezech. 14, 21. וְחַיָּה רָעָה adjecerat. Praepositione ὑπὸ *per*, *ope*, haud temere immutatur verborum structura; gladio enim, fame et peste ut instrumentis utitur Mors, belluarum ore ut auxilio forte fortuna accedente.

Hae igitur belli calamitates sunt ἀρχὴ ὠδίνων, quam Jesus Matth. 24, 7. verbis ἐγερθήσεται ἔθνος ἐπὶ ἔθνος — καὶ ἔσονται λιμοὶ καὶ λοιμοὶ sic expressit, ut vatem haec ornasse tantum et distinxisse dicas. Sunt quidem calamitates hae emissae, ut tandem post rerum vices varias res christiana victrix discedat (v. 1. 2.), at ipsae nunc christianos non minus quam ceteros percutiunt; imo hoc fine immissae cogitandae sunt, ut aerumnarum et vexationum piis imminentium, quibus multi insontes occidant, omnes probentur et explorentur, cumulus crescat deique vindictam justam exposcat. Hoc enim rei ipsius natura ferebat, ut post exantlatam demum laborum immerito perpetiendorum multitudinem salutem et liberationem affore omnes hujus generis vates sperarent; has enim inter calamitates dum virtus probata emicat, ignaviores et falsi nominis christiani secernuntur coetumque deserunt piorum haud invitum; dumque insontes plurimi cadunt, ceteris probatis et egregie spectatis tuendis, servandis, beandis jus paratur summum. Itaque ex bellis istis (v. 3—8.) et calamitatibus terrarum mutuis vexationes simul christianorum dirae nascuntur (Matth. 24, 9.), tyrannis in christianorum plebem despectam, quam turbas illas et infortunia effecisse putant, totum animi inimici et crudi odium efflantibus. Quare apte profecto vates

2. 6, 9–11. cum *quinto* sigillo reserato caesorum jam complurium martyrum animas in coelo dei vindictam exposcere (cf. 4 Esr. 15, 8. En. 22, 5. 8. antiqui dixerint: *sanguis* caesorum clamat ultionem poscens Gen. 4, 10.), deumque a precibus his exaudiendis haud alienum per breve tamen porro tempus, donec consummatus sit martyrum numerus, patientiam iis injungere fingit. Sic enim et Christianis potissimum calamitates illas noxias fieri jamque martyres plures occubuisse innuitur, et vexationes diuturnas et gravissimas, priusquam salus et liberatio immineant, exspectandas, patientia igitur inter calamitates a deo certo aliquando depellendas opus esse, indicatur. Martyrum pie defunctorum vates videt ψυχάς seu εἴδωλα Homeri Il. 23, 72. (ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων) aliorumque Graecorum (Eurip. El. 1260.), corporum mortuorum *species*, (manes) tenuiores quidem terrestribus, at formam tamen eorum et habitum servantes. Sunt ii mactati *ob doctrinam dei et professionem* (Christi puta, quod multi codd. verbis τοῦ ἀρνίου supplent, cf. de hac locutione p. 87. 94. notata) *quam* firmiter *tuebantur*, a qua divelli se non patiebantur (id enim significat ἔχειν hic et infra 12, 17. 19, 10. in eadem junctura cf. 1 Tim. 1, 19. Joh. 14, 21. et κρατεῖν Apoc. 2, 14. quod si hoc loco simpliciter verteres: *professionem quam habebant*, sensus exit jejunus et verba haec ultima prorsus redundant). Quas animas quod *sub altari* (dei, a Judaeis serioribus imagine altaris templi terrestris cum aliis hujus generis in coelum translata cf. 8, 3. 9, 13. idem jam antiquitus vatum phantasia finxerat, ut Jes. 6, 6.) se vidisse testatur vates, hanc habet caussam. Cum martyres hi insontes piam efflarint animam, *victimarum* instar mactati dici possunt cf. 5, 6. Phil. 2, 17. Jes. 53, 7. videnturque in *altari* religionis sacro occubuisse; quare si hic victimarum instar caesarum ad altaris pedes jacere finguntur, altaris mentio haud dubie ad imaginem totam pertinet; alienumque satis est ab hoc loco, quod ex Schöttg. et Wetst. afferunt interpretes, Judaeorum seriorum de altari coelesti gratissima pie defunctorum sede et quasi sepultura (ut: animae justorum absconditae sunt sub throno gloriae Schabat f. 152. 3. sepultus est in terra Israelis quasi sepultus esset sub altari Cosri 2, 22.) commentum; id tantum monstrant loca talia, Judaeos piorum animos in coelo etiam versari posse cogitasse. — V. 10. Verba, quae quomodo eloqui

potuerint manes non est quaerendum, orantium animo fere impatiente: ἕως πότε (hebraeum prorsus עַד מָתַי Hab. 1, 2. 1 Sam. 16, 1. de eo dici solitum, qui ad quem usque terminum res quam dudum inceptam porro semper continuari aegre fert, permansura sit quaerit, ea jam ut desinat magnopere cupiens) *ad quem usque terminum* non dijudicas et ulcisceris caedem nostram ab (ut נָקַם מִן ultionem, poenam sumere a quodam) hominibus i. e. quando tandem judicio instituto ulturus es? οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς (cf. p. 129.) ex ipsius loci indole patet intelligendos esse omnes rei christianae inimicos, quos multo maximam terrestrium copiam efficere vates sciebat, *gentiles* igitur potissimum et tyrannos. In genus non fallaris si ubique poeticum *hominum* (יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ) nomen habeas; nam siquando non omnes homines intelligendi sunt, satis id ex opposito elucet. Apte vero ad hujus loci sensum deum invocant *sanctum,* qui ut omnia quae injuste geruntur ita injuriam nunc christianis illatam ferre nequeat, et *veracem,* quae prius de piis tuendis pollicitus est servantem. — V. 11. Haud absona et deo ingrata, quanquam non ex tempore optatis satisfieri queat, eos expetiisse eo significatur, quod cuique *vestis candida* divino jussu conceditur; tali enim laetitiae et virtutis bene partae signo (v. supra ad 3, 4. p. 127.) reges, quos sibi gratos esse testari quorumque precibus annuere volunt, ante discessum ornare solere, ex Gen. 45, 22. Zach. 4, 5. Jes. 3, 7. recentiorumque Orientis gentium moribus satis constat. Possit quidem locus ex Judaeorum seriorum commento de vestibus quibus anima in coelum adveniens induenda sit aptis (Zohar I. p. 66. II. p. 135. ed. Amstel.) sic explicari, ut quia *recens* in coelum advenerint animae hae, vestibus dignis ornandae sint: at priorem explicationem aptiorem esse patet. Lectio genuina haec videtur: ἐδόθη αὐτοῖς ἑκάστῳ (cf. 5, 8. 20, 13.) στολὴ λευκή, quam duriorem e graeca indole visam librarii varie immutarunt. Quid sit ἕως πληρώσονται (hic enim indicativus omnino lectioni graece meliori πληρωθήσονται praestare videtur, cf. hebr. עַד תַּמּוֹ cf. gr. hebr. p. 661. not.), difficilius dictu videtur. Videri id possit idem innuere quod syr. ܫܠܡ *compleri* absolvi i. e. pie defungi Knös chrest. p. 64, 10. at usu graeco prorsus contrario. Igitur tutius sic explicatur, ut

compleri de numero quodam certo *suppletis* scilicet qui adhuc desunt, complendo dicatur, ut πληροῦν legitur pro *supplere* quae desunt, ut numerus certus plenus fiat Rom. 11, 12. 15, 19. (hanc enim ibi locorum significationem unice aptam puto), et medium quod hic obvium est prorsus respondeat hebr. תָּם (ut in LXX. semper fere), quod inter alia de *numero completo* dicitur 1 Sam. 16, 11. Verterim igitur: exspectent paullulum, donec consummati sint, ad cumulum accedant quoque omnes socii (σύνδουλοι 19, 10. 22, 9. quatenus omnes Christi sunt cultores) et fratres (ob mutuum amorem) et ipsi pari modo interficiendi. μικρὸν omitti potest, glossam sapiens.

3. 6, 12–17. Dum tempus cujus terminum modo exspectare jussi sunt martyres, praeterlabitur, unum hic cum *sexto* sigillo reserato insuper *omen* dirum et dira praenuncians apte inseritur. Inveterata enim apud antiqui orbis populos omnes erat opinio, calamitates graves a deo mox infligendas ut aliis omnibus ita *procellis* potissimum et *terrae motibus* indicari; quas cum prophetae veteres semper in judicii a deo vindice advenante habendi omnibus signisque certis numerassent (ut Joel 3, 3. 4. Amos 8, 9. Jes. 13, 9. 10. 24, 18–20. 34, 3. Ez. 32, 7.), Jesus quoque σεισμοὺς κατὰ τόπους bellicis illis calamitatibus Messiae adventum praecedentibus (cf. 6, 3–8.) adjunxerat Matth. 24, 7. Luc. 21, 11. Quae descriptiones e quo manarint fonte, non adeo obscurum est. Quid enim fortius animum, hominum praecipue illius aevi, percellit, quid gravius dei potentiam ut mortales sentiant suaeque meminerint culpae atque vitae caducae efficit, quam terrae motuum turbarumque cum iis junctarum, ut procellarum immanium, coeli, ut videtur, nutantis, stellarum vagantium similiumque rerum dirarum praesens aspectus metusque? Quae quidem insolita omnia et horrenda populis antiquis semper singularia et mira, dei imprimis iram ultricem, portendere visa formidolosius etiam et dirius vates depingere solent, partim quia insolitas has mundi turbas e narrationibus potius antiquis ad seriores cum ornatu et miratione propagatis, ut de Sodomis eversis, Aegyptiis punitis, quam e sua coaevorumque experientia delineant, partim quia alia quoque ostenta gravia, ut solis lunaeque defectum (ut revera in terrae motu ignis fumusque solem obumbrat, cf. Plin.

ep. 6, 20. inter alia: *sol lucidus qualis cum deficit esse solet.* Dio Cass. p. 756. ed. Leuncl.) cum iis miscent, ut quanquam prima, unde descriptiones hae fluxerint, imaginum elementa investigare liceat, in tota tamen imaginum vi et nexu ad veritatem revocandis frustra labores. Sic ab initio statim v. 12. vates terrae motui adjunxit *solis* defectum, quo sol ater fiat *sacci* instar *cilicini*, qui tristitiae testandae causa induendus ex *atris* (cf. ad v. 5.) confici solebat pellium crinibus. In *lunae* autem defectu singulare hoc veteres nonnulli (ut Curt. 4, 10.) observarunt, quod post defectum suum ubi lumen paullatim ei redditur, colorem induit *rubrum* sanguini similem, a quo non minus veteres abhorrebant (cf. v. 4.). Ob oculos vati erat praeter Jes. 13, 10. impr. Joel 3, 4. Ceterum Matth. 24, 7. omnia haec et cetera hic descripta unica voce σεισμοί innuit; quae enim apud eundem v. 29. de corporibus coeli loco deturbandis sequuntur, ab his malorum ominibus et praeludiis prorsus diversa mundi potius hujus compagem solutam et finem innuunt (cll. v. 35.). ὅλη Griesb. bene inseruit. — V. 13. Cum stellae isti tempori lumina haberentur coelo affixa, haud mirum profecto, quod eos inter tantas quae totum orbem titubare et tremere faciant, turbas loco moveri et in terram decidere fingitur (terrae enim tremitus coeli quoque fragorem trahit Joel 2, 10. cf. Enoch. 18, 15.), quam imaginem jam a Jes. 13, 10. 34, 4. tentatam hic vates cum alia conjunxit e Nah. 3, 12. haustam: stellae procellarum vi turbisque mundi tanta fere vi decidunt, quanta ficus immaturae (ὄλυνθοι, hebr. פַּג Cant. 2, 13. hoc loco eae intelligendae, quae *marcescunt*, languescunt et immaturae manent) facillime vento acriori arbori excutiendae. Cui affinis est imago proxima v. 14. de coelo, quod cum isti tempori pavimentum firmum seu poetis velum expansum diceretur (Ps. 104, 2. Jes. 40, 22.), in totius mundi ruina ita *tolli* et in angustius spatium comprimi (seu *recedere* ἀποχωρίζεσθαι) cogitari poterat, ut liber evolutus complicatur; quam imaginem praeivit Jes. 34, 4. [1]). In terra

1) Quantum coeli figura mutetur terrae motibus, patet ex Plin. ep. 6, 20: nubes atra et horrida *ignei spiritus tortis vibratisque discursibus rupta* in longas flammarum figuras dehiscebat. fulgoribus illae et similes et majores erant; stellas decidentes videas in ep. 6, 16: jam dies alibi, illic nox — quam tamen *faces multae, aliaque lumina* solvebant; de ipsis stellis cf. similia Lucan. 5, 562. Serv. ad Virg. Geo. 1, 365.

autem ob tantas turbas non *montes* tantum, ut terrae fundamenta, qui rei natura ferente gravem terrae motum omnium maxime persentiscunt, sed *insulae* etiam, maris montes, quas terrae motibus praecipue obnoxias scimus, graviter commoventur cf. 16, 20; ex insulis vero, quarum nullus inter Hebraeos veteres vates meminit, hic tactis scriptorem agnoscos extra Palaestinam versantem. — V. 15. Jamque, quo omnia tendunt, terror describi potest pavorque, quem ex ominibus his diris, quicunque malefactorum, facinorum potissimum in christianos permissorum, conscientia premuntur, summum concipiunt, ut et domibus excedant in speluncas se abdituri, diem vindictae instare sentientes. (cf. similem descriptionem in Plin. ep. 6, 20, ut: *erant qui metu mortis mortem precarentur*). Quae e Palaestinae situ sic ficta esse facile patet. Abundat enim haec versus austrum potissimum in Idumaeae confiniis speluncarum copia, in quas hostium adventantium timore perculsi sedibusve expulsi se abdere solebant cf. Jud. 6, 2. 1 Sam. 22, 1. Jes. 2, 10. 19-21. Consultoque hic *regum* (cf. Enoch. 48, 7-11.) meminit, et potentum, quos christianis maxima intentasse pericula constat: ultima καὶ πᾶς δοῦλος ut *plurimos* perterritos esse intelligatur, adjecta sunt. Quatuor haec *potentum* nomina sic distinguenda videntur, ut μεγιστᾶνες (quae forma serioris graecismi rarius in N. T. obvia est 18, 23. Marc. 6, 21.) *praefectos civiles*, χιλίαρχοι *praefectos militares*, πλούσιοι et ἰσχυροί vero homines privatos opibus et auctoritate pollentes notent. — V. 16. Ob summum illum timorem vitae miserrimae, cui atrocissima instare sentiunt, pertaesi se ante hostis adventum interire malunt; quae satis gravia desperantium verba ex Hos. 10, 8. saepius seriores repetierunt, ut Luc. 23, 30. (ubi facile videmus versionem τῶν LXX. Lucae, non Johanni obversatam esse). Loquuntur autem illi quasi Christum de facie norint: quae verba quanquam a gentilibus sic pronunciari aegre cogitantur, ut Johannem videas suos sensus et suum sermonem (alluditur ipsis nominibus dei et Messiae ad C. IV. V.) gentilibus tribuere; tamen hic, ut aptissime et hanc visionem finiant et ad majora exitent secutura, pulchre posita esse facile concedas. τίς δύναται σταθῆναι quis consistere, poenam inquirentis dei ferre potest? ex locis Amos 7, 2. Nah. 1, 6. ductum.

3. Jam priusquam post haec omina et praeludia cum septimo sigillo reserato ipsa vindicta gentilibus debita ingruat, inseruntur C. VII. duae visiones aptissime hoc loco positae. Partim enim tempus satis magnum praeterlabatur necesse est, quo calamitates terrae immissae (c. 6.) grassari piique christiani satis multi martyrium subire possint; partim ne inter sequenturae vindictae calamitates gravissimas pii quoque intereant justitiae divinae cavendum est. Igitur

1) 7, 1—8. christianorum cohors pia signo frontibus impresso a calamitatibus vindictae futuris munitur. Quod figmentum, si originem spectes, ex spei messianae totius ambitu haustum, si ornatum quo hic prodit externum, vati nostro unice deberi putandum est. Hoc enim communis fert e spe messiana hausta opinio, pios initio tantum calamitatibus futuris, ut fides eorum probetur, simul vexari, dein salute propius accedente a gravioribus impios perdituris provida dei cura arceri et muniri; ipseque Jesus τοὺς ἐκλεκτοὺς in fine rerum dei cura servatum iri pollicitus erat Matth. 24, 22. 31. Luc. 21, 28. Marc. 13, 27. Igitur cum calamitates leviores hic jam transactas graviores impiorum excidium parantes secuturae sint, monstrandum est vati, pios quosque ab his immunes et securos fore. Fingit igitur eos ante vindictae initium *signo* quodam s. sigillo a ceteris distingui; quo quomodo a calamitatum sequentium turbine muniantur et ab impiis distinguantur, in sequentibus 9, 4. 14, 1. ita explicatur, ut omnes has visiones arctissime cohaerere facile agnoscas. Quod quidem eo aptius ita finxit vates, quo minus talis pios distinguendi ratio insolita videbatur. Nam et Israelitae antiquitus a calamitatum Aegyptios turbantium contagio signo quodam externo divinitus erant muniti Exod. 12, 13. et Ezechieles quondam (9, 4.) pios qui Hierosolymis remanserint, signo discernere jussus erat (cf. ad v. 3.).

Haec vero visio aptissime simul priori annectitur. Qui enim modo totam terram turbabant et jactabant venti vehementissimi (nam hos terrae motum 6, 12. excitasse ex auctoris mente credere licet), ii jam aliquantisper quiescere jubentur, quo securius interim certus piorum numerus signo divino distinguatur [1]. Igitur angeli

1) haec sola ratio cogitari potest: quem enim post Herderum alii putarunt sensum esse: ventorum vim repressam esse ut

quatuor ad quatuor mundi plagas (nam τετράγωνος fuit terra habita) ventos illos coercentes conspiciuntur, jamque alius etiam angelus cum pedisequis advolare, distinctius his, ut donec sigilla piis impressa sint, praestolentur mandans; quo facto numerus piorum distinguendorum indicatur. — V. 1. Quatuor hi angeli non tam ventorum praecipuorum praesides habendi sunt, quod quidam ex Zach. 6, 1-5. Jer. 49, 36. Dan. 7, 2. male concluserunt, quam hoc tantum consilio a deo dimissi, ut ventos seu terrae motum excitent, nunc vero jam sistant et coerceant; unde non dixit auctor τοὺς τέσσαρας, nec vertendum: *praefectos* quatuor angulis, sed *stantes ad* quatuor angulos. Igitur si jam *coercentes* omnes ventos conspiciuntur, ne flatibus diris terram, pelagus et arbores turbent, e mandato divino modo audito jam agere cogitandi sunt. Esse hos ad poenam terrae motus per procellas horridas effecti infligendam missos, ex verbis *οἷς ἐδόθη αὐτοῖς ἀδικῆσαι τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν* v. 2. elucet: at nunc repentino dei mandato ventos sedantes conspiciuntur. — V. 2. Supervenit iis angelus cum pedisequis (ut apparet ex plur. *σφραγίσωμεν* v. 3.), major igitur, a deo ad signum piis imprimendum missus distinctiusque quousque ventis cessandum sit, angelis illis quatuor indicans. Superne hic tendit *ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου ab oriente*, plaga scilicet ob solis ortum sanctiori deique sede praecipua habita (cf. praec. Enoch. 24, 2. 76, 1. Herm. Past. in Fabr. cod. ap. N. T. P. 3. p. 780.) ut hic de throni divini regione dicatur; manuque tenet sigillum *dei vivi* frontibus piorum dei cultorum imprimendum v. 3. Et hoc quidem signum quid sibi velit, qua ex origine prodierit ejus imago, si quaeritur, sic statuendum esse videtur. E more fuit populis Orientis antiquo, servis *domini* nomen inurere, quo et ab ingenuis et diversi diversorum herorum invicem distinguerentur; apud Romanos tamen servis tantum fugitivis nota s. stigma tale inscriptum est (cf. Wolfii not. philol. ad Gal. 6, 17. quanquam ad hunc locum male transfertur hic mos). Inurebatur nomen partim manui dextrae, partim fronti; fronti

aestus cresceret, loco illatum et alienum esse patet. Ceterum a ventis haud inepte terrae motum et soli ruinam repeti, narratio monstrat de Arabibus priscis ventorum per decem dies flatu ob Hudum prophetam spretum deletis cf. Cor. Sur. 46, 24. 69, 7. etc. Abulf. in Pocock. spec. h. A. p. 421. ed. sec.

inusta nota haud raro dedecus majus afferre visa est (unde Romanos milites in manibus, servos in frontibus notasse tradit Veget. de re milit. 2, 5. Aetius 8, 12. cf. Hesychius sub ἰσχριῶνα). Duplex potissimum ex hoc more fluxit imaginum genus. Potest enim talis nota inusta, frontis imprimis, vitae abjectae et servilis vel infamiae qua quis notatur summae imago esse, ut imprimis patet ex وسم علي الخرطوم (*inuere in fronte*) Cor. Sur. 68, 16. et contra Exc. Ham. n. 21. v. 2. p. 532. Sch. cf. etiam כִּי Jes. 3, 24. 3 Maccab. 2, 29. Phil. de monarch. II. p. 220. Sed quia nota talis servo ob domini, cujus nomen prae se fert, auctoritatem securitatem simul praestat, ut servo nocens dominum non minus offendat, utque servus quo major sit domini auctoritas eo sit aestumatior et securior, haud mirandum venit, quod nota talis servis simul et tuendis atque a ludibriis arcendis et e domini moribus atque animo dijudicandis inservit. Hinc antiquitus jam deus Kaino, quem tutum praestaret suumque quasi adoptaret servum, signum tale imposuisse traditur Gen. 4, 15. [1]) et per totam deinceps Apocalypsin partim dei in terra cultores (qui hic etiam loci consulto δοῦλοι τοῦ θεοῦ perhibentur) nota fronti imposita discernuntur et muniuntur, partim impii scelerum sectatores notam domini sui seu Antichristi inscribi sibi pati coguntur 13, 16-18. 14, 9. 11. 16, 2. 19, 20. 20, 4. Utque his facinorosis Antichristi *nomen* seu nominis compendium inuritur, ita haud dubitandum, quin *sigillum dei*, cujus hic fit mentio, nomen divinum gesserit fronti imprimendum, quo solo pios satis se tueri et munire possint. Nam partim supra jam 2, 17. *nominis* divini gemmae inscripti piis dandi mentio facta erat (cf. p. 120; interpretatio loci hujus ex nostro firmatur), partim infra 14, 1. in visione huic arctissime juncta diserte pii hi servi et sacerdotes dei nomen divinum in fronte gerere dicuntur. Salutem vero et vitam quia hoc sigillum praebiturum est, deus ζῶν hic consulto nominatur. — V. 4. Angeli dum mandata perficiunt, vates se audisse fingit

1) dei cujusdam cultoribus nomen dei hujus inuri, tradit Herodot. 2, 113; idemque more Indorum antiquo receptum fuisse, ex Asiatic Researches Vol. VII. p. 281 sq. ed. Lond. in 8vo elucet.

numerum sigillo divino muniendorum; et quanquam totum numerum praeponit, enumerat tamen ob rei certitudinem et gravitatem singulas deinceps tribus numerumque omnibus eundem. Sed in hoc numero plura obvia sunt notatu gravissima. 1) Quod e duodecim tribubus tantum Israeliticis numerum servandorum vates constituit, non hanc habere potest vim, Christianos tantum e Judaeis tutos et beatos fore. Nam christianos ex omnibus gentibus collectos salutem adepturos esse supra jam 5, 9. significavit vates. Res potius sic cogitanda. Ut omnino religionem christianam constat primis ortus temporibus judaeam speciem non statim abjecisse, ita christiani e gentilibus facti simul Judaeorum non fidem, at ritus tamen et cetera fere omnia externa amplecti christianis doctoribus plurimis visi sunt. Mansit externa Judaeorum conditio et nomen, fide mutata. Imprimis vero doctores quosdam judaismi amantiores constat Judaeorum ritus et nomen in christianos traduxisse, a quibus ut Paulus et Johannes apostolus longissime aberant, ita vatem nostrum minus alienum esse tota libri indoles monstrat. His externae judaismi formae fautoribus cum Christiani e gentilibus collecti simul in Judaeorum rituum et nominis societatem sic recipi viderentur, ut cum tribubus duodecim Israeliticis per totum fere terrarum orbem, ut videbatur, dispersis coalescerent, haud mirum sane, quod *αἱ δώδεκα φυλαί* vel *ἡ διασπορά* nonnunquam christianos omnes, tum e Judaeis, qui primi et potissimi, radicis instar foecundae (Rom. 11, 16-21.), habiti sunt, tum gentiles his insertos significant. Testantur id Jacobi epistola et Petri prior (Jac. 1, 1. 1 Pet. 1, 1.), quae quanquam christianorum magis gentilium usibus inservriturae scriptae sunt [1]), in fronte tamen tribuum Israeliticarum duodecim vel Judaeorum dispersorum nomen prae se ferunt. Similiter duodecim tribus, quippe a quibus salus prodeat et in quas ceteri omnes adoptandi sint, in judicii universalis mentione obviae sunt Matth. 19, 28. Luc. 22, 30. — 2) Numeri ficti indolem facile agnoscas. E *duodecim* tribuum (quarum quaedam dudum Johannis tempere exstinctae erant saltem *nomine* tenus, at hic in recensu omnes junctae comparent ex temporum veterum memoria) quaque *duodecim* millia electi servantur, quod aeque per omnes ratum fore deinde in singulis enumerandis proba-

1) hoc enim unice verum esse mihi persuasi.

tur. Est quidem parvus hic piorum servandorum numerus rotundus, nec vatis ex mente eum nimium cogitare licet. Quae enim ex rei natura et experientia hausta opinio omnibus et vetustis et recentioribus prophetis inhaesit, *paucos* tantum vere pios deoque probatos e calamitatum poenae divinae copia beatos prodituros esse, eandem vatem nostrum fovisse patet, imprimis si quam tenues tum temporis fuerint christianorum res, reputamus. — 3) In ipsa vero enumerandi tribus ratione plura sunt singularia. Ordo primum singularum neque ex tempore quo nati sint filii Gen. 29. 30. neque ex tribuum situ, qui ordo in cantico Mosis Deut. 33. servatus mihi videtur, exacte institutus, nec tamen prorsus temere initur. Praemissa enim, quae semper fuit potentissima, Judae tribu et post eum primogenito Rubene posito binae sequuntur tribus eo quidem quo binos filios ex eadem aut conjuge aut pellice natos esse e Gen. 29. 30. elucet, ordine; nec tamen nisi in Josepho et Benjamino ultimo loco positis, tempus servatur quo bini nati sunt. Sed magnae insuper in hac enumeratione oriuntur difficultates, quas quanquam re penitius inspecta nullae sunt, audire tamen et solvere juvat. Omissa enim est tribus *Dan* quae ante Naftalim ponenda erat, quaeque loco hujus tribui Naftali subjuncta est *Manassis* tribus, ea quia jam in *Josephi* tribu latet, omittenda fuisse videtur. Quae tamen quomodo a vate sic concipi potuerint, attentius examen monstrat. Tribuum Israelis *duodenarius* numerus e more et memoria vetustissima adeo est sancitus, ut ubicunque de toto populo sermo est, idem semper sibi constet; et quanquam dein post Mosis et Davidis tempora varie mutatae et jactatae fuerunt quaedam tribus, ut Josephi posteri in duas abirent tribus magnas, Levi inter ceteras dispergeretur, aliae paullatim imminutae vel aliis immixtae sine ullo vestigio essent, tamen numerus ille semper in enumerando servatur, ut antiquitatis memoria saltem integra maneat. Ob turbas vero illas quas tribus passae sunt plurimas diversa fuit per temporum vices tribuum illarum duodecim enumerandarum ratio; et in genere quidem triplex: *a*) antiquissima est ratio, qua *filii* Jacobi duodecim enumerantur, ut apte fit Gen. 49; post Mosis obitum si *b*) de tribuum *sedibus* statuque civili et bellico agitur, *Levi* tribus inter omnes dispersa merito ita exulat, ut Josepho Ephraim et Manasse sub-

stituantur, fuitque hic ordo prorsus solennis et suetus, ut Num. 13, 5-16. Jos. 13-19. Ez. 48, 1-38; c) si vero hanc Levi tribum interponere placet, quod inter alia fit, ubi non tam de sedibus populi quam de aliis rebus ad Levim simul pertinentibus agitur, Levi sic tantum cooptari potest, ut ceterarum tribuum una omittatur. Nec tamen Ephraim iterum et Manasse in unam Josephi tribum coalescere solent, quippe quae et legibus et potentia eximia dudum ceteras adaequaverant; sed numerus sic servatur, ut tribuum minorum et fere exstinctarum quaedam omittatur. Ita jam in cantico Mosis Deut. 33, 6-24, in quo Levim nominare vatis intererat, tribus *Simeon* omissa est hac sola causa, quod haec cladibus tum temporis admodum imminuta vel commixta et extincta erat [1]); et similiter hoc Apocalypseos loco, in quo Levi deo carus haud omittendus videbatur, tribus *Dan* omissa est, quam post exilium dispersam est deletam prorsus fere evanuisse, ex enumeratione 1Chron. 4-7. (ubi scriptor similiter Levim recenset una cum ceteris; nec nisi inter Jacobi filios 2, 1. Danem nominarat) satis constat. Locum vero ejus hic *Manasse* tribus ita sustinet, ut tribui Naftali, cui Dan gemina (priori tamen loco ponenda) erat, subjungatur. Quod autem Josephus pro singula Ephraimi tribu nominatur, non mirum, si celebrius hoc Josephi nomen primogeniti loco poni reputes; potuisseque Josephi nomen ad alterutram ex eo prognatam tribum referri, locus monstrat memorabilis Num. 13, 11. Et haec quidem sola omissae tribus Dan causa cogitari potest idonea. Quas enim alii attulerunt, infirmae parum et nullae sunt. Alii Dan sedulo omissum putant ob idololatriae culpam (Targum Jonath. in Ex. 17, 8. Num. 11, 1. 22, 41. Deut. 25, 18. Eisenmeng. Judaism. II. p. 529. sed in V. T. *urbs* tantum Dan ob hanc culpam notatur Jud. 18, 1 sqq. Amos 8, 14. 1Reg. 12, 29. 30. nec patet, quidni eadem ex causa plures tribus omissae sint); alii vatem in nomine מְנַשֶּׁה *qui facit ut* (Dan) *oblivioni tradatur* lusisse temere sibi persuadent. Nec ulla adest, qua lectionem codd. et omnium traditionum auctoritate firmatam tentemus, causa solida, ut nonnullorum, Hartwigii (Apologie des Apoc. T. II. p. 287 sqq.) potissimum, conjecturam, lectionem μανασσῆ ex ΔAN perperam in MAN

1) hanc enim solam causam veram esse puto.

mutato et e scribendi compendio de Manasse explicito ortam esse, si ingeniosam, at certe frustra conceptam dicas.

2) 7, 9—17. Haec dum geruntur, ecce jam tempus effluxit, quo martyrum copia satis magna occumberet. Jamque qui prius 6, 11. exspectari jussi sunt martyres in terra ante vindictae initium caedendi, laboribus in summis quae christianos mansurae erant calamitatibus fortiter exantlatis (v. 14.), in coelum advenientes a vate conspiciuntur. Sic igitur jam completo quod visione illa 6, 9–11. arctissime cum hac cohaerente futurum exspectandum annunciatum erat, temporis spatio, calamitatibus quae piis in terra instabant satis diu grassatis et caede martyrum piam efflantium animam omnium perfecta, omnia ad ipsam vindictam incipiendam ita praeparata sunt, ut eam statim secuturam esse (8, 1.) per se liceat augurari. Ita vero in coelo martyres comparent, ut gaudio coelesti praemiisque divinis calamitates, quas in terra summas et ultimas modo experti sunt christiani, compensari simul videas utque haec visio, si qua alia, ad solatium miseris e vitae beatae imagine praebendum composita sit et apta. Namque martyres inter angelos elucent hymnos cantantes, vestibus ornati decoris et dei messiaeque numine vicino et propitio beatissimi [1]).

V. 9. Martyrum, quibus ante vindictae initium occumbendum est, cohors *plena* recens in coelum adveniens fingitur; quare *multitudo magna cujus numerus non facile iniretur* (neque enim ut v. 4. numerus ab angelo definitur) vati obvia est, collecta ea ex omnibus terrae gentibus (cf. eadem vocabula ordine paullum mutato eadem in sententia 5, 9.). Quae hoc solo fine ita adumbrata esse patet, ut martyres iis qui 6, 6–11. aderant longe plures numerumque ibi indicatum justum explentes e calamitatibus toti in terris christianorum nomini perpetiendis progressos (v. 14.) vates sisteret. Throno i. e. deo messiaeque ad laudes canendas (v. 10.) adstantes *vestibus* jam *albis* ornati sunt, vitae in terra integrae jamque gaudii et praemii justi signum cf. ad 3, 4. et qui loci omnino conferendi, 4, 4. 6, 11. ubi martyres jam priores hoc insigni decorati erant. Simulque *palmas* dextris tenent,

1) verbo monere sufficiat, visionem hanc ab Eichh. et Heinr. et alia ratione a Bleekio (l. c. p. 258.) male esse intellectam. cf. ad 14, 1.

qua imagine vates non ad festi tabernaculorum ritum Lev. 23, 40. respexit, ut palmam ob laudes dei festivas martyres gerere cogitandi sint, sed (quod ad hunc locum multo aptius) ad *victorum* insigne ex Graecia et Joh. 12, 13. satis notum. Post exantlatos labores palmas gerunt victorum instar in ludis Olympicis; coronas enim ceu ornatum majorem quo minus omnibus tribueret vates, seniorum imago 4, 4. obstitit ceteroquin nostrae simillima, ut simul hanc palmarum interpretationem unice veram esse monstret. — V. 10. praestat lectio κράζοντες cf. p. 39. ἡ σωτηρία *salus* uni deo cum messia debetur; is solus servare et tueri valet quemcunque vult deusque tuendo fortis praedicandus est cf. 19, 1; quod apte canunt modo e calamitatibus ad coeli praemia evecti. — V. 11. 12. Jamque angeli etiam catervatim laudes has piorum cum adoratione debita confirmant (ἀμήν), doxologiam adjungentes comtissimam septem laudum divinarum numero sancto distinctam; in quo magna cernitur visionis 5, 12-14. similitudo. *Dei sunt deoque soli tribuenda benedictio*, splendor etc. — V. 13. Quo distinctius, *quinam* recens coelum ingressi (*peregrinos* enim advenas recens coelum ingressos eos esse inest jam interrogationi τίς καὶ πόθεν cf. Odyss. 19, 105.) laudibus divinis pleni sint, porro patescat, se a presbytero quodam, quem sui generis et sortis advenas optime nosse decebat (cf. ad 4, 4.), de iis interrogatum esse vates fingit; cumque ut in coelo peregrinus eos sibi ignotos excuset, a presbytero de advenarum ratione et sorte beata edocetur. Cui fictioni ex Zach. 4, 4. 5. haustae grata inest narrationis varietas. ἀποκρίνεσθαι ex hebr. עָנָה (v. not. n. ad vers. Cantici 2, 10.) in N. T. omnino *sermonem mutuum* vel saltem post voces praevias, argumenti etsi diversi, continuatum significare notum est. In responso v. 14. σὺ οἶδας nota sensum modeste explicationem expetentis: nesciens ego te *scientem* ut exponas rogo. οὗτοι *hi sunt* qui modo huc advenerunt ex calamitate magna (haec est haud dubie ultima omnium perniciosissima, qua Christiani cruciandi erant) terrestri egressi. Sequentis imaginis prebrevi et acri sermone expressae origo haec est: isti in terra *sanguine* Christi i. e. caede quam ob Christi doctrinam Christi et hac in re exemplar secuti passi sunt, cruenta vestes quidem suas conspersas macularunt, sed quia ipsa hac morte fortiter tolerata vestes quas jam gerunt, coelestes

albas, meruerunt (allusione ad v. 9. facta), sanguis ille profusus vestes eorum non tam inquinasse et rubras reddidisse, quam *dealbasse* et *purgasse* dici potest. Quam singularia igitur et omnem excedentia spem praemia sunt coelestia! — V. 15. Ob virtutem hanc spectatam dei propitii vicinia beantur, sacerdotumque instar die nocteque (cf. 1 Sam. 3, 1 sqq.) loco sancto servientium in coelo (templo dei cf. ad 3, 12.) versantur; Dei autem templo et sanctis his sacerdotibus praesentis imago e Mosis tempore petita vatibusque jam vetustis (ut Jes. 4, 5. 6. 24, 23.) adamata. Locum enim quem dei sedem populus veneraretur sanctum Mosen constat igne perpetuo sacro sic distinxisse, ut flamma continuo eluceret, interdiu sacrificiorum fumo obscurior, noctu clarior quo securitatem simul dispersis tentoriis praeberet Exod. 40, 34 sqq. Num. 9, 15—23. Visusque hinc deus interdiu nube fumoque, noctu igne super sacrario adesse. E qua antiqui temporis imagine vates seriores deum, si quando loco sancto praesens iterum affuturus sit, *nube ignea* sacrario impendenti involutum seu in tugurio (סֻכָּה σκηνή) ita affore ominabantur, ut cultoribus suis infra collectis praesidium (refugium) simul et lucem conferat infinitam; nec deest haec imago in regni coelestis novae Hierosolymae adumbratione 21, 11. 23. — V. 16. Si vero majestas divina propitio numine iis quasi in tugurio superjecto adest, nihil ipsis porro est eorum, quae in terra incommoda metuuntur, timendum: non famis sitisque, nec solis aliusve rei aestus. Quae sic potissimum ex loco Jes. 49, 10. cll. similibus, ut Jes. 4, 5. 35, 7. expressa. — V. 17. Eo enim securius in loco isto sancto morabuntur, quo propius iis adest messias pastoris instar assidui amatos suos pascens et sempiternae salutis aqua potans. Quae hic ex loci Jes. 49, 10. (cll. 40, 11. Ps. 23, 2.) imagine continuata sic hausta sunt, ut de deo ibi dicta ad messiam transferantur. Messias est *ἀνὰ μέσον versus medium throni* i. e. non *ἐν μέσῳ* — ut 5, 6. dictum erat, sed *prope* thronum, throno divino imminens. Pastor ut oves ad *aquae* sanae fontes limpidos ducit, sic messias suos ad aquae fontem in paradiso ex Judaeorum opinione (cll. 22, 1. ubi haec amplius describuntur) situm, e quo salutem vitamque infinitam hauriant. Quales imagines in evang. Joh. ut 4, 10. 14. 10, 14. 27. 28. de summa quam Christus in vita jam terrestri praebet salute obviae sunt.

Lectio hic variat inter ζωῆς et ζώσας: utrumque ex glossa ortum videtur. Tantum igitur ubi pii laborum in terra exantlatorum praemium et lenimen ferent, deus lacrimas eorum abstersurus dici potest, imagine ex Jes. 25, 8. hic et infra 21, 4. desumta. Et sic quidem martyres hi quanta sint piis omnibus in regno coelesti praemia cruciatuumque in terra gravium lenimina exspectanda, exemplo suo in partis visionum primae fine apte ita monstrant, ut animus ad integram illam vitae beatae descriptionem c. 21. 22. e qua hic singula quaedam delibata sunt, cognoscendam excitetur. Hinc oratio etiam a praesenti v. 15–17. in *futurum* tempus aberrat, quasi salus haec et his recens in coelo advenis et ceteris omnibus piis exspectanda restet.

II. Jamque cum *septimo* sigillo 8, 1. reserato *vindictae* adest *initium*, panditurque in *secunda* visionum parte 8, 1–11, 14. *vindictae incipientis et crescentis* descriptio. Quare completo jam septenario illo numero alia septem numerorum series vati erat circumspicienda; apteque profecto septem hic introducit angelos *tubis* canentes. Ipsae enim hae tubae cum ex imagine temporibus illis familiarissima *Messiae adventanti* praecinant (v. supra p. 19. et 4 Esr. 5, 4. 6, 23.), nulla certe imagine significantius calamitates gentilibus jam jam in vindictae ipsius sensim horrendum in modum crescentis initio divinitus immitti fingi poterat quam angelis septem e dei mandato tum Messiam adventantem tum calamitates singulas ipsi praevias tubis detonantibus. Sed hae tubae priusquam canant, digne satis vindictae divinae jam sese manifestanti praeluditur

1. 8, 1—5. visione praevia, praeter septem tubarum jam apparandarum mentionem, ob visionum nexum hic injiciendam, *arae divinae fumantis* imaginem describente. Cum enim vindicta nunc vix incipiat restetque qua justitiae divinae satisfiat, pars poenarum maxima, preces etiam piorum vindictam expetentium porro semper (cf. 6, 9–11.) ascendere cogitantur: quas jam in altari deo sic ab angelo quodam coeli sacerdote offerri conspicimus, ut fumus densus ascendat thuribulumque igne hoc coelesti repletum in terram dejectum tonitrua et terrae motus excitet. Sic igitur piorum preces exaudiri, iram divinam fervere signaque et omina irae hujus in terra saeviturae praenuncia excitari videmus; utque infra 11, 19. 15, 8.

similia vindictae divinae jam proditurae signa poenis praecedunt, saeviora tamen et crescenti paullatim vindictae congrua, ita quin *tres* hae visiones praeviae mutuo nexu intime cohaereant nemo poterit cordatus dubitare (cf. p. 24.). — V. 1. In *silentii*, quod sigillo septimo tantas vindictae divinae poenas, ut necessarias, ita miserandas et luctuosas continente reserato coelicolas per horam dimidiam tenet, mentione vatis agnoscas tantas miserias ex animo dolentis sensum tenerum. Certe imaginem ex populi in templo inter sacerdotis officia tacite precantis more Luc. 1, 10. desumtam esse (v. Rosenmüller das alte u. n. Morgenl. T. VI. p. 211.) non puto. — Cum angeli septem *distincti* coram deo adstantes (τοὺς [1]) ἑπτά, contra 15, 1.) innuantur, vates hic angelos septem summos thronum divinum procerum instar persicorum (Esr. 7, 14.) cingentes significare videtur; qui quanquam supra 4, 5. lampadum instar thronum circumstantes depicti erant (cf. p. 89. 90.), tamen cur hic mutatam figuram et officium induere a vate fingi non potuerint non apparet: neque enim infra lampadum istarum septem imago iterum obvia est. — V. 3. Ad altare aureum coeleste supra 6, 9. jam memoratum accedit angelus cum aureo thuribulo (*λιβανωτός* in LXX. 1 Chr. 9, 29. pro *thure*, לְבֹנָה *λίβανος*, hic de *thuribulo*, quod *λιβανωτρίς* vel *λιβανωτίς* Polyaen. 4, 8. cf. Phrynich. distinctius dictum fuisset). In sequentibus dativum *ταῖς προσευχαῖς*, qui difficultates creare videtur, multi putarunt dici pro *ἐν ταῖς πρ.* ut sensus sit: dum sancti omnes preces fundebant, suffitus adolebatur altari injectus cf. Luc. 1, 10. Sed hunc dativi usum, epicis et antiquis scriptoribus usitatum (cum Graecorum dativus e Sanscrito locativo originem trahat), in N. T., in quo locutiones tantum temporis per se notam habentes ut *ἱκανῷ χρόνῳ* Act. 8, 11. Luc. 8, 29. ejus vestigia servant, et in hoc imprimis scripto difficillime agnoscas; nec sensus ille ad hunc locum satis est congruus. Igitur, cum emendatio *τὰς προσευχάς* a Grotio aliisque (v. Bowyeri et Schulzii Konjekturen über das N. T. T. II. p. 601.) tentata procul dubio temeraria sit, nec minus Schöttgenii (hor. hebr. et talmud. p. 1114.) verba haec bis e glossemate in textum irrepsisse statuen-

1) male enim in N. T. articulum redundare vel indefinitum signare putatum est; id quod vel in hebr. articulo ה falso sumi, v. in gr. hebr. p. 568.

tis sententia placeat, dativus sic intelligendus est: thura *plura* altari ad suffiendum imponuntur *in commodum precum sanctorum omnium*, i. e. quo deo acceptiores fiant, ut tandem deus totas eas exaudiat; quo suavius enim thus ab angelis sacerdotibus offertur, eo gratiores sunt piorum preces cf. ad 5, 8 notata et FABRICII cod. pseud. V. T. T. I. p. 547. ed. sec. Enoch. 8, 9. 9, 2-4. 10-12. 47, 1-4. 60, 9. 12-16. 96, 2. 4. 97, 4. 39, 4. 40, 6. En igitur tempus adest precum exauditarum vindictaeque; nam *plenus* e thure in sanctorum precum gratiam oblato fumus adscendens (v. 4. ἐκ χειρὸς τοῦ ἀγγέλου pertinet ad ἀνέβη, adscendit e manu quae thus obtulit) partim sacrificium deo acceptum esse significat, ut semper sacrificia, quo laetius et clarius ignis emicat, eo faustiora putantur cf. 1 Reg. 18, 38; partim iram divinam ardere notat; unde v. 5. angelus thuribulum ignis in altari saevientis parte repletum in terram dejicit, quae iram divinam saevientem sentiat; statimque ut irae hujus igneae terram percutientis vestigia fulminum genera omnia et terrae motus sequuntur. Similiter jam Ezech. 10, 2-4. angelum prunas igneas e loco divino in urbem impiam dejicere finxerat.

2. 8, 6. Praemissa hac imagine procedunt jam ordine septem cum septem tubis angeli poenarum dirarum et praecones et ministri. Sic enim eos tuba clangentes vates finxit, ut simulatque classicum canat, potestas quoque poenam quandam efficiendi divinitus ipsis data cogitanda sit. Et has quidem poenas apte sic disposuit vates, ut vis earum et terror ipso progressu immanem in modum crescat, utque priores leviores breviusque depictas sequantur deinceps gravissimae fusius describendae; priores *naturam* potius homines cingentem laedant hominibusque timorem incutiant cum noxa, posteriores ipsos homines crucient. Quo in ordine simillimae sunt septem sigillorum et phialarum descriptiones c. 6. 16. Cumque in hac quoque serie tres poenas posteriores gravissimas sejungere et seorsim describere vati esset animus,

1) *quatuor* priores tubae 8, 7-12. singulae poenas minores, cunctaeque *unam* tantum quadruplicem poenam afferunt, ut quatuor his prioribus poenis sequentium trium quaeque fere aequiparanda sit. Calamitas his et internecio *magnae* naturae *parti* infertur variis phaenomenis diris et truculentis. *Magna* pars ut exprimatur, *tertia*

nominatur hic ubique, cf. 9, 15. 18. 12, 4. Ez. 5, 2. et loca e Rabbinis citata ap. Schöttg. et Wetst. ad h. l.; sed illud hic notatu gravissimum est, numerum hunc hoc ipso in visionum nexarum loco consulto electum esse idque aptissime. Nam ut in prima visionum parte 6, 8. *quarta* hominum pars i. e. minor quam quae hoc loco innuitur, a vate posita est, ita in tertia et ultima visionum parte, ubi ultimum et summum excidium paratur, *tota* terra poenis plectitur earum quae hoc loco memorantur similibus 16, 2-8. Quae si bene reputes, omnia haec et arctissime cohaerere pulchroque procedere ordine et eximia cum arte a vate disposita esse fatearis. *Terrae* autem vel mundi ad homines pertinentis oculisque patentis ex visionum numero praescripto apte *quatuor* constituuntur partes: *terra*, *mare*, *fluvii* et quatenus ad hominum aspectum fortunasque pertinet, *coelum*. Phaenomena vero, quibus quaeque harum mundi partium hominum in noxam gravem turbatur, ita constituta sunt, ut vatem ea ex traditionibus magis antiquis de miris quae quondam impios tetigerint infortuniis, phantasiae ubertate ornatis et auctis, quam ex rerum veritate hausisse appareat. Sunt enim aut ex traditionibus quas de Aegyptiis calamitatum gravium onere punitis Exodi liber narrat, aut ex phaenomenorum naturae quae circumferuntur mirorum stupore delineata. Quare, quae e phantasia fluxerunt vatis, desinamus aut ad verae historiae vel naturae indolem exigere aut explicatione falsa ad invitum sensum detorquere; hoc unum liceat, ut de *origine* commentorum probabili dispiciamus. Ita v. 7. calamitas *prima terrae* noxam illatura grandinem affert ignemque, grandini adjuncto acriori phaenomeno, turba verisimiliter et procella ardenti omnia amburente, quam *presterem* dici auctor est Plin. h. n. 2, 49. His vero ex Ex. 9, 24. haustis vates *sanguinem* grandini huic et igni immixtum (nam μεμιγμένα neutr. pl. videtur ad utrumque quod praecedit nomen relatum; praestatque haud dubie lectio ἐν αἵματι cf. p. 42.) adjunxit, hac ut videtur ratione permotus. Populis antiquis nonnunquam *sanguine* pluisse visum est, quare ad prodigia id retulere cf. Liv. 1, 31. Quidni igitur vati sanguinis pluviam similibus diris tempestatis prodigiis subjungere licuerit? quanquam tria haec vatis tantum phantasiam composuisse facile patet, ut qui verborum sensum hunc esse putent "pluviam fulminum

continuorum flammis reverberatis' rubere visam fuisse", mirum a vero aberrent. Ultima versus verba, inter prodigia illa ignem potissimum terrae, arboribus multis omnique gramini molliori nocuisse, ex Ex. 9, 25. delineata sunt. — V. 8. 9. Secunda calamitas *mare* tangit. In quo mirum videas vatis commentum. *Sanguinis* enim, qui aquas commaculans omnes hominibus taedio est et noxae, piscesque rei insolitos necat, ex nota Aegyptiorum poena Exod. 7, 20. 21. fluxit mentio: sed huic, minori scilicet pro isto aevi ultimi ingenio poenae, alia immixta est aliunde prorsus derivata. Ut enim partim unde color ille aquae ruber seu sanguineus oriri possit explicaret, partim horribilius quid et majus subjungeret, *montem* finxit vates magnum *ardentem* in mare delabi navesque destruere, ductus haud dubie montis ignivomi, qui in terrae motu flammas ebulliens totus in mare proximum provolvi videtur [1]), imagine e rumore accepta. Quae imago cum Hebraeis antiquis montes ignivomos ignorantibus haud obvia sit, a vate non ex הַר שְׂרֵפָה Jer. 51, 25. (mons *combustus* i. e. desolatus cf. בָּעַר) sed, ut alia hoc loco admixta plurima, ex sui aevi experientia ducta est. De *τὰ ἔχοντα ψυχάς creaturae vita praeditae* ad *κτισμάτων* referendo v. p. 44; in fine praestat procul dubio pluralis *διεφθάρησαν* lectioni *διεφθάρη* cf. p. 45. — V. 10. 11. Tertia calamitas aquas in terra meantes tangit; estque ea non ex ipsa tantum re priori proxima ut, nisi *quatuor* visiones hic inducendae fuisseut, utramque una *aquarum* imagine complecti licuisset: sed ex eodem etiam argumento et picturae genere (cf. 16, 3. 4.). Aquam sanguineam piscibus aeque atque hominibus noxiam fuisse antiqua ferebat traditio Exod. 7, 18-21. Igitur cum supra v. 9. aquam talem *piscibus* tantum *marinis* nocuisse indicaverit vates, jam hominum noxam ex *fontibus* et fluviis variandi studio ita derivat, ut hos *amaritudine* depravatos fingat. Utque sanguineum colorem aqua marina traxit ex monte *ardente* delapso, sic amaritudinem fontium ex *stella lucida* et *amara* coelo delapsa deductam videmus. Cum enim stellae corpora minora lucem radiantia haberentur (cf. ad 6, 13.), haud mirum sane quod eas et dejici et materiae terrestris, ut amaritudinis, plenas esse posse vulgus putabat; cui accessit de stellis, luna imprimis, vim in res terrae exercentibus opinio

1) cf. inter alia Plin. ep. 6, 16. 13. 20. 9.

pervulgata. Nos tamen unicum vatis commentum agnoscamus, qui quam arcte tertiam hanc visionem secundae annectat vel potius illam ad hujus imaginem finxerit, verba v. 10. ἀστὴρ μέγας καιόμενοι ὡς λαμπάς cll. ὄρος μέγα πυρὶ καιόμενον v. 8. satis monstrant; male enim Wetst. aliique in voce λαμπάς ad cometarum genus quoddam Senecae quaest. nat. 1, 15. *lampades* dictum alludi putant. Ceterum absinthium alias Graecis ἡ ἄψινθος dictum hoc loco consulto vates masc. fecisse videtur, quo melius voci ὁ ἀστήρ responderet. De aqua amara Israelitis in deserto molesta, non exitiali, Exod. 15, 23. vatem cogitasse temere sumitur. — Tres hae visiones portenta coelo delapsa terraeque noxam variam inferentia ita depinxerant, ut vates poenae Aegyptiacae cuidam graviorem additam fingeret; jam in *quarta* v. 12. *tenebrae* spissae in coelo ortae mortales turbant [1]). Nihil enim aevo illi solis lunaeque defectus causas fere ignoranti moestius et perniciosius visum est; cumque Aegyptios jam tenebris formidolosis pressos esse historia narraret Ex. 10, 21. 22, iraque et vindicta divina hoc imprimis signo saepius vatibus indicata esset (Amos 8, 9. Jes. 13, 10.), vix haec omitti potuisse patet. Igitur ex visionum harum quatuor indole apte in *coelo* sol, luna stellaeque *tertiam* lucis partem amittunt, ut dies noxque in terris hominum in noxam triplo sint obscuriores. Quae poena quia a deo *irato* infligitur, sol *percussus* dici potest, sicut alibi *fluvius*, quem poena divina (etsi hominum causa infligenda) tangit, a deo *percuti* dicitur הִכָּה Exod. 7, 25. cll. Habac. 3, 8. Patetque hoc jam ex quatuor his visionibus illustratis, inter quatuor iterum *tres* arctius ita jungi, ut una quanquam tribus intime annexa imaginem tamen aliam et tribus ceteris oppositam eligat; id quod in similibus duobus visionum nexibus 6, 1-8. 16, 2-9. idem observatur.

Praemissis his calamitatibus quatuor minoribus gravissimae sequuntur tres ultimae. Ad quas ut satis digne praeparentur omnes, visione brevi 8, 13. interjecta aquilam in coelo medio praetervehi videmus, tres illas reliquas ut hominibus (de κατοικ. ἐπὶ τῆς γῆς, christiani nominis inimicis, gentilibus potissimum, v. p. 156.) ex-

1) a tenebris 6, 12. memoratis hae differunt, non e terrae motu, sed ex solis defectu oriri cogitandae.

itium afferentes, integrum annunciantem. Id quod aptissime hic fieri nemo negabit. Nam ut omnino vates a minoribus ad acriores calamitates describendas progreditur triumque numerum distinguere adamat, sic hic imprimis calamitates tres ultimas *homines* plectentes a quatuor prioribus minoris ambitus *terraeque* magis noxiis secernendo animus ad majora excitandus erat secutura. Quomodo *aquila tria vae* eloqui potuerit, cum mirum videatur, multi jam veteres *angelum* eum interpretati sunt, aut *ἀγγέλου* pro *ἀετοῦ* temere legentes, aut e glossemate *ἀγγέλου ὡς ἀετοῦ* ita conjungentes, ut aquilae imaginem ad pernicem tantum angeli volatum pertinere putarent. Sed res ita bene cogitari potest, ut angelus *aquilae* speciem totam referens a deo delegatus putetur, quae gentilibus *omen* sit calamitatum mox insequendarum, ut saepius aquila omen habetur (Curt. 4, 15.). *μεσουράνημα* alias solis medio in coelo statum significat (meridiem, נְכוֹן הַיּוֹם); sed in Apocalypsi (cf. 14, 6. 19, 17.) haud dubie coelum medium, i. e. spatium coelo summo, solis deique, ut vatum phantasiae fingere licet, sedi, et infimo terraeque proximo interjectum (cf. Gen. 1, 6. 7. ubi triplex haec coeli distributio jam tangitur), in quo *aves* majores versantur voxque ab hominibus audiri potest. De *ἑνός* i. q. *τινος* v. ad 5, 5.

2) 9, 1—12. Jam quintum sigillum seu primum Vae horribiles affert hominibus *locustas* ex ipso orco progressas. Locustas, quibus nil terris istis perniciosius accidere potest, inter plagas jam Aegypti ultimas memoratas Exod. 10, 14, hic a vate sic depictas videas ut a veritate multum recedant. Cum enim ut locustae hae divinitus missae Aegyptiacis multo sint truculentiores et diriores res ipsa postulet (ut supra etiam 8, 7-12. Aegypti poenae imaginibus auctis depictae erant), vates non poeticas tantum, quas in Joele c. 1. 2. reperiebat locustarum dirarum picturas in rem suam convertit, sed animalium quoque similium vel quae hominibus plurimum nocere traditio ferebat, attributa, miraque quae licebat omnia et singularia ad locustas transfert, omnino eas tales depingere satagens, ut diriores cogitari non possint. Quare incassum laboraret qui haec vatis figmenta in unum locustarum agmen congesta e rei natura historiave explicare conetur: unum hoc licet, ut unde singulae descri-

ptiones mirae manarint, sedulo exquiratur [1]). — V. 1. *Stellam* a coelo delapsam, quae orcum reseret, non stellam tantum esse intelligendam et per se apparet et ex loco simili 20, 1. probatur. Angelus potius significatur stellae decidentis specie, ut angelos in terram advenas stellas delabentes nominat Enoch. c. 84-87. 89, 32. 18, 16. 21, 1-6. Cum enim seriores Hebraei stellas lucidas angelorum habitacula haberent vel stellarum agmen nonnunquam angelorum agmini aequipararent (cf. Job. 38, 7. צְבָא הַשָּׁמַיִם de angelis et serius imprimis de *stellis* quoque dictum Jes. 40, 26. Deut. 4, 19.), non adeo mirum, quod angelus *stella delabens* nonnunquam serioribus dicitur; nec quaerendum, quomodo stella clavi accepta orcum aperire queat. Orco (ἡ ἄβυσσος χώρα, regio altitudinis fundo carentis, immensae, ut est βύσσος i. q. βύθος, βάθος) infinita in spatia infra terram diffuso orificium versus terrae superficiem *minus* est et angustius, *puteo* vel cisternae (φρέαρ בּוֹר, quod nonnunquam et ipsum de orco obvium est Ps. 30, 10. Jes. 14, 15.) simile; quam imaginem e terrae, quae hic illic patent, voraginibus atris desumtam esse credere licet. cf. Jes. 5, 14. En. 54, 12. Itaque *clavis* orifici oaperiendo tribui potest, tum quod cisternae clausae esse solent, tum quod clavis in potestate tribuenda saepissime memoratur, cf. ad 1, 18. p. 103. Ex orco igitur aperto angelus *locustas* (quae unde tandem nisi ex inferno loco, e quo dira omnia et truculenta, prodire possint?) ita ciere dicitur, ut e fumo demum qui ex orco ascendit densissimo solem aeremque spissa caligine tegente (ut fumo ex fornace amplissima aeribus excoquendis idonea ascendenti comparari queat, cf. קִיטֹר כִּבְשָׁן Gen. 19, 28.) locustae prodeant. Quae imago sic aptissime cogitanda videtur. Orcum constat tenebrarum, ignis fumique esse sedem, ut *fumeus Acheron* dicitur Virg. Aen. 6, 296. Valer. Fl. 4, 594. cf. חֹשֶׁךְ Job. 10, 21. 22. Ps. 88, 13. cf. infra ad 14, 10. Igitur ex Orco

1) dolendum sane, quod ex interpretum hujus libri pristinorum sensu veri et pulchri destitutorum explicatione in Eichhornii et Heinrichsii commentariis mansit de hac visione ad *Zelotas judaicos* Hierosolyma mox evertenda infestantes (Joseph. b. j. 2, 17. 4, 7. 5, 2.) referenda commentum. Locustis enim non Zelotas significari luce clarius est; et si ad historiam illam haec referre velis, plurima obstant gravissima. Vatem de *re futura* cogitasse v. 6. monstrat.

reserato cum locustis fumus simul spissus prodit locustas adeo tegens, ut e fumo demum paullatim evanescente conspicuae provolent; quod sane aptius ita finxit vates quam si locustas tantum voraginem evomuisse commentaretur [1]). Male alii aliter explicant; neque enim licet aut cum Bochart. hieroz. T. II. p. 495. ed. fol. de fumo cogitare, quo agricolae locustas praefocare et enecare student, aut cum Eichh. hunc loco sensum intrudere: locustae denso, quod solem obumbraret agmine prodibant, ut eminus fumum tantum densissimum cernere crederes; quanquam enim locustae solem obumbrare dici possunt cf. Exod. 10, 15. et intt. ad Joel 2, 2. 10, id tamen hujus loci sensui non sufficit. — V. 3. Sed locustae ita pronatae non sunt eae, quas vulgo hoc nomine insigniunt, frugibus tantum terrae noxiae cf. Exod. 10, 15. Joel c. 1. 2. Plin. h. n. 9, 29. (in terram enim supra saevitum est, jamque ad homines propius accedit poena horrida), sed *scorpionum* simul induunt figuram et aculeum hominibus pungendo dolores cientem infestos. Quae igitur alibi in antiquioribus V. T. libris de scorpionum, crabronum, vesparum, aliorumque hujus generis animalium homines ictu infestantium domibusque pellentium poena traduntur (ut Deut. 7, 20. Ex. 23, 28. Jos. 24, 12; Deut. 1, 44. Ps. 118, 12.), ea vates cum locustarum prodeuntium imagine sic conjunxit, ut has simul scorpionum terrestrium (marinis, de quibus cf. Bochart. hieroz. T. II. p. 635, oppositorum) potestate (cf. v. 10.) praeditas esse fingat. De scorpione עַקְרָב qui Ez. 2, 6. infestissimi hominis imago est, cf. Aristot. h. n. 9, 29. Dioscor. 6, 185. Bochart. p. 632—45. Judaeos etiam scorpiones virulentos in Tartaro latere existimasse ex Jalkut Ruben. f. 3. tradit Eisenmeng. Judaism. T. II. p. 345. — V. 4. Igitur hoc iis diserte divinitus mandandum est, ut ne solito locustarum more gramen neque omnino viride quid et arborem laedant, sed ut homines tantum impios poena dignissimos signoque propterea divino haud munitos (alluditur enim ad visionem 7, 1-8.) infestent, quos non Judaeos tantum intelligendos esse supra demonstratum est. Simulque non (v. 5.) datur iis potestas homines interficiendi, sed cruci-

1) accedit, quod locustas ex orco venire et e fumo nebulave (ut videtur ob pulverem excitatum) prodire vere putarunt gentes quaedam, cf. Oedmanni Sammlungen aus der Naturk. T. 2. p. 147.

endi tantum per quinque menses. Neque enim scorpionum aculeus dolores gravissimos ciens, ut nonnunquam et gentes scorpionum multitudine ingravescente solium mutasse tradantur Plin. h. n. 8, 29. Strab. 13. p. 613. mortem affert, cf. Bochart. p. 640; idque hic imprimis loci aptissime monetur, ut impios leviore poena primum doloribus acerrimis per tempus satis longum vexari, deinde 9, 18. ingravescente poena interfici etiam, intelligatur. Estque hic mixta prorsus locustarum et scorpionum imago. Quod enim de *quinque mensium* i. e. spatii satis longi commoratione additur, e locustarum per aestivos tantum calores a Majo ad Septembrem usque terras inundantium imagine ductum est. πταίειν *percutere* de scorpione aculeum infigente (κέντρον ἐγχρίμπτειν, ut ad h. l. Arethas bene explicat), ut הִכָּה πατάσσειν de vermium morsu Jon. 4, 7. 8. — V. 6. Igitur cum cruciatus et acerbissimi sint, et per temporis spatium longissimum continui, homines miseri morti se ut subito tradere queant optabunt cf. Jer. 8, 3; mortisque desiderium quod supra 6, 16. jam poena divina exagitatos subiit, hic mire auctum sententiae bis repetitae vis et pondus monstrat; neque enim scriptoris hujus est, ad parallelismum quem dicunt membrorum frustra assurgere. Cumque spatium satis longum praeterlabi cogitandum sit, non adeo miramur, quod vates suetam fictionis formam deserens orationem subito in *futurum* tempus aberrare sinat, quasi se ipsum in coelo per tantum temporis spatium haec vidisse minus probabile existimarit, cf. supra p. 13. Inter lectiones varias φεύγει praestare videtur cf. p. 39. — V. 7. Officio ita, quod singularibus his locustis divinitus demandatur, fusius descripto forma earum adumbratur singularis illi congrua et terrori hominibus incutiendo poenaeque dirae infligendae apprime idonea; omnia tamen e locustae natura ex prima origine desumta esse patet ex animalis descriptione cf. Bochart. T. II. p. 441 sqq. Niebuhr Beschreib. von Arab. p. 173. Job. Ludolfi comm. ad hist. aeth. p. 173 sqq. et append. de locustis; Oedmann Sammlungen zur Naturkunde der h. S. fasc. 2. p. 76-149. f. 6. p. 74. ὁμοίωμα est דְּמוּת Ez. 1, 16. *forma* imprimis singularis quam cum rebus similibus comparare tantum licet. *Equis* bello instructis locustas jam comparaverat Joel 2, 4. refertque omnino animal equini corporis quaedam similia, unde nostris etiam *Heupferd* dici notum est. Nam

et capitis rictus pedumque saltus equum refert et celeritate volatus fervida sonum edunt equitatus appropinquantis cf. Boch. p. 474. Oedmann fasc. 2. p. 145; accedit quod edentes eminus equorum pabulantium sonitum reddunt, notante Volney voy. en Syr. I. p. 277. Sed cum multa sint, ob quae locustae equis comparari possint, hic tamen externam tantum faciem, caput potissimum, intelligendum esse ex loci nexu patet. *Coronas aureas*, quae capitibus impositae videbantur, non ex mero ornatu vel fictione sumsit vates, nec de *galeis* caput tegentibus cogitavit; sed innuit procul dubio *antennarum* seu tentaculorum par e capite prominens, unde Damir ap. Boch. p. 475. قرنا ايل *cornua cervi duo* locustae tribuit cf. *horret apex capitis* Claudian. 83, 1; rem vero ita auxit vates, ut has quidem locustas miras antennarum loco *coronas aureas*, victoriae igitur quaqua versus proruant iis certae signum (ut 6, 2. ubi v. victores describit etiam locustas Joel 2, 7-9.), gerere fingat. Quare cum bellatorum instar fortium incedant, facies quoque *humana* hic locustis tribuitur, quod ex oculis potissimum prominentibus quos *elephanti* oculis Damir l. c. comparat, derivari potuit. — V. 8. Capillos promissos mulierum caesariei instar longae vates non ex antennis duabus derivare potuit (si vera sunt ad v. 7. notata), sed aut e pedum pilis (cf. Claudian. 83, 4.) aut ex cute locustarum horripilante (ut unam certe locustarum speciem סָמָר *pilosam*, horripilantem nominat Jer. 51, 27.) ut vates hic capillos tantum solito promissiores depingat. Quamvis enim pili hi paucas tantum forsan locustas insigniant (ut fere tacent de iis peregrinatores), vates tamen sedulo singularia omnia in has locustas juncta transferre putandus est. Dentes vero locustarum acutos et voraces leoninis similes esse jam dixerat Joel 1, 6; de maxillae enim leonis et locustae similitudine, de qua interpretes Joelis quidam loquuntur, res videtur ambigua. — V. 9. Thoraces qui videbantur aheneos facile vates locustae pectori duro cuteque firma munito tribuere poterat, ut Damir l. c. pectus ejus leoninum nominat, cf. *dorso durescit amictus; armavit natura cutem* Claudian. 83, 2. 3. Fremitum locustarum volantium sonum referre equorum curribus junctorum accurrentium eminus auditum supra ad v. 7. notatum est (cf. Joel 2, 5. Plin. h. n. IX, 29.); sed difficilius hic de lectione genuina judicari potest. Si enim et ἁρμάτων et

ἵππων genuinum habes, aut vertendum est: *sonus curruum, equorum multorum in pugnam ruentium,* quae gradatio jejuna foret, aut *currus equorum* per genitivum jungendum, quod quanquam languet ferri tamen facilius possit, aut *curruum, equis multis ruentibus,* qualis tamen genitivi absoluti usus ad hoc libro alienus est (cf. supra p. 41. ubi pro *equorum* lege *curruum*). Igitur vix dubito quin vox ἵππων e glossemate in textum illata cum codd. quibusdam omittenda sit; vati enim *currus* etiam in bellum currere eo facilius dici possunt, quod similiter Joel מַרְכָּבוֹת tantum nominaverat. — V. 10. Cauda iis non est locustarum sueta, sed *aculeo* armata, a scorpione desumta, qua homines acerbe crucient (v. 3-6.); hoc enim vati augendum erat, cum locustae solitae hominibus ipsis non adeo noxiae sint. Sic apte vates e formae externae descriptione ad id in fine redit unde egressa erat oratio v. 3-6, officium nempe diris his animalibus injunctum. Inter lectiones varias duae potissimum in censum veniunt: *καὶ κέντρα ἦν ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν· καὶ ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἀδικῆσαι,* et altera: *καὶ κέντρα· καὶ ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν ἐξουσίαν ἔχουσιν [τοῦ] ἀδικῆσαι*: quarum posterior, cum ad rei ipsius imaginem cll. v. 3-6. (nam *cauda* imprimis nocere jussae sunt) melius quadret, praestare videtur. — V. 11. Locustarum agmina ordine justo ducibusque praemissis volare satis notum est, cf. Bochart. p. 477 sqq. Igitur cum agmini huic tremendo *dux* et rex dari posset, vates quem ex fictione poterat aptissimum elegit ducem inferni omnium infimi angelum Abaddonem dictum. Ex orco enim unde ipsae locustae prodeunt (v. 2.), dux quoque eorum ortus sit, omnium cruciatuum, quibus impii in inferno plecti solent, jam in terra quoque auctor gnarissimus. אֲבַדּוֹן *interitus* in V. T. nomen poetis nonnunquam usitatum de *morte* et mortis regno, *Orco,* ut cum שְׁאוֹל componitur Prov. 15, 11. Job. 26, 6. Sed Hebraei seriori tempore nomine hoc poetico (ut aliis, v. Eisenmeng. Judaism. T. II. p. 324 sqq.) ad Tartari recessus infimos et obscurissimos significandos usi sunt, ut patet ex Erubin fol. 19, 1. Sohar Num. f. 74. Sohar chadasch. f. 22. 4. Emek hammelech f. 20, 4. 15, 3. nec dubium quin hic idem locus simulque ex nota illa de angelorum per mundum dispersorum regno notione (v. p. 103.) angelus ei praepositus intelligendus sit. Quare ob hanc *angeli*

notionem vates nomen hoc interpretaturus (Graecis scilicet scribens, v. p. 36.) non ὄλεθρον vel simili voce *interitum* notante reddit, sed nomine personae ἀπολλύων *perdens, interitum afferens.* Ceterum ab initio versus pro ἔχουσιν vel καὶ ἔχουσιν melius legitur ἔχουσαι cf. p. 39.

V. 12 adjiciendus erat, ut ex visionum et actionis progressu supra 8, 13. indicato jam secundam quam exspectare mortales jussi sunt, calamitatem instare significaretur. Verba non angeli exclamantis, quod distinctius fuisset notatum, sed vatis in narratione progredientis. Lectioni ἔρχεται praestat ante neutr. pl. ἔρχονται ob p. 45. dicta. Ceterum nota, prius οὐαί ut nomen fem. hic et 11, 14. esse junctum, quod fere i. q. ἀπορία *calamitas* est.

3) 9, 13—21. *Sexta tuba* seu *vae secundum* calamitatem affert immaniorem, homines non amplius vexantem et tardis infestantem cruciatibus, ut in visione proxima vidimus, sed diris abolentem caedibus. Quae poena internecina cum post magnam satis hominum impiorum partem occisam reliquos ut ad saniora redeant haud permoveat (v. 20. 21.), nihil jam reliquum nisi, ut cum *septima tuba* ultima ingruat poena plenum omnium impiorum interitum secum ferens (11, 15 sqq.). Sed in describenda hujus visionis poena novum et singulare agnoscas vatis fingendi genus, nec tamen, si ad origines suas revocetur, absonum et mirum. Cum enim partim calamitates e mundi compage turbata belluisque oriundae supra jam exhaustae essent, partim *homines* ad caedes illas infligendas plurimum sint idonei, vates jam *hostes diros* fingit impios gentiles agitatum venire, in hoc antiquorum prorsus prophetarum vestigiis insistens, qui populum impium cui poenam interitus minarentur justam per hostes ejus crudeles vexatum et occisum iri praedixere. Gentilibus vero Romanis poenam minaturus propheta quosnam tandem ubique terrarum Romani nominis hostes notos sibi invenire poterat praeter *Parthos*, quorum et potentia tum haud spernenda et bella atque dissidia cum Romanis agitata satis erant nobilia? Parthos igitur equites dum ab Euphrate in Romanorum agros ciet vates, equos ipsis tribuit solito fortiores et immaniores, qui et ipsi impios variis cruciatibus occisuri sint. Quae omnia, equorum praesertim singularium naturam,

hic stupenda et immania describere vati visum est; nam et terrarum situ remotiora erant de Parthis narrata et hic enarranda, ut rumor facile multa augere posset et ornare, et ipsum quo ad poenam impiis infligendam divinitus excitantur hostes, ante Messiae adventum proximum tempus singulare et unicum, ut omnia solito majora et truculentiora (sicut in visionibus jam prioribus) fingerentur jure postulabat.

V. 13. Sextus angelus classico canens simul quam poenam annunciat, diu praeparatam ipse efficere jubetur (v. 14.), ut utrumque et annunciandi et ratam faciendi poenarum partem quandam officium angelis his tribui (cf. p. 169.) hic apertissimum sit. Mandatum hoc angelo ita datur ut vates vocem quandam (*μίαν* v. ad 5, 5.) a quatuor altaris aurei ante thronum divinum positi (cf. 6, 9. 8, 3. 16, 7. 14, 18.) apicibus ad se perferri audiat. Qua quidem descriptione vox *divina* ita innuitur, ut ob decorum locus tantum unde vox prodierit satis dilucide nominetur, cui similem vocis divinae decore notandae rationem supra 6, 6. animadvertimus. Quod autem vox haec *a quatuor* altaris *apicibus* ad vatem perfertur, sonum exprimit validum omnia penetrantem; frequenter enim in libro hoc sonus dei, Messiae, angelorum, ut decet, altissimus celebratur. *κέρατα* קְרָנוֹת *cornua* ornamenta sunt angulis arae quatuor imposita, ob figuram *eminentem* (ut eminens quodvis *cornu* dici potest, velut *collis* Jes. 5, 1.) ita dicta, cf. Exod. 27, 2. Amos 3, 14; turricularum quadratarum formam ea retulisse Maimon. de aedif. templ. 2, 7. 8. tradit. Ceterum *ἐκ* scriptor hic pro *ἀπό* posuit (cf. simillimum 16, 7.), cum Hebraeis unum מִן ad utriusque praepositionis notionem adhibeatur: neque enim hoc vult scriptor: vocem *ex altari medio* prodiisse, quod ne cogitari quidem potest, sed e throno altari postposito ad vatem pervenisse. — V. 14. Fictio sic procedit. Equites Parthorum (v. ad v. 16.) non sueto hostium more in agros hostiles irruunt, sed *angelis* quibusdam (*quatuor* hic nominantur, quot fere sunt exercitus partes) seu daemonibus malis ducibus, daemonis instar Tartari locustas ducentis v. 11. homines infestandi et cruciandi gnarissimis. Qui daemones ut *mali* et hominibus *noxii* cogitentur, hic *vincti* sistuntur; haec enim pervulgata est temporum post exilium judai-

corum opinio, daemones malos quo minus hominibus libidine cruciandi et ad peccata adducendi impia noceant, a deo summo vinculis firmis constrictos teneri, aut in tartarum obscurissimum demissos (cf. Enoch. 10, 15-17. 14, 4. 18, 16. 21, 1-6. 53, 1-6. 54, 6-8. 68, 39. 40. 87, 3. 5. 94, 4. 4 Esr. p. 237. 39. 40. ed. Fabric. ubi nonnunquam *homines* quoque impii ita puniri dicuntur; 2 Petr. 2, 4. Jud. 6. Apoc. 20, 2—7. cf. Ilgen praefat. ad vers. Tob. germ. p. LXVI.), aut in loca terrae deserta relegatos, ut praeter hunc locum Tob. 8, 3. cf. Apoc. 18, 2. Matth. 12, 43. (nam in desertis genios malos versari superstitio Orientis est vetusta ex horrore deserti nota, v. intt. ad Jes. 13, 21. 22. 34, 14.). Sed ligati ita et coerciti daemones deo, impios v. c. punituro, jubente liberari et libidinem hominibus nocendi explere possunt; ut infra 20, 7. iterum vates finxit. Solvendi igitur sunt ab angelo vinculorum dudum pertaesi. Id vero hic gravissimum est indicatu, cur ad *Euphratem* (quem nomine הַנָּהָר הַגָּדוֹל פְּרָת ex Gen. 15, 18. derivato hic descripsit vates) daemones hi vincti et solvendi fingantur. Primum enim Euphratis desertum pro quovis alio sine ulla causa idonea a vate esse positum (id quod multis recentiorum temporum interpretibus probatum est), parum profecto verisimile est: neque enim temere talia ad ornatum addi possunt. Deinde vatem Euphratem hac ductum causa nominasse, quod is ob gentes olim Hebraeis perniciosissimas Judaeam ingressas, ut Chaldaeos, omnibus Judaeis invisus esset, non minus displicet: nam Judaeos infestatum has copias ab Euphrate non cieri satis apparet. Nec est quod ad has confugiamus argutias, cum scriptoris mens satis sit perspicua. *Parthos* enim cum ad gentiles quos poena cruciari par esset, Romanos infestandos vates accieat, unde tandem daemones nisi ad Euphratem considentes copias gentilibus immittere cogitari poterant? Parthos vero vatem hic innuisse indicia monstrant satis multa. Quem enim praeter hos populum Romano imperio inimicum eligeret vates nullum invenire potuit; Parthos autem equitatus, e quo totus exercitus tremendus constabat, innumeri et formidolosi mentio v. 16. ita insignit, ut quo modo significantius vates populum hunc (si nomen ipsum addere noluit) notare potuerit nescias. Accedit quod infra 16, 12. locus simillimus de Parthis ab Euphrate Romanum imperium hostili animo invadentibus agit; nec

non Enochi librum 54, 9—12. Parthos et memorare et *equis* potissimum distinguere notatu dignum. — V. 15. οἱ ἡτοιμασμένοι εἰς τὴν — noli interpretari: *parati quovis tempore*; frustra enim εἰς idem esse sumitur quod ἐν, et ipsa sententia haec jejuna foret; sed sensus hic est: parati in hanc horam, diem, mensem, annum i. e. in hoc ipsum temporis momentum, quo ad impios cruciandos eorum opera uti deo placuit, dudum parati et constituti tum deo omnia moderante tum ipsorum libidine nocendi occasionem praestolante. Idque vati monendum fuisse videtur, ut quomodo non in Tartaro sed insolito more ad Euphratem considere potuerint explicaretur. ἵνα facilius ad ἡτοιμασμένοι quam ad ἐλύθησαν refertur. *Tertia* hominum pars cur hic interficienda dicatur, ex iis patet quae ad 8, 6. monuimus: nam hic quoque homines satis multos, nec tamen omnes, plecti convenit. — V. 16. Nec mora: innumerus statim hos duces infaustos sequitur exercitus equestris; et quasi *milites* ab Euphrate per daemones illos duci per se pateat, numerus statim equitum indicatur stupendus. Quanti exercitus numerum cum vatem oculis assequi posse parum verisimile sit, summam ei a coelitum quodam indicatam esse fingitur, ut supra 7, 4.

V. 17. Ad equitatum hunc, qui pro tempore et consilio quo apparet singulari terribilis sit et immanis, describendum accedens vates animalia commixtis miris multis et ingentibus immaniora describi posse facilius quam homines, bene vidit; quare equites thoracibus tantum firmis fulgore oculos praestringentibus bene munitos describens in *equos* atrocia omnia et monstrosa cumulat, non vim tantum et ferociam eorum solito majorem depingens, sed diversi etiam animalis terribilis naturam et potestatem equino corpori adjungens, ut omnino et in hac equorum et in illa locustarum pictura simillima v. 7-10. vatis menti eandem imaginem obversatam fuisse videas. ἐν τῇ ὁράσει בְּחָזוֹן *in visione* videbar mihi talem imaginem adspicere; id quod raro addit auctor. Verba ab initio paullo impeditiora, cum ad ἵππους oratio postea demum verbis καὶ αἱ κεφαλαὶ etc. redeat et equitum descriptio statim prooemio annexa sit. Sunt equitibus thoraces varie *fulgentes*, ut et munitissimi sint et terrorem hostibus incutiant; sunt πύρινοι *ignei*, ignis instar ful-

gentes (πυῤῥός 6, 4. 12, 3. *colorem* magis igneum, rufum denotat); ὑακίνθινοι *hyacinthi* colore (i. e. rubro ad nigrum vergente cf. J. H. Voſs ad Virg. Ecl. 2, 18. 3, 63. 106.) *rutilantes*, et θειώδεις *sulphurei*, qua voce qui color significetur paullo obscurius est; est enim aut *fulminis* colorem et radios referentes, *micantes* (ut sulphur nonnunquam de fulmine obvium est, Pers. sat. 2, 25.), aut *sulphuris fulvi*, *ignei* colorem imitantes (cf. Epiphan. haer. 51. qui explicat per μήλινος *fulvus*, *luteus*); posterius explicitu tutius videtur; neque enim scriptor sulphur apposuit nisi ob *ignem* cognatum, uti saepius גָּפְרִית וָאֵשׁ conjunguntur Gen. 19, 24. Colores igitur rubros fulgentes et rutilantes congestos puta ad summum fulgorem notandum. Equorum capita *leonina* sunt tum ob jubam horridam promissam tum ob rictus immanitatem; ore enim *ignem*, *fumum* et *sulphur* evomunt. Auctum id ex rei ipsius natura; nam poetis saepius equus fervidus *ignem* et *fumum* ore et naribus spirare dicitur, cf. Ovid. Met. 7, 104. Virg. Geor. 2, 140. 3, 85. Sil. It. 6, 232. 17, 133. Claudian. 1, 5. In quo id tamen audax et singulare novavit vates v. 18, quod non ignem tantum ori equino tribuit, sed res istas igneas tres trium instar plagarum diversarum ex ore efflari et homines statim enecare fingit; mirum quoque, quod tria haec πῦρ, καπνὸς et θεῖον bis repetita ad fulgorem thoracum triplicem ab initio memoratum (nam fumus nigricante colore cogitari poterat) alludunt. — V. 19. Quo probabilius fiat equos hos *oribus* et *flatibus* suis tantam stragem edere potuisse, vates cuique equo *duplex* fuisse *caput et os* igni efflando aptum monstratum it. Jungit enim equino corpori *amphisbaenae* figuram miram et monstrosam. Genus hoc serpentum (unde amphisbaenae hic ὄφεις dicuntur) caudam gerere dicitur in capitis formam exeuntem venenumque ebullientem, ut *duplex* caput venenum fundere videatur cf. Plin. h. n. 8, 35. Lucan. 9, 179. Hesych. s. v. quos locos jam Wetst. apposite citavit. Similiter igitur si equi hi ore duplici, et capitis proprii et alterius capitis caudam finientis, ignem continuo efflant, quantum et terrorem et noxam miseris mortalibus incutiunt? Unde bene scriptor: *equorum enim potestas et ori* (proprio, unde hic in singulari στόματι, consulto plur. στομάτων v. 18. opposito) *et caudis eorum inest*. Textus Griesb. unice verus. ὄφεσιν pro οὐραῖς ὄφεων.

V. 20. 21. Denique ex causa supra indicata poenam hanc acerrimam impios non emendasse et ad saniorem mentem revocasse vati addendum erat. *οἱ λοιποὶ* (praeter tertiam illam partem v. 15. 18.) *οὐ μετενόησαν* (verbum in Apoc. saepius obvium cf. praeterea 2, 5. 16. 21. 22. 3, 3. 19. 9, 21. 16, 9. 11. in Johannis evangelio et epistolis prorsus deest) *ἐκ τῶν* (junctura hebraea לֹא שָׁבוּ מִן) *ἔργων τῶν χειρῶν αὐτῶν*, *quae manuum opera* aut *idola* sunt, Hebraeis saepius ob contemtum מַעֲשֵׂי יְדֵי אָדָם dicta Jes. 17, 8. 41, 29, quae interpretatio huic quidem versui maxime idonea repetitumque *μετενόησαν* v. 21. satius excusare videtur, aut in genere *facta omnia vitae* cf. 16, 11, quorum nunc quidem primum et potissimum idolorum cultus reprehenditur. Prior explicatio, speciosa ea, haud tamen in hoc scriptore satis simplex putanda est, ut altera praestare videatur; repetitum *μετενόησαν* insertorum plurium verborum copia excusat. *δαιμόνια* e seriori hebraismo dii sunt gentilium, Judaeis genii mali deo subjecti et invisi habiti cf. 1 Cor. 10, 20. 21. LXX. Deut. 32, 17. Idolorum cultus stulti descriptio ex locis V. T. quibus gentilium dii illuduntur, hausta Ps. 115, 5—8. praec. Dan. 5, 23. Inter cetera vitia graviora hic pro omnibus nominata eminent *φαρμακειά artes magicae* כְּשָׁפִים, quae deorum cultu superstitioso sustentatae vix dici potest quantum cum veterum Hebraeorum tempore (unde Moses magia idololatriae intime juncta suis interdixit, prophetaeque non satis eam reprehendere possunt Ex. 22, 18. Lev. 19, 26. Mich. 5, 11. Jes. 2, 6.) tum Apostolorum aetate ignaros et ignavos ad errores induxerint et peccata. Cui vitio in libro hoc inter atrocissima relato (18, 23. 21, 8. 22, 15.) affine est *πορνεία* (cf. Jes. 57, 3. Mal. 3, 5.), idolorum cultu et magicis artibus haud leviter sustentata, cf. ad 2, 14. dicta. Ceterum versibus his duobus non Judaeorum sed gentilium flagitia describi satis est in aprico, ut quomodo contrarium a quibusdam [1]) affirmari potuerit, mirum videatur. Vatem enim, prudentem illum et acutum temporum suo-

1) supra jam p. 176. notatis. Sed haec iis opinio hac sola ex causa inhaerere potuit, quod visionem hanc ad Romanorum exercitum ad Hierosolyma evertenda accedentem retulere; quae interpretatio satis apparet quam contraria sit vatis menti visionumque omnium argumento et nexui. — Visionem hanc praeter alios sinistre interpretantur Storr dissert. 1. in Apocal. et Corrodi Gesch. des Chiliasm. 2. p. 259.

rum judicem, vitia, quae Hebraeos ante exilium nonnunquam sectatos prophetae veteres vituperant, post exilium vero Judaeis omnibus maxime erant invisa et inaudita, Judaeis suae aetatis objicere potuisse quis credat?

3. Priusquam sextam hanc tubam septima excipiat, visio inseritur satis longa 10, 1—11, 13; hos enim versus omnes una visione cohaerere et operis totius monstrat partium distributio aequalis et loci hujus singuli indoles [1]). Complectitur haec visio tum quae ad actionis progressum aptum et decorum satis sunt gravia tum quae ultimae tubae seu ipsi vindictae extremae initio praemitterentur ipse argumenti libri totius ambitus postulabat. Erat enim hic ante septimae et ultimae tubae argumentum gravissimum paullo subsistendum, quo major sequentium exspectatio et spes injiceretur; ut solet vates vindictae paullatim sese manifestantis intervallis congrua quaedam interponere. Sed accessit aliud gravius, quae Hierosolymae urbis amatae fata futura sint temporibus his rerum humanarum ultimis, descriptio apta et necessaria. Hanc enim circa urbem quae versus Messiae tempora eventura sint, multa et varia jam tum speraverant vates priores, tum infausta tum fausta et laetiora. Inter calamitates enim Messiae adventui praevias haec gravissima et summa memoratur, *urbem sanctam* ab impiis gentilibus *captum et profanatum iri*; ductaque haec spes ex temporum illorum natura. Postquam enim urbs sancta a Chaldaeis capta et destructa erat, similis excidii exemplum triste temporum illorum quae saepius interitum reipublicae judaeae ultimum minabantur, angustiis excitatum satis obvium erat facileque metuendum; cf. Dan. 9, 25—27. 12, 11. Matth. 24, 15. (librum 4 Esr. qui calamitatem hanc non tangit, post urbem sanctam a Romanis captam scriptum videri supra p. 52. not. jam indicavi). Eisenmeng. Judenth. T. II. p. 741—43. Utque libri Danielis scripti tempore metus hic ab Antiocho Epiphane injectus summus erat, sic hujus libri aevo ob Romanos ad Hierosolymam obsidendam jam accedentes (cf. supra §. 7. p. 47—52.) non minor instabat. Ab altera vero parte haec quoque vatibus jam ante exilium viventibus

1) male versus hi ab interpretibus in duas pluresve visiones divelluntur. Desunt prorsus visionum diversarum notae et argumentum versuum omnium unum est.

inhaesit spes, Hierosolymae ob multa multorum incolarum peccata haud quidem parcituram esse dei vindicis poenam sed incolas tamen ejus leviori poena prius a deo terrae immissa territos impiis remotis mores emendaturos esse, ut ob sincerum qui denuo inter cives sic commonefactos orturus sit dei cultum justitiaeque et virtutum amorem redintegratum a poenis ultimis saevissimis urbi sanctae nihil metuendum sit cf. Joel c. 2. 3. 4. Jes. 1, 24—31. [1]). Eodemque modo hic quoque vates Hierosolymam, urbem ipsi sanctam et adamatam, ante vindictae ultimae irruentis initium, poenis divinis territam mores sincere emendaturam atque ita saluti suae consulturam esse augurатur. Cumque praeterea prophetas duos gravissimos Hierosolymis ante Messiae adventum sincera adhortatione homines ad dei cultum verum revocaturos esse communis temporum illorum ferret opinio (cf. infra ad 11, 3.), vates quaecunque ad futuram hanc urbis sanctae ante Messiam proxime affuturum sortem pertinent, ita nexu satis apto conjunxit, ut urbem mox a gentilibus capiendam et profanandam, tum gentilium contagio tum aliis sceleribus in peccata provolutam gravia, denique ob prophetas istos duos impie occisos poenam irae divinae satis atrocem, incolarumque impiorum jacturam passuram, reliquos vero incolas territos et monitos ad verum dei cultum se conversuros esse auguretur. Quae quidem satis apta hucque apprime pertinentia brevitate conspicua sic composuisse vatem facile apparet. Omniaque haec una visione complexurus angelum quendum fingit e coelitum consessu summum et eximium descendere utrique illi negotio perficiendo, et tubae ultimae argumento gravissimo praeparando, et urbis sanctae fatis illis vati annunciandis.

1) 10, 1—7. Primum igitur angelus ille coelo descendens libellumque de urbis sanctae sorte futura, cujus postea usus erit, manu tenens gravissimum, quod superest, tubae ultimae argumentum annunciat nec diu vindictam hanc cum tuba hac ultimam tardaturam esse pollicetur. V. 1. Quo graviora annunciat et praedicat ange-

1) pulchra haec est Judaeorum circa haec tempora opinio, poenam divinam a *populo dei*, optime scilicet voluntatem divinam edocto et instituto, justam et severam *ordiri*, ita ut impiis Judaeis punitis, piis munitis, ad ceteras gentes transeat cf. 1 Petr. 4, 17. Rom. 2, 9.

lus hic, eo augustiore forma comparere eum par est. *Descendit* igitur (quae enim in visione hac sequuntur, in *terra* cf. v. 2. 5. 8. sic fieri cogitanda sunt, ut vates e medio coelo deorsum terram versus contempletur) *fortis, nube amictus*, ob splendorem summum oculos ferientem nube tectus (cf. Hor. Od. 1, 2, 31). Totumque eum a capite summo ad talos usque splendore summo coruscare (cf. supra ad 1, 14—16. notata) variis imaginibus adumbratur: caput iris circumjecta ornat, qualem supra 4, 3. dei thronum illustrare vates finxerat; facies solis velut radiis fulget cf. 1, 16; pedesque columnae videntur igneae, qua imagine pedes pulchros corpus sustentantes columnis jam comparaverat Cant. 5, 15. cf. Amru ben Kelth. Moall. v. 14. — V. 2. Libellus quem manu tenet, haud dubie is est cujus deinceps v. 8—10. fit mentio: fata igitur urbi sanctae ad Messiae usque adventum imminentia complectens. Quem minorem esse bene dicit vates, argumentum scilicet libro illo magno omnia fata complectente 5, 1. brevius continentem. Qui libellus quod *apertus* dicitur, argumentum ejus vati mortalibusque per hunc jam patere posse significat, ut postea v. 8 sqq. factum iri videbimus. Quodque porro pedem dextrum mari, sinistrum terrae imponere dicitur, non fortitudinem tantum qua pollet immensam denotat, sed potentiam quoque qua *terrae toti* imperare ei a deo datum est; nunciat enim gravissima et de multis populis agetur v. 11. Cui locutioni explicandae quae exempla attulit Wetst., ut Homeri *οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει* Il. 4. 443. Virg. Aen. 4, 177. et Gittin fol. 68. "Asmodaeus vinculis solutus unum pedem in terra, alterum in coelo posuit", ea satis ab hoc quidem loco aliena esse patet. — V. 3. et 4. difficiliores sunt ob summam qua omnia concepta sunt brevitatem. Omnibus tamen rite ponderatis vix dubito quin sensus hic sit. Clamorem altum, quem angelus hic prodiens edit, septem tonitruum sonus sequitur; quae quid sonuerint, vati perscribere interdicitur. Sed si qui clamoris et sonitus hujus sensus saltem fuerit, lectori ut prorsus ignotum sit et maneat vates voluerit, cur tandem haec narret nemo divinaverit. Igitur res sic cogitanda videtur, *sensum* quidem infandi hujus sonitus et fragoris lectorem augurari posse, nec nisi *singula* fragoris verba mortalibus reticeri praestare. Quid autem quaeso aliud in hoc quidem loco, ubi de ingruente vin-

dicta ultima et saevissima agitur, fragor iste significat quam *minas horrendas* poenarumque praesagia infanda prorsus et humana lingua haud concipienda? Haec igitur quia hominum captum excedunt, ut nemo ea sustinere queat, vates silentio premere nec scripto mandare jubetur. Cui imagini dirae nescio an ullus reperiatur locus similis nostroque huic dilucidando inserviens praeter locum in Herm. Past. 1, 1, 3. in Fabric. cod. apocr. N. T. P. 3. p. 779. 80. quanquam is nimis dilutus et verbosus majestati loci Johannei concisae multum cedit. — Clamor angeli leonis *rugitum* refert (*μυκᾶσθαι* proprium est boum mugientium, *βρυχᾶσθαι* leonum; utrumque tamen haud raro confundi constat). *αἱ ἑπτὰ βρονταί* haud putem omnino tantum *tonitrua* notare *multiplicia:* neque enim articulus frustra prorsus positus est; sed *tonitrua omnia septem coelorum* innui videntur, ut totum coelum fragore inaudito et infando conclamasse putandum sit (septem enim coelos Judaeos seriores ex plurali qui videbatur שָׁמַיִם cf. gr. hebr. p. 328. et numero septenario sacro derivasse notum est, cf. Ascens. Jes. c. 7. 8. Fabric. c. ps. V. T. p. 546. Eisenmeng. Judaism. T. I. p. 460.) Quem tonitruum omnium concentum distincta quaedam, quanquam humanum excedentia captum, edidisse satis docet sequens *ἐλάλησαν* et *ἔμελλον γράφειν* [1]). Coelestis angeli cujusdam summi vox vatem ne audita perscribat dehortatura dicit *σφράγισον obsigna,* quod hic non proprio sensu dictum esse per se patet; notat: clausà tene, clandestina serva, ne legenda tradas (cf. ad 5, 1. et infra 22, 10. not.) — V. 5. Ut tamen quid significaturus tam dirus et angeli clamor et coeli totius fragor ortus sit dilucidius explicetur, angelus ille juramento quam fieri potest sanctissimo vindictae ultimae tempus jamjam instare affirmat. Angeli hujus jurantis imago ducta est ex Dan. 12, 7; manum dextram coelum versus tendit deum testem invocaturus cf. Gen. 14, 22. Ez. 20, 5. 6. Quod jusjurandum quo sanctius esse significetur, angelus verbosius deum invocat testem potentissimum v. 6. Affirmat hic *ὅτι χρόνος οὐκ ἔσται ἔτι tempus non amplius fore* i. e. non diutius rem trahi et tardari, *extemplo* ea quae sequuntur factum iri, *mox* cum tuba ultima vindictam instare extremam.

1) aliter haec e Rabbinis explicat Corrodi Gesch. des Chiliasm. 2. p. 261, sed quantum video non satis tuto apteque.

cf. Jes. 13, 22. Quod idem v. 7. dilucidius jam effertur. Quando septimus angelus tuba canturus sit (*ἐν ἡμέραις — καὶ ἐτελέσθη* constructione prorsus hebraea בִּימֵי קוֹל הַמַּלְאָךְ׃ כִּי יִתְקַע וְכָלָה cf. gr. hebr. §. 290.), completum iri mysterium divinum, sicut prophetis dudum laetus hic exitus annunciatus sit. Consilium hoc dei clandestinum, quod viri tantum pauci prudentiores perspexerint, quale sit hic cogitandum facile apparet; agitur enim hic de piis tandem post exantlatos tot labores beandis impiisque (id quod cum illo arctissime cohaeret) penitus puniendis et delendis. Quod igitur mox tuba septima postquam sonuit apertius ab ipsis coelicolis primum indicatur 11, 15—18, dein facto probatur, id hic proxime affuturum praedicatur. Talemque piorum et impiorum sortem ultimam omnes exspectaverant vates tum priores tum seriores. *εὐαγγελίζειν* notandum hic in *activo* cum *accus. pers.* poni, ut 14, 6, id quod singulare prorsus ex hebr. בִּשֵּׂר אֶת הָאִישׁ 2 Sam. 18, 19. *laeta virum audire fecit* explicandum; alias enim in N. T. *εὐαγγελίζεσθαι* in *med.* et ita tantum cum accus. pers. ponitur, ut *instituere aliquem* in doctrina evangelii denotet Act. 8, 25. 16, 10. Luc. 3, 18. Gal. 1, 9.

2) 10, 8—10. Jam vero vati ad alterum, cujus causa angelus hic dimissus est, gravius etiam pro rei dignitate, deveniendum eque libro illo quem tenens angelus conspicuus factus est, urbis sanctae sors enucleanda est. Sed hic nova panditur fingendi ratio. Quae enim libello huic insunt, ea non sicut in libro illo majori 5, 1. fit, visionibus pluribus singulis monstranda praebentur (id quod visionum totius libri nexum nimis turbasset), sed *enarrantur* brevius tantum ut eventura sunt. Igitur libellus ille non evolvitur legiturve, sed totus vati devorandus traditur, quo penitius et celerius argumentum ejus tum laetum tum infaustum degustet (v. 8—10.); et postquam ita rerum urbis sanctae futurarum sensu et gustu bene imbutus est, res hae dilucidius ipsi monstrantur et maximam partem enarrantur 10, 11-11, 13. Hic certe unice verus fictionis quam vates hic concepit, progressus cogitari potest. — V. 8. 9. Vox illa coelestis prius audita v. 4, quae cujusnam sit, vates remotius hic a coelo divino distans, percipere non potuisse apte cogitatur, jam vatem libellum ab angelo illo traditum devorare jubet.

Quae satis dura, si imaginem haud agnoscas, locutio sic orta est. Doctrinam vel rem discendam *cibo* comparare non adeo infrequens poetis figmentum. Ut enim cibus a nutrice datus imbibitur, devoratur, in succum sanguinemque vertitur, sic doctrinam praeceptor propinat, discipulus imbibit, gustat, devorat, inque suum totam vertit succum sanguinemque. Nota satis sunt Latinorum *propinare*, *imbibere*, *devorare*, *deglutire* de rebus mente percipiendis. Jam vero quod alias intra *imaginum* et *comparationum* fines subsistit, id quidem prophetae in visionibus narrandis *vere ita fieri* fingunt fictumque facile lectores intellecturos sibique condonaturos sperant. Itaque quam imaginem jam Jer. 15, 16. Ezech. 2, 8 sqq. 3, 1 sqq. praeiverant, eandem vates hic exprimit (cf. etiam praec. 4Esr. 14, 38—40, quanquam venustas ibi fictionis magis etiam desideratur) figmento satis apto. Devoratur enim libellus, quo facilius argumenti ejus partim infausti partim fausti sensum et gustum vates delibet. Cum enim urbem sanctam partim captum et profanatum iri, partim poena divina monitam denique ad saniora deique cultum verum redituram atque ita salutem nacturam esse vati praedicendum sit (11, 1—13.), in quo ipso libelli hujus argumentum constat, libellus imagine continuata et *amara* et mellis instar *dulcia* continere dici potest; quare vates libellum partim dulcem saporem (inter labia hoc fieri apte ad rem ipsam fingitur, idque jam Ezech. 3, 3. expresserat), partim comestum amarum trahere fingit [1]). Cf. Schnurr. dissertt. p. 159. Gesenius carm. sam. p. 82.

3) 10, 11—11, 13. Jamque vates libelli argumentum [2]) mortalibus exponere jubetur. Cumque Hieroso-

1) ceterum male v. 11. ab interpretibus cum v. 8-10. jungi a 11, 1—13. avulsum, facile apparet. Neque enim id aut versuum omnium sensus patitur aut ipsa transeundi formula.

2) contraria est praeter alios Storrii (in comment. theol. ed. a Velth. Rup. et Kuin. T. 4. p. 454.) sententia, qui βιβλιαρίδιον hoc partem et ultimam quidem βιβλίου a Messia solvendi 5, 1. esse putat, ut omnia deinceps ad 22, 5. usque secutura contineat. Sed illa de libro illo reserando fictio jam ob tubarum fictionem prorsus a vati rejecta est, eratque hoc βιβλιαρίδιον, si hunc sensum haberet, statim post septimum sigillum reseratum 7, 1. promendum. Omnino vates in hac visione inserta se ad librum illum 5, 1. respicere nullis innuit signis.

lymae expugnandae gentium plurium copiae intersint variique populi urbem occupatam profanaturi sint (cf. 11, 2. 9.), et duces non tantum exercituum regum nomine et auctoritate pollentes (cf. infra ad 17, 18. not. et Jes. 10, 8.) sed summus etiam omnium terrarum rex (v. 11, 7.) urbis sanctae fortunas moderaturi ejusque poenam divinam effecturi sint, ut cum hac quidem urbis sanctae sorte multarum gentium studia et sors juncta sint, vates v. 11. de multis gentibus et regibus prophetari jubetur; ut simillima ratione Jeremiam de Hierosolymae eversione dicturum Jehova se *gentibus prophetam* constituisse dicit (נָבִיא לַגּוֹיִם נְתַתִּיךָ Jer. 1, 5. 15.). *λέγει* nempe angelus ille qui libellum, cujus argumentum ipse probe edoctus est, attulit cf. v. 9. *πάλιν denuo*, quia supra jam de rebus futuris multa effatus erat vates. *πολλοῖς* autem ad *λαοῖς* simul et cetera nomina referendum est.

V. 1. 2. Quod primum de sorte urbis sanctae (Matt. 4, 5.) futura docendum erat, gentiles scilicet eam mox capiendam haud quidem deleturos, sed templo excepto occupaturos tamen esse et profanaturos, id vates futurum non praedicit tantum (ut cetera circa urbem sanctam hic memorata brevitatis studio enarrare satis habet), sed symbolo etiam apto praeparat et demonstrat. Virgam enim mensoris, qua interius cum sanctis qui ibi deum colant templum metiatur, exterius haud mensurandum gentilium qui mox urbem sanctam per tempus satis longum occupaturi et profanaturi sint, lubidini committat, ab angelo sibi datam vates fingit. Cui duplicis rei imagini hic haud dubie subest sensus. Quod mandato curaque divina demetiendum et linea circumscribendum traditur, id dei tutela ita munitum et quasi sancitum cogitandum est, ut inimica lubidine audaci invadi et transiliri nequeat. Hostibus igitur impiis et gentilibus urbs sancta e divino jussu ita tantum occupanda et profananda committitur, ut non totam profanent, templo saltem sanctissimo ubi deo preces tuto fundant pii, inviolato superstite. Et si forte exterius templum hostium lubido invadat (ut constat Imperatores Graecos et Romanos templi visendi cupidine saepissime flagrasse), at adytum saltem gentilibus haud profanatum piorumque dei cultorum refugium sanctum maneat (ut Judaeos satis scimus

Imperatores generis illius ab adyto templi adeundo collustrandoque sedulo arcuisse cf. Joseph. arch. 14, 4, 4. b. j. 1, 7, 6.). In qua fictione vatem agnoscas templi hierosolymitani sanctitate motum piorumque dei cultorum saluti bene cupientem, malum quod urbi sanctae, non destruendae sed occupandae tamen et profanandae, instabat inevitabile sensu tenero quantum licuit mitigare et in melius interpretari. Ceterum ipsa haec de *metiendo* templi adyto imago hoc quidem sensu vati priva est, quanquam vates jam priores angelos locum e divino mandato finibus certis circumscribendum metientes finxerant ut Zach. 2, 6. cf. infra 21, 17. — *Calamus* seu baculus arundineus (cf. קְנֵה מִדָּה Ez. 40, 3.) vati tradita similis est *ῥάβδῳ, virgae*, ut haud dubie sensus fert, *mensoris* seu *decempedae*, qualem perticam simplici hac voce *ῥάβδος* notari posse praeter alia ex שֵׁבֶט Ps. 74, 2. (ubi LXX. etiam *ῥάβδος* habent) Jer. 10, 16. apparet [1]). Quae pertica a quo vati sit tradita haud definitur; nec tamen est quod angelum illum c. 10. memoratum perticam tradidisse putes, cum quae statim de rebus futuris sequantur Messiam potius (cf. *μάρτυσί μου* v. 3.) loqui monstrent; videturque vates quisnam perticam porrexerit, consulto omisisse, id quod in facti symbolici narratione fieri posse per se patet. De *λέγων hisce cum verbis* v. p. 44. not. maleque haud dubie a lectoribus hebraismi insciis verba *καὶ ὁ ἄγγελος εἱστήκει* inserta sunt, a Griesb. bene textu mota. *ἔγειραι surge, age* hic ut קוּם Gen. 13, 19. 19, 15. Mich. 6, 1. (LXX. tamen id vertunt *ἀνάστα*) ad actionem sequentem animum excitat. *Templum dei* quid hic notet e templi descriptione apparet. Cum enim templum secundum adyto seu templo proprio, atriisque duobus, interiori et exteriori (הֶחָצֵר הַפְּנִימִי et הַחִיצֹנִי Ezech. 40, 17. 19.) constitisse certum sit, adytum hic cum atrio interiori intelligendum esse patet; exterioris enim atrii, minoris semper sanctitatis habiti et ab Herode adaucti, spatium v. 2. gentilibus committendum sistitur. Et in atrio quidem interiori templo proprio

1) Contra Storr l. c. p. 463. *κάλαμος* h. l. proprium decempedae nomen ratus sensum hunc facit: decempedam baculi instar *lignei*, non aurei, ut 21, 15. Sed si infra 12, 15. lectio (ut omnium maxime probabile) *εἶχε μέτρον κάλαμον χρυσοῦν* vera est, *κάλαμον* ibi non decempedam notare apparet.

intime nexo, ut utrumque etiam *templi* nomine complecti liceat, et *altare* positum erat aheneum sacrificiis offerendis (Luc. 1, 11. 2 Chron. 4, 1.) et sacerdotes fere atque preces pias fundentes (2 Chron. 23, 5.) morari solebant; unde facile apparet, cur verba *καὶ τὸ θυσιαστήριον καὶ τοὺς προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ* (*ναῷ*) adjecta sint. Cultorum tamen dei, quos ex auctoris mente et Judaeos et Christianos pios cogitare fas est [1]), mentio hoc potissimum e fine injecta est, ut deum et sanctuarium et pios lubenter ibi versantes eoque confugientes cura sua provida amplecti nec inter turbas secuturas negligere notetur. — V. 2. Quid sit *atrium exterius ejicere* sequenti *non metiri* satis explicatur: nam si mensura lineaque divina atrium non circumscribitur, a deo id neglectum, projectum et e rerum sanctarum societate rejectum cogitandum est, sicut *ἐκβάλλειν* est *rejicere, contemnere* Luc. 6, 22. et סוּר *rejectus, abjectus* Koh. 4, 14. Jes. 49, 21. (locus enim Dan. 8, 11. ubi הֻשְׁלַךְ potius est *dejicere*, destruere, ab hoc alienus est). Causaque atrii hujus rejecti statim adjuncta. Gentiles profani mox ubi urbem sanctam occupaverint, atrium quoque hoc invadent sanctitatemque ejus violabunt; terram enim et urbem praecipue israeliticam sanctiorem esse ceteris terris omnibus, ut gentiles vel vicinia, tactu gressuque frequenti superbo et violento (*πατεῖν*, רָמַס de gressu festuoso et strepente sanctitatem loci haud curantium Jes. 1, 12.) eam profanent, opinio est post vetustiores auctores (ut Amos 7, 17.) serioribus imprimis frequens cf. Ezech. 24, 21. Dan. 8, 13. 1 Macc. 3, 45. 4, 60. Luc. 21, 24; gentilium enim mores deorumque cultus cum impii et impuri partim revera essent partim Judaeis haberentur, quid mirum quod abominabili eorum contagio urbem inquinari putabatur? Quod autem gentiles urbem per *menses quadraginta duos* profanaturos dicit vates,

1) namque solos Christianos esse intelligendos non patet; nec nisi serius v. 13. incolae urbis omnes Christianorum more deum colunt. Nec ut vates *christianos* tantum pios Hierosolymis servatum iri docere voluisse videatur, *templum* dei hic christianorum ut verorum dei sacerdotum, atrium vero exterius judaismi symbolum haberi potest, ut alios inter Bleekio l. c. p. 266. visum. Nam sensus loci multo propior et clarior adest; causaque atrii remoti a vate indicata eum atrium proprium, neque ulla ratione judaismum sibi cogitasse evincit.

spatium tantum significat ut non brevissimi ita nec nimis longi temporis. Septem enim annorum spatium cum Hebraeis jam vetustioribus spatii satis longi notatio sit vaga (Jud. 6, 1. 25. 12, 9. 2 Sam. 24, 13. Ezech. 39, 9. cf. septem menses ib. v. 12. 14.), seriores quidem post exilium Judaei spatium paullo minus expressuri numerum hunc sacrum dividere consueverunt, ita ut in vita quoque vulgari tres anni cum semestri *annorum aliquot* seu spatii temporis satis longi nec tamen nimii notatio esset vaga; probaturque id praeter loca e Rabb. apud Wetst. congesta locis praecipue Luc. 4, 25. Jac. 5, 17. quibus Elias pluviam per tres et dimidium annos cohibuisse fertur quanquam vetus traditio 1 Reg. 17. 18. neque hos annos neque ullam temporis notam ad posteros propagaverat. Visionum vero hujus aetatis fictores aliud insuper hic novavere congruum ipsis visum. Ut enim temporis hanc notam tum sublimius et insolitius atque grata cum varietate efferant, tum ne quis incurius proprio sensu intelligendam esse judicet caveant, trium et dimidii annorum spatium variis modis circumscribere solent, ut *tempus unum, duo et dimidium* Dan. 7, 25. 12, 7. (qui primus haec ita pronunciasse videtur) Apoc. 12, 14. *dies* 1260 11, 3. et 13, 5. et *menses* 42, ut hoc in versu factum [1]).

V. 3—13. Sequitur jam de duobus martyribus Messiae praeviis fatoque quod propter eos urbs sancta denique expertura est, narratio succincta. Qui duo martyres quinam sint intelligendi, ante omnia hic disquirendum venit. Quanquam enim nomina addere noluit vates, pictura tamen dilucida et ampla, quos innuerit, satis distincte lectoribus divinandum dedit, ita ut nomina arte

1) hunc quidem versuum duorum sensum solum verum esse, explicatio docet sollers et assidua. Quod enim Herderus putavit, annos tres et dimidium e Zelotarum Hierosolyma mox evertenda per tantum fere temporis spatium desolantium imagine ductos esse vatemque templum omnino destructum iri jamque novi coelestis mensuram iniri fingere, id satis alienum esse patet; nam, ut alia taceam, templum prorsus destructum iri (ἐδόθη non nisi ad αὐλὴν et αὐτὴν pertinet) et novi mensuram iniri vates non dicit, neque ἔθνη Zelotas signare possunt. Aliter Eichh. templum interius verum dei unius cultum in christiana religione mansurum, vestibulum autem templi et urbem jam moribus impiis profanatam (ut πατήσουσι pro *praeterito* dictum sit, quod fieri nequit) ceremonias jam abrogandas innuere putat; idque invito vatis sensu visionumque et versuum nexu sic statui jam supra p. 195. innui.

eadem illa sedula et poetica hic consulto omissa dicenda sint, qua vatem saepius praedicatis gravibus et satis distinctis nomina circumscribere saepius jam notatum est. Dicuntur autem duo isti martyres intra tempus illud, quo urbs sancta a gentilibus occupanda et profananda sit (v. 2. 3.) i. e. usque ad adventum fere Messiae vindicis (cf. v. 13-15. 13, 5. ibique notanda), in urbe hac ipsa, morum tum pravitate, e gentilium potissimum contagio orta, summa laborante (v. 7—10.) ad mores orationibus gravibus emendandos Messiaeque igitur adventui animos hominum praeparandos et instruendos ita prodituri esse, ut orationum et hortationum vim factorum mirorum et potestatis divinitus iis ad muneris prophetici gravitatem augendam datae summae specimina comitentur insignia (v. 5. 6.), donec tandem a gentilium principe occisi in coelum redeant (v. 11. 12.), spatio igitur illo annorum praeterlapso, adventuque Messiae, ut facile exinde appareat, proxime instante. Quae si omnia computamus, haud omnino dubitandum, quin vates *Eliam* prophetam aliumque ejus socium, velut Henochum, hic innuerit. Eliam enim aut solum aut alio propheta aeque claro comite ultimo tempore Messiae adventui praevio in terra iterum appariturum esse opinio est temporum illorum vulgatissima, quae quo e fonte orta paullatim latius proserpserit, et quomodo a vate in suos sit adhibita usus, paucis sic accipe. Eliam prophetam ad homines pravos edocendos in terram reversum Messiae proxime adventuro praeiturum esse, primus quantum scimus finxit Mal. 3, 23. 24. (4, 4.), ut in Malachia vel in aetatis saltem ejus ingenio et spe primum opinionis hujus fontem agnoscas. Quid enim aptius et suavius aut spe aut voto concipi poterat, quam deo vel Messiae justitia summa et poena strenua nulli sonti parcente adventuro prophetam gravem praecessurum esse, qui homines praeparet, instruat, hortetur, ut ne salute proxima sua sese privent culpa. Cumque circa Malachiae tempora seriora prophetae coaevi fere exstincti aut minoris aestumati essent, pristini vero dudum mortui plurima gauderent auctoritate, quid mirum quod e prophetis his pristinis Eliam gravissimum et factis singularibus celeberrimum e coelo, quo ascenderat (v. ad v. 12.), ad gravissimum hoc exsequendum munus propheticum in terram rediturum esse cuperent crederentque paullatim multi? Sicque haec apud Malachiam expressa

sunt, ut votum magis imaginemque quam dogma agnoscas. Paullatim tamen votum in spem opinionemque certam transiisse, ut vulgus Eliam Messiae proximi praenuncium viamque ei moribus emendandis pandentem vere adventurum esse putaret, ex Johannis baptistae historia Joh. 1, 21. 25. cl. Matth. 17, 10. Marc. 9, 11. 12. satis elucet cf. Eisenmeng. Judenth. T. 2. p. 696. 712. 714. Schabbath f. 118, 1. et impr. Sir. 48, 10. 11. ubi post ingentes Eliae laudes enumeratas v. 1—9. haec potissimum praedicatur, quod Messiae praevius hominum mores castos et probos restituturus sit. Moxque opinione ita pervulgata Eliae huic exsequendo officio comes quoque dari coepit, Moses ab aliis, Henoch vero, quantum nunc quidem assequor, a Judaeis magis extra Palaestinam versantibus quos Patres secuti sunt [1]). Videbantur enim paullatim alii quoque prophetae vetustissimi et gravissimi cum Elia certantes eidem muneri idonei esse, duoque praecones Messiae praevii junctis viribus rem melius agere. Et *Mosen* quidem cum Elia, cui inter omnes Israelis prophetas proximus videbatur, iterum in fine rerum appariturum esse satis mature jam ante Christi tempora a nonnullis ita credi coepit, ut Mosi mortuo simul eo honor tribuatur gravis quod primus vere mortuorum (nam de Elia diversa fuit traditio) in vitam rediturus sit cf. Debarim rabb. f. 255. 2. Tanchuma f. 42. 1. Targ. Hierosolym. in Pentat. Ex. 10—12. ap. Eisenmeng. Judenth. T. 2. p. 698. et Matth. 17, 3. (ubi cf. Lightf. Schöttg. et T. 2. p. 544.). Pauciores serius Henochum Eliae subjunxisse comitem videntur, quod et is serioribus propheta habitus est insignis exituque e vita singulari Gen. 5, 24 Eliae simillimus videbatur cf. Nicodemi evang. c. 25. in Fabricii cod. apocr. N. T. P. 1. p. 291. (cujus tamen scripti auctor sua simul ex Apocalypsi hausisse vel miscuisse mihi videtur). ibid. T. 3. p. 377. Atque sic quidem opinio haec de Elia solo vel Elia et Mose vel Elia et Henocho in fine rerum in terram redituris ad Patres antiquiores propagata (Justin. M. dial. c. Tryph. p. 226. Doroth. Tyr. de vit. proph. c. 18. ed. Fabr. p. 465. Tertull. de anim. c. 50. Hippolyt. de Antichr. p. 27. August. de civit. dei 20, 29. cf. Fabric. ll. cc.

1) Jeremiam etiam nonnullos huc traduxisse, ex Victor. Peta. comm. in Apoc. 11, 3. apparet.

Suicer. thes. p. 392. 430. (Corrodi) krit. Gesch. des Chiliasm. T. 2. p. 279. 434 sqq.) multum in rei christianae primordiis invaluit, et quanquam christianorum his de rebus opiniones et judicia satis mature jam ad hunc ipsum Apocalypseos locum applicata et efformata agnoscas (cf. ev. Nicod. cit. Andr. et Areth. comm. ad h. l. et hujus libri imitatio recentior spuriae originis, eodem *Apoc. Johanneae* titulo, in Birchii auctar. cod. apoc. Fabr. p. 248.), communis tamen haec ecclesiae antiquissimae traditio facillime ex hoc loco, quinam martyres duo a vate significati sint, erui potuisse vatemque suo tempori satis perspicue scripsisse monstrat. Hos autem duos vatem hoc capite innuere, indicia monstrant satis multa. Nam et opinio de his Messiae praeconibus ultimisque morum emendatoribus pervulgata erat isto tempore, ut vatem in visionum suarum nexu eam tangere coactum fuisse dicas; et locus qui de iis agat, hic idoneus est, et ipsa praedicata v. 5. 6. 12. descripta tam pulchre Eliam, e cujus historia fere desumta sunt, collineant, ut hunc non possis non agnoscere. Num vero alter Henoch an Moses intelligendus sit dubitari possit; et Henoch quidem de quo Patres (praeter Hilar. Pictav. in Matth. 17.) fere cogitant, ex v. 12. (ubi uterque in coelum adscendit, sicut jam prius utrique accidisse traditio ferebat) satis magnum habet praesidium; utrique enim hoc commune intercedit, quod vivi in coelum rapti iterum et in terram demitti possint et vitae redditi in coelum redire, ut omnino Eliam cum Henocho ob similem hanc sortem copulare e more est aevi illius (cf. inter alia Iren. adv. haer. 5, 5, 1). E Mosis quidem vita v. 6. insigne desumtum videmus; sed cum Serubabelis quoque et Josuae imago a vate ad duos hos diversos traducta sit v. 4, Mosen alterum illum vatem intellexisse exinde non satis certo concluditur. Nec tamen omnia haec de utroque narrata, prout hic enarrantur, vates jam obvia et trita inveniebat; quae enim de annorum trium et dimidii in urbe sancta commoratione martyrumque caede a gentilibus eorumque principe summo perpetrata v. 7, et fato imprimis urbis sanctae caedem hanc cruentam sequente v. 13. narrat, ea quidem hic nova ratione suum in finem composuisse videtur; in hoc tamen arbitrium haud prorsus secutus, quod prophetarum horum messiae praeviorum caedem ex Christi in terra occisi historiae exemplo totam fere de-

pingit [1]). — V. 3. Prophetae hi *martyres* Christi vocantur, quod fidem suam de Messia reverendo et doctrina, qua populum instruant, fida et perspicua profitentur et morte denique strenue obeunda comprobant v. 7—10. cf. ad 6, 9. Quid potissimum ut prophetae ad populum verba facientes sibi voluerint, adjecto *περιβεβλημένοι σάκκους* satis dilucide innuitur: saccum enim s. vestem horridam cilicinam (cf. ad 6, 12.) cum inter lugentium tristiumque copiam prophetae imprimis de populi pravitate lugentes moresque et habitum severiorem et ipsi servantes et ceteris inculcantes gerere soleant (Zach. 13, 4. Jes. 20, 2. et praec. Matth. 3, 4.), prophetae hi duo haud dubie populo in urbe sancta e gentilium contagio corrupto castigando et emendando missi cogitandi sunt. Quodque per 1260 dies munere suo fungi dicuntur, eos per totum fere quo urbs sancta in fine rerum a gentilibus occupata et profanata futura sit tempus, Hierosolymae ut videtur potissimum versantes, moribus emendandis animisque in Messiae adventum praeparandis invigilare innuit cf. ad v. 2. *δώσω καὶ προφητεύσουσιν committam iis ut loquantur*, meo nomine et auctoritate ut loquantur efficiam cf. p. 45. — V. 4. Utrumque prophetam ut junctis viribus idem agere officium a deo injunctum eodemque frui dei favore exprimatur, *oleae* et *lampades* binae nominantur, (laete igitur virentes grateque lucentes) coram deo stantes (deo igitur ministrantes ipsique

1) Expositis his satis apparet alias hujus loci explicationes a vero abhorrere. Ita non licet duos *incertos* martyres vel duos ut omnis coetus christiani Hierosolymitani symbola (v. commentat. Haenleinii de h. l. in ejus Ammoniique theolog. Journal. Vol. 3. p. 369.) hic intelligere; ipse enim vates et omni pictura et ipso ab initio statim articuli usu *τοῖς δυσὶ μάρτυσί μου* se duos certos lectoribusque notos vel facile divinandos innuere indicat. Quaeque de iis describuntur, nimia sunt quam quae in prophetas forsan vati coaevos cadant. Multoque etiam minus cum Herd. Eichh. aliisque credere licet, vatem hic Ananum et Jesum sacerdotes summos a Zelotis inter turbas Hierosolymae expugnatae praevias impie occisos (Joseph. b. j. 4, 6.) descripsisse. Nam, ut alia taceam, et intelligi prorsus nequit, quomodo vates Judaeos sacerdotes hic aut omnino aut ut Messiae ministros, servos v. 8. et aemulos describere queat, quod argumentum a vate christiano alienissimum; et temere vatem de re praeterita loqui sumitur. Sed huic explicationi falsae jam ante Bleekium l. c. plura bene opposuit Storr l. c. p. 464-472.

cari, ut עָמַד לִפְנֵי 1 Reg. 17, 1. Dan. 1, 4. ministri statum notat). Quid enim imago haec denotet nisi duos hos dei ministros ut deo caros ita laetae instar oleae vigentes splendoreque virtutum eximio insignes? Quam imaginem vates a Zacharia c. 4. sic mutuatus est, ut prophetas duos non oleas tantum binas nominet (ut Zacharias v. 12—14. Josuam et Serubabalem; ex v. 14. ducta hic verba ἐνώπιον τοῦ κυρίου τῆς γῆς ἑστῶσαι; nisi ἑστῶτες ad viros relatum, quanquam durius est, cum codd. paucis legendum), sed lampades etiam binas, quanquam Zacharias unam tantum lampadem olearum duarum ornatu cinctam depinxerat. Pulchreque satis imago haec a Josua sacerdote summo et Serubabele qui junctis viribus deique tutela muniti rempublicam judaicam instaurarunt et firmarunt, ad prophetas hos geminos similes traducta est [1]). — V. 5. Jam propius ad prophetas hos ita accedit vates describendos, ut cum Elias praecipuus sit, ex Eliae historia plura petat singularia et mira. Miracula iis divinitus finguntur tradita, quo gravius hortationum et minarum vis homines tangat, utque divinae cohortationi vis divina accedat. Ita quod primum igne ore omisso inimicos, si qui ipsos laedere velint, devorare et interficere dicuntur, ex traditione de Elia milites ipsum laesuros igne coelitus accito tribus vicibus trucidante 2 Reg. 1, 10—14. Luc. 9, 54. desumtum est. Quae narratio e quo ultimo fonte derivata sit curque igni coelesti hic ignis ex ore prophetarum ruens substitui potuerit si quaeritur, sic statuendum videtur. Sermonem gravem fervidum, animos mire percutientem *ignis* ardentis aestui et potestati aequiparare satis suetum est cf. 4 Esr. 13, 4. 10. et supra ad 1, 16. notata; unde facile eo usque audaciae vatibus progredi licet, ut scintillas ardentes ignemque ex irati et gravi sermone punientis ore efflari inimicosque perculsos perimere fingant, ut 4 Esr. l. c. Enoch 61, 4; certe hanc quidem ultimam fictionis originem eo securius statuere licet, quo dilucidius hanc interpretationem Sir. 48, 1—3. (Ἠλίας προφήτης ὡς πῦρ καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ ὡς λαμπὰς ἐκαίετο — ἐν λόγῳ κυρίου κατήγαγεν τρὶς πῦρ) indigitavit, et quo certius, haud

1) Durius haec interpretatur Corrodi krit. Gesch. des Chiliasm. T. 2. p. 280. ita, ut vates ad opinionem, Eliam et Henochum semper in *paradiso* coram deo versari, hic respexerit. Sed haec ad v. 3. 5. 6. non congruunt.

omnes tamen sermonis fervidi vi eos arcere potuisse, ex v. 7. apparet. Similemque imaginem in equis 9, 17. 18. vates delineaverat. Cui gravissimae imagini lubenter immoratur vates, sententiam maxima vi verbis repetitis eloquens; οὕτω δεῖ sic (hac ipsa ignis flamma devorante) ut interficiatur necesse est. Pro εἰ θέλῃ melius dictum fuisset ἐὰν θέλῃ vel εἰ θέλει, quod posterius Griesb. nescio an bene in edit. sec. receperit. — V. 6. Aliis quoque potestatis divinae signis et poenis verbis suis vim addere possunt, ut pluviam in agriculturae hominumque omnium noxam gravem diutius cohibere, id quod Eliae antiquitus poenae meritae hominibus irrogandae caussa commissum fertur 1 Reg. 17, 1. Sir. 48, 2. Jac. 5, 17. *Claudere* κλεῖσαι coelum dici potuit quod coelo foramina et fenestras pluviam emittentes antiquitas tribuit Gen. 7, 11; unde *clavim* pluviae seriores finxere, v. ad 1, 17. p. 103. De accusativo τὰς ἡμέρας, cui multi lectionem graece meliorem ἐν ἡμέραις substituerunt, v. p. 42. Porro Mosis instar (Exod. 7, 1 sqq.) aquas in sanguinem vertere (cf. supra 8, 8.) iis datum est omninoque si necessitas urserit verbis suis poenarum vim adjungere, omnes terrae hominum in noxam infligere (πατάσσειν הִכָּה ut πλήσσειν 8, 12.) plagas quibus Moses, Elias aliique olim prophetae gravissimi uti poterant. — V. 7. Sed finito temporis definiti v. 2. 3. spatio ubi satis diu officio suo functi erunt (τελεῖν τὴν μαρτυρίαν *testandi docendique officium perficere*, finire, tempore praescripto elapso satis docuisse), hunc orationum, hortationum, minarum, laborumque omnium fructum ferunt, ut ab hominibus impiis, quos non frustra tantum ad saniora revocare studuerunt sed hortationibus minisque exacerbarunt etiam et inimicos sibi fecerunt infestissimos (v. 8—10.), exosi et exagitati mortis denique dirae supplicio afficiantur. Quae quidem insontium caedes impia hic *belluae* immani ex orco emersurae i. e. Imperatori Neroni seu Antichristo tribuitur; nec alium aptius fingere licuit vati. Qui enim omnium quae proba habentur et divina inimicus est acerrimus et placari nescius, eumne non deceat prophetarum horum prorsus insignium totiusque terrae mirationem impiorumque ditiorum invidiam noventium (v. 9. 10.) hostem prodire? [1]) Cui quidem Antichristo (quem nisi

1) et si forte vates non ipsum Imperatorem eos oppugnatum venturum esse cogitavit (quod tamen quo minus putemus nil

Messias 19, 11-21. nemo vincat) resistere nequeunt prophetae duo, Christi instar in terra viventis egregia morte doctrinam quam profiteri non dubitarunt, nobilem confirmantes. Hunc igitur antichristum hic nomine τὸ θηρίον τὸ ἀναβαῖνον ἐκ τῆς ἀβύσσου significari satis est perspicuum; delibavit hic vates *belluae ex orco emergentis* et nomen et mores infra c. 13—19. uberius et perspicuo describendos, ut hic quidem locus per se solus intelligi prorsus nequeat, idque mirari desinamus, omnino vatem paullatim distinctius omnia exponere reputantes. Cumque infra 13, 1 sqq. bellua e θάλασσα prodiens delineetur, ἄβυσσος hic *mare* infinite profundum significare (ut LXX. saepius voce ἄβυσσος hebr. תהום exprimunt, Gen. 1, 2. 7, 11. Amos 7, 4. Job. 28, 14. 38, 16.) videri possit; sed de *Orco* esse intelligendum, docet locus 17, 8. ubi v. not. Maleque profecto interpretes belluam hanc aut angelum istum locustarum principem 9, 11. aut totum locustarum agmen 9, 1-11. esse sibi persuadent, quod quantum ab hujus loci sensu nexuque alienum sit, quantum a vatis mente totaque operis indole et distributione abhorreat, satis elucet. — V. 8. Nec morte hac satiatur dirum quo inimici prophetas martyres persequuntur odium: imo et cadavera justo diutius in platea urbis sanctae neglecta et risui ludibrioque habita jacere jubent monumentoque sepulcrali ne cum honore condantur vetant v. 8. 9. Quantum autem populi veteres sepulchri justi et decori honori monumentique sepulchralis ornatui tribuerint, quanta ignominia inhumatum habuerint affecerintque, satis est notum (cf. 1 Sam. 31, 9-13. Kohel. 6, 3. et intt. ad Jes. 14, 18. 22, 16. 53, 9.); quodque de Anano et Jesu, qui ignominiae causa justo diutius inhumati despectique omnium ludibrio Hierosolymis jacuerint, Joseph. b. j. 4, 5, 3. narrat, ad morem hunc illustrandum satis apposite laudari possit; at quod inde probatum eunt, vatem hic de Anano et Jesu loqui, minime

obstat, cf. ad 14, 20.), suprema tamen Imperatoris auctoritate caedes a ditioribus decreta sancienda erat. Satisque notatu dignum, Judaeos iis quae hic de prophetis duobus narrantur, similia admodum de Messia Josephi filio, quem Messiae Davidis praecurrere autumant, tradere (cf. Eisenmeng. Judenth. T. 2. p. 706. 10. 20. 47—19. ubi tamen diversa diversorum Rabbinorum commenta non bene distincta sunt). Hunc enim credunt ab Armillo (Antichristo) interfectum a deo perquam irato in vitam revocatum honorique summo redditum iri.

probare posse apparet. πτῶμα (singularem hunc Griesb. bene lectiori faciliori πτώματα v. 9. praetulit) נְבֵלָה Graecis imprimis serioribus de *cadavere* (πτῶμα νεκροῦ Eur. Phoen. 1496.) simpliciter dictum cf. Lobeck ad Phryn. p. 375. Cetera versus 8. verba Hierosolymae nomen circumscribunt. Hunc enim vati esse morem, ut vera nomina propria reticens e praedicatis gravibus, perspicuis remque ipsam de qua totus sermonis tenor agit, acute simul attingentibus lectori divinanda relinquat, idque ad poeseos hujus generis ornatum decorumque pertinere, ad v. 3. notatum est. Ita hic non nude Hierosolyma ponit, sed *urbem magnam* nominat, quae quidem *Aegyptus et Sodoma* vocetur i. e. urbs impia poenaque divina mox v. 13. secutura imprimis ob pios dei cultores graviter laesos (Gen. 18. 19. Exod. 1—15.) dignissima; talis enim terrae urbisque notam satis imaginem Sodoma et Aegyptus suppeditant (Ezech. 16, 49. 23, 8. Jer. 23, 14. Jes. 1, 9. 10. 2 Petr. 2, 6; Aegypti tamen nomen rarius hoc sensu in proverbium abiit); idque urbi sanctae nomen tribui potest πνευματικῶς *sensu sublimiori, ex prophetico spiritu* concepto nec nisi intelligentibus perspicuo (allegoricam enim interpretationem et nominum dandorum rationem πνευματικὴν esse constat cf. 1 Cor. 10, 3. 4.). Quo igitur alio sensu hic urbs alias sanctissima habita Sodoma dici potest nisi quod tum quidem temporis gentilium contagio inquinata cum aliis multis criminibus tum prophetis praesertim illis temerario nisu occisis poenam dei justam v. 13. meruit? Unde altera accedit denotatio apta: *ubi dominus quoque eorum cruci affixus est*, qua partim Hierosolyma distinctius etiam describitur, partim caedem illam ibi perpetratam non adeo mirandam esse innuitur, quippe qua in urbe Christus quoque (καὶ), cujus martyres hi et mores et fatum sequuntur, similiter trucidatus sit. Quod enim Christus Eliae Mosisque (αὐτῶν pro ἡμῶν unice verum) *dominus* dicitur ne miremur; hunc enim deo proximum et illi colunt moxque affuturum vindicem praedicant. — V. 9. Cadavera igitur si ita despecta in platea jacent, omnibus omnis populi ingeniique hominibus (ut erit urbs sancta futuro hoc tempore plurium populorum gentilium congerie procaci referta 10, 11. 11, 2.) spectatulo sunt et ludibrio (βλέπουσιν ἐκ τῶν *adspiciunt e gentibus* quicunque velint cf. p. 41.) per *dies tres et dimidium* i. e.

diutius quam mortuum inhumatum relinqui fas est, imprimis si e terrarum istarum natura mortuos ne putrescant citius humandos esse reputemus; esse tamen hunc numerum simul rotundum supra ad v. 2. jam indicatum est. Posteaque si cadavera putredine absumta removenda sunt, odio nefando perciti ne in monumentum quidem sepulcrale (μνῆμα, cenotaphium, בַּיִת vel קֶבֶר, μνημεῖον Matth. 27. 60.) ea condi patiuntur, sed humi prostrata in loco ignobili absumenda relinquunt, qua major ignominia cogitari nequit; cf. 2 Chron. 28, 27. 1 Reg. 13, 22. Jes. 14, 18. 19. — V. 10. Dumque sic per hos ignominiae summae dies ludibria habentur cadavera, impii homines maximam, quam ex morte tam invisorum prophetarum, a quibus minas tantum poenasque peccatorum debitas (v. 5. 6; ad hos enim versus hic refertur vox ἐβασάνισαν, cf. historiam de Johanne baptista peremto Matt. 14, 1—11.) et experti sunt et porro timent, optata percipiunt, laetitiam donis bellariisque sibi invicem pauperibusque mittendis testantur, id quod apud Judaeos saltem seriores moris fuisse ex Esth. 9, 19. 23. Neh. 8, 10. 12. cf. Harmari Beobachtungen über den Orient T. 2. p. 1. apparet. *οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς* (cf. p. 156.) *homines* hic facile apparet *impios* tantum cujuscunque generis, gentiles potissimum (v. 7.), intelligi posse, quos num porro in Palaestina tantum, in qua prophetas hos morantes vates cogitare videtur, degentes, an plures ceteris in terris intelligere fas sit, haud anxie quaerendum; famam tamen prophetarum horum Palaestinae fines egressam cogitare videtur vates. — V. 11. Sed breve sane est hoc gaudium impiorum procax! Contraria eveniunt omnia. Quae enim vitae beatae praemia honesta et summa martyres hi dudum meruerunt, ea coram ipsis inimicis iis contingunt. Dei enim potentia vitae redditi divina voce jubente nube in coelum vehuntur; dumque ipsi ita dignis pro indigna quam ab impiis passi sunt morte praemiis ornantur, adversarii inopinato hoc rei stupendae aspectu et frustra se gavisos esse sentiunt et timorem concipiunt ingentem, poenam dei gravem (v. 13.) instare facile augurantes. Qui adspectus ut his ex causis impios terreat, martyres hi praemiis, quibus alias in coelo demum ornari pii cogitantur, jam in terra ipsis conspicientibus inimicis frui incipiunt. Quae ita fingere vati licuit cum ex Eliae, qui vivus nube in coelum rap-

tus ferebatur 2 Reg. 2, 1 sqq. historia, (cf. etiam miraculum mortui resuscitati ab Elisaei ossibus perpetratum 2 Reg. 13, 21.) tum ex Christi (v. 8.) post mortem vitae redditi exemplo. Anima homini cum primitus a deo inflata sit Gen. 2, 7, halitus vitalis apte hic *a deo* prodiens iis immitti dicitur (praestat εἰσῆλθεν ἐν αὐτοῖς cum cod. Alex. v. p. 43.), quo facto ipsos jam in pedes erectos (cf. LXX. 2 Reg. 13, 21.) cum stupore adspiciunt (hoc enim est θεωρεῖν; de ipsa re cf. etiam 1, 7.) inimici perterriti. — V. 12. Duplex hic lectio ἤκουσαν et ἤκουσα pari fere auctoritatum fide munita. Tertia persona ob sententiarum nexum non ad inimicos, sed ad martyres duos referenda esset. Sed prima, quae solitarie posita facile hic librariis falsa videri poterat, habet omnino quo se tueatur. Hucusque enim cum vates res has ut *futuras* (formis futuri vel, quod ad idem hic redit, praesentis) descripserit, jam in fine v. 11—13. iterum quasi ipse viderit in *praeterito* enarrat cf. 20, 7—10, cui fictioni bene congruum est, quod se hic vocem audisse tradit. *Nube* vehuntur quicunque in coelum vivi rapti dicuntur cf. 1, 7. 2 Reg. 2, 11. Act. 1, 9. Totaque in hac descriptione hoc praecipuum esse, ut inimicos aspectum hunc ipsis invitum et terribilem evitare non posse notetur, repetitum ἐθεώρησαν monstrat. — V. 13. Jamque e vestigio irae dei justae signum sequitur terrae motus gravis, qualis Christi quoque caedem secutus esse traditur Matth. 27, 51. cf. 28, 2, ut et hic vatem quaedam e Christi historia simili ad martyres hos traduxisse videas. Qua poena dira urbs tamen sancta non tota concussa corruit, sed *decima* tantum pars, interfectis septem hominum millibus (*ὀνόματα ἀνθρώπων nomina* i. e. personae nominibus distinctae numerataeque, cf. 3, 4.). Quos numeros quanquam vagos esse per se patet, tamen hoc consilio electos esse apparet ut partem tantum urbis incolarumque *satis parvam* noxas e poena divina sensisse innuant. *Decima* enim pars si cum quarta et tertia supra 6, 8. 8, 7 sqq. memorata comparatur, satis parva est; septemque incolarum millium numerus pro Hierosolymae magnae v. 8, quam centum fere millia hominum cepisse scimus, idem prorsus comprobat. Quaque de causa tam paucis noxa inferatur, sequentia statim docent verba. Neque enim urbs sancta delenda vati videbatur, sed poena tantum leviori admonenda, ut ceteri saltem impiis deletis

poenis divinis territi ad saniora redeant deique cultum sincero studio arripientes inter ultimas calamitates terrae instantes servari queant (cf. p. 188.). Unde omnia sic finit vates: reliqui ἔμφοβοι *perterriti* facti, peccatorum conscii deique reverentes (cf. Act. 24, 25.) ἔδωκαν δόξαν τῷ θεῷ *honorem, laudem deo dederunt* i. e. dei majestatem potentiamque sentientes submisse eum venerati sunt, a peccatis ad verum dei cultum (christianae, ut cogitari ex vatis mente licet, formae) conversi, ut homo incurius impiusque divinae majestatis optime conscius factus sincerrime peccata sua abhorret, quo sensu eadem locutio obvia est 14, 7. 16, 9. 1 Petr. 2, 12. cf. Luc. 17, 18. Act. 12, 23. Sic igitur urbem sanctam leviori hac poena monitam saluti suae inter calamitates proxime secuturas consulere, (ut revera infra Roma deleta 20, 9. haec servata sanctorumque sedes praecipua describitur) gentilium autem terras obstinato animo peccatis inhaerentes nullaque poena emendandas 9, 20. 21. 16, 9. exitium sibi ipsas parare videmus, ut omnia haec intime cohaerere agnoscas.

Versus 14. ob distributionem supra 8, 13. 9, 12. indicatam vati hic addendus fuit. Qui quanquam hic solitarie et mire positus videtur, tamen neque ante hanc visionem intermediam Vae secundo subnexam 10, 1—11, 13. poni poterat (nam nunc demum tertium Vae appropinquat), neque serius, velut ante 15, 1., inseri. Ipsum enim ultimum hoc Vae adest statim cum tuba ultima et vindictae finem et melioris Messiae regni initium afferente v. 15—19, ut licet vindictae hujus exsequendae descriptio longius trahatur (c. 14, 6. c. 15. 16.), tempus tamen ejus jam proxime instare jure dicatur. Nam melioris aevi initio, quod proxime v. 15—19. describi satis elucet, vindicta ultima tam arcte juncta est, ut illud sine hac cogitari nequeat; et dum quod *propere* adventurum v. 14. annunciatur, longius tamen priusquam omni ex parte explicetur protrahitur, attentio lectoris suaviter excitatur detineturque.

III. Exoptatum igitur tandem adest tempus, quo Messias proditurus et vindictae quicquid superest expleat et deleta omni impietate regnum inchoet coeleste. Ad quod ut satis digne praeparentur omnes,

1. 11, 15—19. una cum tuba ultima Messiae praeci-

V. 19. Rata fieri quae ita coelites de regni coelestis in terra instaurandi impiosque perdendi tempore proxime instante sibi mortalibusque congratulati erant, deus jam ipse signis duobus testatur gravibus et perspicuis. Quorum prius quidem ad id spectat quod supra etiam v. 15–18. priori et praecipuo loco laudatum est, *regni coelestis initium jam patens.* Quod imagine ex arca foederis mosaica (אֲרוֹן הָעֵדוּת Exod. 40, 2.) desumta eaque tum quidem temporis pervulgata exprimitur. Hanc enim arcam traditio post exilium nata a Jeremia sub petra quadam sacra nemini conspiciendam ita abditam fuisse ferebat, ut in fine demum rerum inter mortuorum in vitam reditum regnique coelestis auspicia proditura sit aut in ipsum coelum ejusque templum aut quod ad idem fere redit in montem Sinai sublata, ut deinceps inter homines aevi felicis mosaico similis et majoris emendatos et castos in perpetuum loco suo mansura sit; cf. Doroth. Tyr. de vit. prophet. v. 15. ed. Fabr. p. 451. et quae supra ad 2, 17. p. 119. notata sunt. Quid igitur regni coelestis jam inchoati certius signum pignusque cogitari poterat, quam arcae hujus jam a loco isto abdito sublatae inque templum dei coeleste translatae aspectus patens? Alterum vero illud, impiorum scilicet excidium justum certo instare, deus fragoribus, tonitribus, terrae motu cum his conjuncto grandineque gravi excitatis significat; cerniturque hic mira qua omnes visiones cohaerent ars insignis. Quae enim hujus generis irae divinae signa jam supra 8, 5. in poenarum gravium initio obvia erant figmento apto, eadem hic instantibus ultimis poenis graviora redeunt et infra 16, 18. in extremae plagae terrore gravissima qua fingi poterant vi repetita sistuntur; cf. p. 24. et ad 10, 3. 4.

2. Post haec ipsum Messiam adventantem exspectamus, qui regnum coeleste auspicaturus impios prius et hostes ei contrarios deleat, vindicta quae superest ultima plene sumenda. At hic non ipsum statim hunc Messiae in terram adventum victoriamque depingit vates, sed alia molitur prius delineatione satis longa praemittere. Nam per se placet haud dubie haec ultimi rerum fati describendi mora, quo non largior tantum rerum depingendarum fluat materies, sed lectorum etiam animus cunctando et ad alia rapiendo ad ultimum gravissimumque exitum

eo avidius cognoscendum excitetur. Erantque, quae Messiae adventui praemitterentur, depingenda satis gravia plurima et apta. Ita cum jam Messias in terram ipsam prodeat, congruum quoque, hostes ejus omni ex parte describi. Nec Messiam deinde decet terram totam diu ad evertendos omnes impios pervagari; quanto certe aptius is vindictae ultimae, quam ab hoc inde tempore semper moliri et perficere cogitatur, partes minores angelis mandat ut ipse denique solus adveniens hostes qui supersunt dirissimos uno ictu conterat deleatque! Itaque cum in hoc ultimae vindictae Messiaeque jam in regni sui mox certo condendi gratiam efficacis tempore describendo amplus vati quo exspatiaretur campus pateret, totam visionum hic depingendarum seriem in *tres* ordines praecipuos (cf. §. 2. 3.) ita dispescere ei visum est, ut haec quidem totius scriptionis pars, tempora scilicet omnibus prioribus graviora rerumque singularium feracissima delineans, uberrimo ambitu partiumque distributione ornata et aequali prae ceteris multum emineat. Simulque, quo propius finis rerumque omnium exitus instat, eo dilucidius paullatim indicatur, *quosnam* potissimum impios plecti fas sit. Qua ex ratione primo

A. 12, 1—14, 5. *ii* fusius describuntur, *qui utrinque dimicaturi sunt.* Nam cum Messias in terram adventurus est cum piorum agmine selecto, hostes quoque ejus describi par est, qui quanquam jam temporibus prioribus et inter calamitates potissimum, quas supra (v. impr. c. 6. 7, 14. 11, 7.) vates descripserat, christianis instantes, gravissimas Messiae christianorumque inimici exstiterint acerbissimi, tamen hoc demum loco Messiae apparituro apte opponuntur. Nam nunc demum post pugnae praeludia et exordia de summo ultimoque rerum discrimine ad internecionem dimicatur, et exercitu quasi auxiliisque utrinque instructis et summis ad certamen prodeuntibus ducibus. Quorum ducum partiumque quae sint vires, quae indoles, optime ita ex utrisque juxta se positis comparatisque elucet. Quae si bene reputas, longiorem hanc quae jam sequitur hostium Messiae descriptionem (c. 12. 13.) aptissime hoc ipso loco insertam esse fatearis. Haud quidem negandum, eam actionis totius progressum celerem interrumpere et tardare, sed qui ex hac quae videtur difficultate capita haec loco alieno posita

14 *

esse contendat [1]), is quidem vatis mentem scriptionisque totius indolem haud bene omni ex parte perspexisse videtur. Nam hoc demum loco hostes Messiae apparituro (c. 14, 1-5.) oppositi bene describuntur; soletque omnino vates paullatim demum omnia enucleatius describere insertaque multa vindictae progressum celerem paullum inhibentia haud vereri; imo in hoc mira cernitur fingendi ars, quod episodiis multis apto loco insertis argumentum totius libri grate protrahitur et amplificatur. Similiterque prorsus infra cum post Urbem eversam 16, 21. Messias jam tandem ipse in terra comparere queat, inseruntur tamen capita duo 17. 18. longiora, quibus quae Urbs quive rex Messiae inimicus intelligendus sit enucleatius exponatur. Utque omnino in visionum nexibus non temporis sed *argumenti* unitas spectari potest, sic quae in Apocalypseos visionum nexu inseruntur, ipsum temporum aeque ac argumenti progressum ad tempus tantum ita suspendunt et morantur, ut postea tamen actionem apte procedere ipsisque insertis visionibus et priores et sequentes dilucidiores fieri cognoscas.

1. Qui igitur primum depingendi erant Messiae hostes c. 12. 13, varii ii quidem cogitari poterant; sed cum Messiae uni et potentissimo non tam omnes omnino impios debellandos, quam impiorum *capita* tantum singula summa et potentissima opponere par videretur, hic *tres* tantum Messiae inimici prodeunt, impiorum quotquot cogitari possunt auctores et suasores acerrimi, ut sicut omnium piorum Messias solus est auctor fautorque summus, ita illi tres impii cujusvis fons et praesidium a nemine nisi ab ipso Messia debellari exstirparique queant. Aptis-

1) Supra jam p. 32 sq. innui, de Bleekii p. 278-296. opinione c. 12-22. serius male adjecta esse nec cum c. 4-11. cohaerere statuentis mihi haud esse persuasum. Difficultates enim motae, ob quas hypothesis ibi p. 282. 296. tam mira proponitur, penitius inspectae nullae sunt. Nam 1) ea quae c. 12. 13. narrantur tempore jam priori gesta cogitanda esse verum est; sed insertis his visionum temporisque progressum paullum inhiberi, non prorsus tolli apparet; rationesque satis multae obviae sunt, quae vatem ut haec hic apte insereret induxerunt. 2) Vae tertium cur non statim post 11, 14. sequatur, supra jam indicatum est. 3) c. 4-11. sub Nerone, c. 12-22. sub Vespasiano scripta esse frustra sumitur, v. infra ad 17, 10. 11. Refutatur omnino opinio haec ex solo loco 11, 7. cll. c. 13. 17.

simeque profecto tres hos vates sic constituit, ut primum, *Satanam*, alterum *Imperatorem* impium, tertium *Pseudoprophetam* faciat. Nam Imperatoris hujus, quem Neronem esse patet, imago ex ipso illo tempore ducta est, qui quod ipse in rebus ad religionem superstitionemque spectantibus efficere nequit, per pseudoprophetae operam assequitur; utriusque vero et potentia et Messiae imprimis piisque nocendi studium a Satana, omnium malorum auctore ultimo, originem ducit, ut is quidem et et primus et atrocissimus hostis putandus sit. Hi igitur tres omne efficiunt foventque malum, nomini christiano inimici gravissimi; sed omnibus tamen debellandis solus par est Messias, tum rex et propheta, ut homines illos duos summam potestatem et civilem et sacram complectentes, tum divinae naturae particeps; ut Satanam vincat terramque ab omni ita liberet impietate.

a) 12, 1—17. Ut omnium in terra malorum auctor omnisque boni osor perpetuus est *Satanas* ex seriorum Judaeorum opinione nota, ita *Messiae* imprimis ejusque asseclarum inimicus primus et acerrimus, ut hic quidem, si ad originem redimus, solus calamitates christianis plurimas movere hominesque in terra impios ad christianos infestandos instigare dici queat. Quem hostem nominis christiani dirum et implacabilem primitus jam rem christianam odisse nuncque imprimis Christi asseclas immani persequi indignatione ut describeret vates, picturam historicam hanc finxit. Satanas Messiam nondum partum, cujus tamen quae futura sit potentia ipsi inimica bene novit, odio persequens diro foeminae Messiam pariturae inhiat. Sed inanes hae puero nondum in lucem edito structae insidiae, puero dei cura Satanae voraci erepto et in coelum sublato; inane quod Satanas in coelo ad Messiam puerum istum persequendum molitur bellum internecinum; ipse enim Satanas a coelitibus faustis bonique et probi amicis devictus a coelo in terram dejicitur. Qua jactura ignominiaque exacerbatus primum in terra istam Messiae matrem persequitur, totum quem concepit furorem indignationemque diram in imbecillam hanc foeminam quae spes ipsius fefellit efflaturus; quae tamen cum et ipsa a deo ab ejus ira arceatur, jam ad Messiae asseclas, qui matris simul hujus una cum Messia quasi posteri sunt, tanto infestius persequendos et delendos progreditur, quo saepius spes ejus elusa indignationem ipsi movit

summam (v. 12. 17.). Qua quidem narratione ficta [1]) quid quaeso aliud explicare vates voluit, quam quomodo Satanas perpetuus ille boni probique osor et quasi Messiae nondum nato jam inimicus christianos nunc nefando persequi odio occasionesque quibus iis noceat circumspicere aptas (cf. 13, 2.) possit? Hoc certe per se patet unice hic tenendum esse ipseque vates ita visione hac praevia ad sequentes, priores imprimis duas c. 13, apte omnia instruit praeparatque.

V. 1. Quaeritur hic ante omnia, quaenam intelligenda sit *foemina* haec. Equidem de duabus tantum dubitavi rationibus. Possis enim eam matrem Jesu ipsam habere, quae splendorem, quo dignissima est, quanquam in vita non usa erat, summum hic ob Messiam filium induerit; quodque se ob Satanae iram in deserto per annos aliquot occuluisse v. 6. 14. traditur, e fuga Josephi in Aegyptum Matt. 2, 14. derivare possis. Sed Satanam credas tamen majus quid persecutum esse quam singulam istam foeminam, quae omnino tali picturae angustae imagini haud sufficere videtur. Itaque haud dubitandum quin vates *ecclesiam Israeliticam* intellexerit. Cum enim Hebraeis jam antiquioribus terram populumque *foeminae* imagine cogitare suetum sit (cf. gramm. hebr. p. 302 sqq.), vates hic Israelitarum populum, e quo Messias ortum ducit, eo facilius imagine invitante foeminam depingere poterat. Utque omnino vatem populum Israelitarum (i. e. totum spectatum, quanquam nonnullos suae aetatis non probaverit) sanctum habere plurimique facere saepius (cf. p. 28. 163. etc.) vidimus, ita hic imprimis splendidissimam ejus imaginem describit, quippe quae gens jam ob ipsum Messiam ex ea pronatum venerationi summae habenda sit gloriamque induerit summam. Quare

1) narratio haec igitur ejusdem fere est indolis, qualem plures serius a Judaeis fictae spirant, relatae eae ex parte in Talmude nomine *Agadoth*. Simileque omnino de Satana Mosen et Michaelem infestante commentum circa Christi tempora natum tangit Jud. ep. v. 9. cf. Eisenmeng. Judenth. I. p. 854. de vita et morte Mosis libri 3. cum observ. G. Gaulmini ed. J. A. Fabricius. Hambg. 1714. Fabric. cod. ps. V. T. p. 846. Pseudojonath. tharg. in Deut. 34, 6. Cum enim serius de Satana multisque angelis malis bonisque opinio Judaeos teneret, quidni iis mythologiam quasi jam conditam ad poesin transferre licuit? quidni probi bonique cum mali principii certamen fictionibus hujus generis mythologicis depingere?

nec miramur dei hic curam, qua ecclesiam Israeliticam tueatur, sedulam describi v. 6. 14—16; neque enim vatem interitum genti sanctae cupere, supra jam 11, 2. 13. probatum vidimus. Ipsamque hanc curae divinae descriptionem ecclesiam Israeliticam optime collineare; ad v. 6. 14. notabitur. Accedit, quod vates jam veteres populum seu ecclesiam foeminae imagine nonnunquam descripserant, ut Hos. 1. 2. Jes. 54, 5. Ez. 16. 23. [1]). Miras et stupendas foeminae hujus Satanaeque ei insidiantis imagines quas vates in coelo se vidisse fingit (cf. ad 13, 1.), nominat σημεῖα, אוֹתוֹת ostenta, monstra. Foeminam ut *splendore* totam *coruscantem* depingat, solem dicit ei circumjectum, lunam pedibus subjectam, caputque stellarum duodecim corona ornatum se conspexisse; igitur totam eam quasi sole circumjecto radiasse, imagine quae alibi legitur (ut 1, 16. 10, 1. Cant. 6, 10.), hic in rem ipsam versa; lunae accessisse splendorem minorem, ut inferius magis corpus eo luceret; capiti vero ornatum lucidiorem eodem fere modo impositum fuisse, quo 10, 1. iridem capiti circumjectam legimus. An forte in duodecim stellarum imagine vates de tribubus duodecim cogitarit, haud definio; sed eum totam versus imaginem ex Gen. 37, 9. duxisse non putem, cum hujus loci prorsus alia sit ratio (nec *duodecim* stellarum ibi mentio fit). — V. 2. Momentum quo puer proxime ex utero proditurus sit jam Satanas speculatus erat; unde foemina partus proximi doloribus laborans fingenda erat. βασανιζομένη τεκεῖν est *crucians se, enitens parere*, magnis doloribus partum tentans. — V. 3. Huic vero ex adverso stantem videmus Satanam puero nascendo inhiantem. Satanam intelligi, dilucidius paullatim v. 9. innuitur; hic *draco* tantum *magnus* nominatur. Dracones constat serpentum esse genus magnorum, deserta incolentium, ut antiquitus jam in eos multa horrenda et monstrosa cumulaverit superstitio cf. Bochart. hieroz. T. 2. p. 428—440. Quare cum Satanam serpentis imagine exhibere pervulgatus esset illo tempore mos (v. ad v. 9.

1) Quem intt. vulgo post Wetst. afferunt locum ex Jalk. Rub. f. 98, 2, ubi *uxor gravida* de qua Exod. 21, 22. agit, de populo Israelitico allegorice exponitur, is tamen alienus est nec quicquam ad uxoris graviditatem hic descriptam facit. Sed conferendus erat locus 4 Esr. 9, 38-10, 54. ubi Zion (ecclesia judaea) foeminae instar agit filiumque (Hierosolyma) parit.

20, 2.), facile draconis etiam et nomen et portenta in eum transferri poterant. *Igneique* is coloris describitur, quod et draco per se cutem cristasque monstrat rubras (cf. Boch. p. 432. 436.), et color sanguineus in Satanam imprimis cruentum (τὸν ἀνθρωποκτόνον ἀπ' ἀρχῆς Joh. 8, 44.) bene convenire videbatur cf. 6, 4. 17, 3. Sed hoc in hac bellua novavit vates, quod septem ipsi capita coronis totidem ornata decemque cornua tribuit; qui ornatus quid sibi velit facile apparet. Quo enim plura capita, quove plura cornua, potestatis summae indicia (cf. ad 5, 6.), eo potentius formidolosiusque est animal vel deus daemonque, ut Indos imprimis daemonibus ad potentiam significandam plurima tribuere capita armosque constat. Cumque supra 5, 6. Messias cornibus septem ornatus descriptus sit, ut adversarius ejus summus divinaeque naturae particeps similia potentiae late patentis signa ferat par est; ipsique jam Judaei Satanam draconem appellaverant septem capitibus horridum, Kidduschin fol. 29, 2; septemque spiritus sinistros divinis (v. p. 89. 144.) oppositos finxerant (testam. patr. p. 523. in cod. ps. V. T. Fabr.), quos Satanam comitari dicere licuit. Quod autem ipsi non *septem* tantum *capita* cornibus ornata, sed, quod cum hac imagine pugnare videtur, *cornua decem* vates tribuit, id hic obscurum prorsus infra sua collustrabitur luce. Quod enim vates descripturus est monstrum Romam cum Imperatoribus, Nerone potissimum, repraesentans ob causas satis graves dilucidasque septem capitibus decemque cornibus ornatum depingendum erat 13, 1. 17, 9. 12; utque omnino Nero in terra quasi alter Satanas describitur (13, 2.), sic imago quoque utriusque et Neronis et Satanae ut simillima sit convenire videtur. Quare ineptum est quaerere, quomodo septem capita cum cornibus decem in concordiam coire cogitarive possint. Et quanquam forsan cornuum serpenti tribuendorum imago ex *ceraste*, cujus tentacula duo eminentiora cornibus assimilabantur (cf. Bochart. hieroz. 2. p. 418. T. 3. p. 207. ed. Lips.) diadematumque ornatus e basilisci maculam in fronte candidam diadematis instar gerentis (Plin. h. n. 8, 33.) natura desumi poterant, vates tamen de ceraste et basilisco an vere cogitarit admodum dubito; diversus enim fictionis fons ei patuit. — V. 4. Avidissime puero nascendo inhians belloque paratus cruento draco caudam jam ultro citroque

movet; id quod ex draconis cauda hostes verberantis circaque rem inimicam necandam convolventis imagine ductum esse, ex Solin. polyh. c. 30. Val. Max. 1, 8. Stat. Theb. 5, 538. apparet. Satanas vero in coelo quid aliud cauda hac apprehendere sursumque detrahere dici potest quam *stellarum*, quas minora lumina vulgus putabat (v. ad 6, 13.), partem *tertiam* (i. e. satis magnam v. ad 8, 7.)? Quam picturam vates tamen non primus invenit, sed ex Dan. 8, 10. ubi simillimum reperitur commentum, hausisse videtur. Igitur ut alias deus iratus naturam movet turbatque (20, 11.), sic Satanas hic ipsi oppositus similem monstrat indignationis vim, Messiae quanta futura sit potestas sibi inimica, bene jam augurans [1]). Ceterum hic vates Satanam Messiae exitium maturum parantem eo aptius draconis imagine exhibuit, quo vulgatiores erant de serpentibus pueris recens natis aliquando maximam adepturis potentiam insidias struentibus traditiones veterum, ut Herculi, Cadmo, Neroni in ipsis incunabulis hydri necem intentasse feruntur; cf. Virg. Aen. 2, 210. Stat. Theb. 5, 506 sqq. Plin. h. n. 4, 14. Hygin. fab. 140. Suet. Ner. 6. — V. 5. Puerum (*υἱὸν ἄῤῥενα* בֵּן זָכָר Jer. 20, 14, cum בן et *υἱός* cll. sanscrito ejusdem etymi nomine *sutas* proprie *natum* significet) quam foemina jam enititur, Messiam esse, satis superque verbis ὃς *μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη omnium gentium pastor duxque futurus* ex Ps. 2, 9. desumtis (cf. supra ad 2, 27. 28. not.) significatur; tempus vero *futurum* hic ob puerum recens natum apte positum infra 19, 15. ubi Messias victor describitur, in praesens mutatur. Utque puer simulatque ex utero prodiit insidiis Satanae voracis eripiatur, in coelum subito aufertur ad dei thronum; hoc enim solo in loco nunc non tutus tantum servari potest, sed ut Messias dei *σύνθρονος* (cf. 3, 21. 5, 6.) dignus etiam est qui ibi considéat. Appositeque satis ex Jalk. Rub. f. 84. 2. hic Schöttg. locum laudavit („Rahel in Aegypto gravida filium peperit, quem conculcaverunt; Michael vero descendens cum aliis eum adduxit ad thronum gloriae") de po-

1) quare nimis anxie, ut solet, Rabbinorumque commentorum justo studiosius haec Corrodi Gesch. des Chiliasm. 2. p. 264. ita exposuit, ut cornua decem Sefirot sinistras, stellas autem *angelos* a Satana seductos dejectosque intelligat, quorum quidem hic inepta esset mentio.

pulo ab Aegyptiorum odio dei cura munito huic simillimum. — De v. 6. vide quae ad v. 13. 14. notabuntur. Ad narrationis certe seriem is non est necessarius. Nam quod proximum est, Satanam ad Messiam ipsi ereptum recuperandum bellum in coelo grave movisse sed ab angelis faustis Messiae opitulantibus victum coeloque esse dejectum, v. 7—12. narratur. Satanas ubi impium quid et injustum, velut hoc loco Messiae a throno dei rapiendi et vincendi conatum, molitur, angeli fausti eorumque princeps fere Michael ipsi occurrere certamenve aut verbis aut armis atrocibus committere in fictionum talium libris dicuntur; similiterque Michael Satanae Mosem infestanti resistit Jud. ep. v. 9. Hic enim Michael cum Gabriele angelorum princeps populo imprimis sancto auctoritate sua favere dicitur, cf. Dan. 10, 21. 12, 1. Eisenmeng. Judenth. I. p. 850. Cumque hic de summo rerum discrimine ob Messiam agatur, certant utrinque summis viribus omnibusque subsidiis. *τοῦ πολεμῆσαι* לְהִלָּחֵם *pugnandum iis erat* cf. supra p. 40. not. — V. 8. 9. Devictus Satanas cum angelis pedisequis coelo deturbatur, ut frequenter Judaei seriores de Satana ob vitium grave coelo moto loquuntur (lib. Bahir in Sohar Genes. f. 27, 107. praeter loca apud Eisenmeng. I. p. 831.). Praestare videtur lectio in singulari *οὐκ ἴσχυσε* (i. e. לֹא יָכֹל, haud satis valuit, haud praevaluit) et *αὐτῷ*, quae ob nexum sententiarum facile in plur. abire poterat. Nomina Satanae v. 9. plura copulantur tum ad vitia ejus gravia, ob quae coelo quoque deturbandus sit, designanda tum ut apertius quis sit draco magnus v. 3, enucleetur. *ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος serpens* hominibus ab origine inde mundi insidias molita, sicut Judaei ex interpretatione loci Gen. 3, 1. tum temporis vulgata Satanam הַנָּחָשׁ הַקַּדְמֹנִי nominaverant Tanchuma fol. 50, 2. Ante *σατανᾶς* male quidam inserunt *ὁ*, quod cum sequenti *ὁ πλανῶν* ita esset jungendum: *qui vulgo delator* (*διάβολος* cf. v. *κατήγωρ* v. 10.) *dicitur, et Satanas totam terram seducens*; sed in hac enunciationum consecutione *καὶ* incongrue novam enunciationem orditur; verbaque per se synonyma *διάβολος καὶ σατανᾶς* hic ad vim tantum augendam composita sunt, ut v. 10. 20, 2. — V. 10—12. Jamque coelites ob tantum Messiae hostem coelo motum gaudio exsultant eximio, nunc demum Messiae regno nil obstare nec quidquam a delatore piis timendum esse sibi gratulantes;

homines tamen in terra versantes ob mala a Satanâ per breve quod ipsi usque ad regnum Messiae in terra etiam stabiliendum firmum restet tempus iis struenda miseros deplorant. Quae omnia egregie sic ad miseram piorum in terra sortem levandam solatiumque iis praebendum composita sunt. Quanta enim redundat spes laeta, si in coelo saltem delatore excluso Messias regnat suorum patronus assiduus! imo si mox eum affore in terra ad omnem Satanae impiorumque potestatem evertendam certa est exspectatio! *Vox alta* a quibus coelitibus dimissa sit quanquam diserte, non indicatur, vatem tamen de *presbyteris* viginti quatuor (4, 4. 5, 5. 7, 13. 11, 16. 19, 4.) cogitasse inde apparet, quod ii christianorum in terra adhuc versantium e quorum coetu ipsi quoque egressi sunt, curam gerunt potissimam eosque *fratres* suos nominant. *ἄρτι ἐγένετο jam effecta est* salus, potestas regnumque dei Messiaeque imperium, in coelo nempe jam perfectum ratumque, ut mox in terra quoque appareat (v. 12.); id quod alia quoque hujus generis effata, ut 11, 15, de regno divino in coelo constituto inque terra proxime stabiliendo intelligenda esse monstrat. Satanas hic *accusator* dicitur, notione eadem fere qua *διάβολος*, sed nominis forma *κατήγωρ* (sic legendum cum cod. Alex. pro *κατήγορος*) prorsus rabbinica קטיגור (cf. Buxt. lex. p. 2009. et loca quam plurima apud Schöttg. ad h. l.), ex *κατήγορος* decurtata, ut *διάκων* ex *διάκονος*. Ceterum notum est, Judaeos seriores insontium, quae videntur, infortunia immerita ad causam revocaturos Satanam pios coram deo continuo accusare fingere Job. 1. 2. Zach. 3, 1. 2. 1 Chr. 21, 1. praeter rabbinica loca satis nota. *αὐτοὶ* v. 11. non ad angelos Michaelis v. 8. 9. referendum esse, sed ad christianos v. 10, sensus docet. Hoc enim sibi vult vates: christianos vere pios, maximam partem jam vita functos, calamitatibus quas Satanae accusatoris et delatoris inimicitia movebat, virtute sua praeceptis exemploque Christi firmata haud succubuisse; quae ipsa virtus et constantia Satanam ad Messiam ejus auctorem persequendum adduxisse putanda est. Quae tamen hic ob christianos magis tum viventes, qui ut pie defunctorum constantiam aemulentur instigantur, ita dicta esse patet. Satanam vicerunt *per sanguinem Christi*, rem christianam Christi morte, quae et ipsis exemplum erat, firmatam (cf. 1, 5. 5, 9. et pr. 7, 14.) et *doctrinam Christi*,

quam profiteri non cunctabantur (cf. de μαρτυρία ad 1, 2. p. 87. notata); imo quam ne vitae quidem parcentes, vitam lubenter profundentes (de ἄχρι θανάτου v. ad 2, 10.) fide summa tuebantur. Haud negandum, hic διά graece melius cum genitivo jungendum fuisse, cf. 4, 11. — V. 12. Igitur inter coelites, quorum sors laeta hic praedicatur, imprimis christianos etiam pie defunctos versari cogitandum est; his enim remoto Satana nihil jam in coelo metuendum. σκηνοῦντες verbum libro huic peculiare de iis qui securo in coelo commorantur; in coelo enim dei numen praesens. tugurii instar est ipsos in tuguriis minoribus habitantes tegentis et munientis, cf. ad 7, 15. p. 168. et simillime dilucidius dicta 13, 6. 21, 3. Sed deploranda est christianorum in terra (tota, insulis etiam et mari, unde καὶ θαλάσσῃ; christianos e gentilibus collectos solos temere intelligit Eichh.) adhuc versantium sors; quo major enim Satanae in terram dejecti (κατέβη idem fere quod ἐβλήθη v. 9. 10. 13, cf. ad 3, 12.) ob infamiam hanc indignatio est, (θυμός μέγας) quoque certius Messiam regnum suum in terra quoque mox conditurum firmaturumque esse auguratur (εἰδὼς ὅτι ὀλίγον καιρὸν ἔχει cf. v. 14. 10, 6. 11, 15—18. 13, 5.), eo immanius in pios saevit. — V. 13—17. Dehinc vati monstrandum erat, qua ratione optima Satanas totam denique indignationem suam in solos Christi asseclas converterit. Satanam igitur vates, quae ipsi proxima est temporeque et ipsa re prior, foeminam prius matrem Messiae, seu ecclesiam Judaeam, persequi, et cum ea ab ira ejus satis muniatur, in christianos cognatos Messiaeque propiores eo infestius irruere fingit. Quae fictio vatem suo tempore Christianos magis quam Judaeos calamitatum immeritarum onere gravissimo pressos esse sibi cogitasse monstrat; cetera haud singula premenda et ad vivum resecanda sunt, cum vatem tota fictione hac id tantum explicare voluisse pateat, qua ratione hoc tempore tantum calamitatum agmen in christianos *solos* saeviat. Sed mirum quendam, quo foemina illa Satanae furori dei cura eripiatur, modum finxit vatis ingenium. Primum enim v. 14. foemina illa draconis adventantis minas celeri in desertum fuga evitat, tanta celeritate utens, ut aquilae maximae (hoc enim est ὁ ἀετὸς ὁ μέγας הַגָּדֹל cf. gr. hebr. p. 575.) alis avolare (cf. Ex. 19, 4.) videatur. Idque non prorsus novum vatis commentum. Ut enim

antiquitus Hebraei in desertum fugientes Aegyptiorum odium evitarunt utque omnino desertum tutum praebet vexatis refugium (cf. 1 Sam. 23, 14. 15. 1 Reg. 17, 5. 6.), ita Israelitas pressos inter ultimas terrarum calamitates in desertum fugam meditaturos esse jam prius vates augurati erant cf. Eisenmeng. Judenth. T. 2. p. 707. Matth. 24, 16—20. Ibique (*τόπος αὐτῆς* cll. v. 6. est locus ipsi a deo destinatus, proprius) foemina cibis, ut Israelitae olim in deserto, sustentata atque ab insidiis Satanae (*ἀπὸ προςώπου* מִפְּנֵי Gen. 36, 6. ne Satanas eam videat, ei appropinquet) munita dicitur per *tempus*, *tempora dimidiumque tempus* i. e. per annos tres et dimidium, *tempore* ex oraculorum horum incertiora dicendi genera amantium indole pro *anno*, et plurali *καιροὶ* (cf. p. 40.) ex aramaeae linguae genio locutionisque ambiguitate quadam pro duali posito; quae loquendi ratio ex עִדָּן עִדָּנִין וּפְלַג עִדָּן Dan. 7, 25. 12, 7. desumta est. Quae temporis nota quanquam tempus tantum *satis longum* ex vatis mente notat (cf. ad 11, 2. p. 196.), notandum tamen, eundem prorsus annorum numerum supra 11, 2. 3. Hierosolymae profanandae tributum esse, ut illo aeque ac hoc loco vatem de ultimo rerum tempore Messiae adventui praevio cogitasse appareat. Sed ita haec si se habent, vatem quod nec ab eo exspectari potest, *temporum* in tota fictione parum exactam curam habuisse concedendum est. Nam post Messiae statim ortum bellumque coeleste ipsi infaustum transactum foeminam (i. e. ecclesiam judaeam) nec multo post christianos draco adoritur. Neque vatem bellum coeleste per plures forsan annos, qui inter Christi ortum calamitatesque ultimas intercessere, agitari cogitasse, ex v. 6. apparet, ubi mulier statim post partum a draconis insidiis in desertum se recepisse traditur; neque enim dubium quin ibi vates, quod v. 13. 14. enarrat, festinantius paullo jam descripserit; annorum numerus (cf. ad 11, 2.) idem est. Quis tamen hunc temporum ordinem contractum vati haud libenter largiatur? quae enim in historia dissita sunt quam maxime, ea in visionibus contrahere vatibus licet, nec quicquam mirum, quod Christum natum mox Christianorum coetus adultus vexatusque et Christi regnum sequuntur. Ceterum praesens *τρέφεται* (pro quo v. 6. *τρέφωσιν* in tertia pers. pl. act. cll. 13, 16. ex Aramaeorum more verba passiva lubenter evitantium cf. gr. hebr. p.

644. Zach. 3, 5. etc.) monstrat, vatem hoc ipsum quo Satanas a foemina vexanda prohibitus christianos infestet tempus praesens adesse putare. — V. 15. 16. Dum foeminam in desertum aufugere videt draco, assequendae ejus devorandaeque rabie ductus non *venenum* eructat, quod alias draconum serpentumque est bilem atram in homines fugientes evomentium, sed aquae ingentem copiam, quae totum desertum inundans foeminam submersam auferat suffocetque; at celeri terrae voragine aqua absorpta nihil foeminae nocet. Quae dira imago habet tamen quo excusari queat. Nam immania sint Satanae conamina res postulat ipsa; utque olim Aegyptii Israelitas in desertum aufugientes undis immergere et suffocando delere frustra conabantur (Exod. 14. 15. cf. Jer. 46, 8.), ita ex simili periculo foemina emergit; terrae autem repente ad peccatorum poenam dehiscentis non minor fama erat ex antiquitate inclyta (Num. 16, 31. Jes. 5, 13.). Adjectivum *ποταμοφόρητος fluvio submersus ablatusque* Graecis auctoribus rarius, nec tamen inauditum est. — V. 17. Id consilium frustra susceptum videns draco foeminam dimittit totam rabiem in Christianos efflaturus. Dicuntur hi *οἱ λοιποὶ τοῦ σπέρματος reliqua foeminae sololes*, cum post Messiam Judaeosque ereptos soli Christiani ex ecclesia judaea orti restent; ut enim ipse Christus ita Christiani ecclesiae hujus sololes dici haberique possunt. Hos tamen intelligendos esse dilucidius vati dicendum erat; unde adjicit: *qui dei praecepta servant Jesuque doctrinae professionem firmiter tuentur* (de *ἔχειν τὴν μαρτυρίαν* v. ad 6, 9. p. 155.); quae satis apta est Christianorum ex vatis mente descriptio cum legum mosaicarum studio alacriori et saniori fidem in Jesum Messiam firmam jungentium. Eadem redit 14, 12. [1]).

1) Multum varieque in visione hac difficiliori errarunt interpretes. Ita haud licet cum Eichh. foeminam ecclesiae judaeae, puerum ecclesiae christianae symbolum habere; omninoque totam hanc visionem apud Eichh. haud rite expositam esse facile patet. Aliter Bleek p. 276 sq. cll. Hartwig Apologie T. 2. p. 208. foeminam de ecclesia dei Christianos etiam nunc complectente, v. 17. autem de Christianis (extra ecclesiam?) *singulis* interpretatur. Sed haec interpretatio quomodo vatis mentem assequatur non intelligo. Temere enim v. 17. de singulis Christianis praeter ecclesiam, foeminaque de ecclesia christiana exponitur, quae quo tandem modo Messiam peperisse dici potuit? Difficultates p. 275. motae nullius sunt momenti.

b. 12, 18—13, 10. Quo facilius Satanas consilium de Christianis debellandis captum v. 17. exsequatur, foedus quasi jungit cum Romano imperio ejusque Imperatore potissimum Nerone. Huic totam suam potentiam odiumque acre mandat, qui loco ejus in christianos saeviat. Proditque igitur alter Christi Christianorumque inimicus gravissimus draconis referens potentiam formamque, nisi quod inter *homines* versatur cuique conspiciendus, ut Satanam inimicum occultum, hunc illo duce et auctore apertum dicas. Quae quidem fictio quid tandem aliud sibi vult, quam Romam Neronemque tam saevum et immanem pietatis christianorumque inimicum sistere, ut cum potentiae totius late per totam terram diffusae fastigium tum impietatem multiplicem atque odium quo in christianos flagret dirum obque potentiam illam maxime noxium ab ipso *Satana* accepisse putandus sit? Satanae foederi Nero quasi omnia debet, potentiam, animum elatum, dei sancti virtutisque contemtum, odium in pios implacabile. In ipsa autem ejus imagine delineanda vati duo potissimum spectanda erant. Nam primum monstrum describendum erat formam draconis fere totam referens, ut Neronem quasi vivum conspicuumque agnoscas Satanam; dein signa, quibus monstro hoc Romam Neronemque repraesentari innuatur, satis gravia adjungenda. *Belluae* igitur imaginem vates inducit congruam. Quod enim poetis jam antiquis haud insolitum est, terram imperiumve aliquod bestiae ibi commorantis signo notare (Ez. 29, 3. Ps. 74, 13. Jes. 27, 1. 4 Esr. 11—14. cf. etiam Enoch c. 84—87. ubi Israelitae animalium formam induunt Davidesque *aries* vocatur p. 118.), unde etiam animalia in numis sigillisque regnorum obvia sunt insignia; id in visionibus vates seriores ita ornatius adhibere consueverunt, ut sub *belluarum* variarum fortium imagine regna describant variae potentiae mugna; cf. Dan. c. 7—12. Et Danielis imprimis vestigiis insistens vates belluam depingit monstrosam, draconis formam referentem, animalium fortium, quibus Daniel regna magna descripserat, potentiam insigniaque sociantem (ut Romanum imperium totius terrarum orbis immane innuatur), signique quibus Romam Neronemque agnoscas, satis apertis instructam. Quanquam enim *Nero* solus est Imperator crudelis et immanis qui Satanae ope nunc Christianos infestat, is tamen cum Roma Urbe,

quae flagitiis omnibus odioque Christianorum injusto infamis omnisque impietatis sedes est (cf. c. 17. 18.) et Imperatoribus prioribus Romanis tam arcte cohaeret, ut bellua haec monstrosa, Neronem potissimum signans, utrorumque tamen, et Romae cum Imperatoribus et Neronis insignia ferat nec nisi serius ubi ad singulos puniendos pervenitur c. 16—19. omniaque uberius et dilucidius explicantur, Urbs a Nerone singulo dilucidius distinguatur. Belluam igitur *potentiam impietatemque Romanam*, et Urbis et Imperatorum, notare dicas, id quod 17, 3. confirmatur. Ipseque *trium*, quae depingenda erant, monstrorum Messiae inimicorum numerus sacer ut hic omnia ad Romam pertinentia una imagine comprehendantur postulasse videtur.

Bellua e *mari* ascendere dicitur, sicut jam Dan. 7, 3. belluas quatuor similes ex abysso maris, in quo monstra ejusmodi versari putantur, emergentes finxerat. Quare ad monstrum e mari emergens conspiciendum vates ad maris arenam (littus) 12, 18. accedit. [1]). Quae tamen sola interpretandi ratio hic non sufficit; cum enim infra v. 11. tertium monstrum e *terra* continente prodire dicatur, haud dubitandum, quin vates ad *Romam* transmarinam seu in Italia insula sitam hac voce sedulo alluserit. Haec bellua e terra remotius dissita prodit terris in quibus vates vivebat, noxam illatura gravem; qui vero infra v. 11. ultimo loco rei christianae inimicus prodit, is in ipsis illis quibus vates degebat terris asiaticis ortus putandus est. Uterque tamen hic inimicus inter homines in terra oriens ita Satanae coelesti bene opponitur; unde cur visionis prioris 12, 1. initium saltem in coelum translatum sit satis apparet. Simillime Romanum imperium aquilam e mari surgentem vocat 4 Esr. 11, 1. 13, 51 sqq. — V. 1. Bellua quod cornibus decem

1) Lectio ἐστάθη (in Vulg. Pesch. et codd. paucis) *draco constitit*, quod ad priorem visionem trahendum esset, seu utramque visionem conjungeret, improbanda videtur. Si enim vates draconem, ut belluae potentiam mandataque sua daret, mari adstitisse his verbis expressurus erat, dilucidius id ei erat dicendum; nec cur Satanae id fuerit faciendum apparet; is enim invisibili modo homines regit. Ceterum alias de hac *bellua* interpretationes, ut Herderi qui Simonem Gorionis filium, Heinrichsii qui Ephesi proconsulem innui putat, cum temerariae sint, hic tacere praestat.

capitibusque septem ornata prodit, non ad potentiam tantum ejus summam notandam facit, ut Dan 7, 7. sane simillime belluae decem cornuum robur tribuit; neque hoc tantum sibi vult, belluam hanc Satanae 12, 3. et potentiam (cf. v. 2.) et formam tremendam retulisse; sed ille ipse mirus et incongruus et cornuum et capitum numerus e Romae simul situ Romanique imperii conditione ita desumtus est, ut ex his demum pateat et infra dilucidius explicetur. Nam cornua decem, ex belluae Dan. 7, 7. 20. 24. imagine desumta (sicut Judaei ea ad Romam transferunt. Eisenmeng. Judenth. 1. p. 796.) potentiam Romae decem simul provinciarum praefectis regiis fundatam munitamque significant, ut Roma *toti* terrarum orbi per praefectos terrarum regia potestate ornatos imperare cogitanda sit, id quod 17, 12. 18. explicatur; capita autem septem Romam partim *septicollem* (in septem montibus sitam, ut montium fastigia רָאשֵׁי הֶהָרִים Gen. 8, 5. dicuntur; cf. *septem urbs alta jugis* Prop. el. 3, 10. Virg. Georg. 2, 534. Aen. 6, 774.) partim a *septem* jam *Imperatoribus* (seu capitibus, principibus) rectam innuunt; utrumque quo apertius Roma significaretur, quanquam vates infra 17, 9. conjunxit, hic tamen de septem tantum Romam qui ornarunt Imperatoribus vates cogitasse videtur. Nam et omnino hic de Imperatoribus magis, Nerone potissimum, potentiaque Romana quam de Urbe agitur, et quae de capitibus v. 1. 3. tanguntur, ad Imperatores solos spectant. Ceterum quomodo cum septem capitibus cornua decem congruant non esse quaerendum et investigandum, per se patet. Utrique porro aliud adjungitur insigne; et cornibus quidem decem istis totidem coronae impositae sunt, quod *praefectos regios* 17, 12. 18. vel dilucidius innuit; capitibus autem *nomina* (praestat singularis ὄνομα, qui facile falsus videri poterat) *impia*. Quod nomen frontali Imperatorum Romanorum infixum quid sibi velit facile patet. Ut enim Messias nomen divinum gerit (cf. ad 3, 12. p. 130.), ita Nero (seu Imperatores) nomen impium, quo deo maledicat (βλασφημεῖν, de verbis temerariis et conviciis dei sanctitatem e Judaeorum mente laedentibus) seque Satanae ministrum insigniat (cf. p. 162.) cl. 17, 3. Ad quam imaginem ita delapsus videtur vates. Imperatores constat in provinciis praesertim numinum tutelarium, propitiorum etc. nomen et auctoritatem aut

adulatione abjecta recepisse aut ipsos sibi arrogâsse, ut tum quidem temporis quot Imperatores et praefecti cultum divinum affectantes tot dii in provinciis adesse viderentur, cf. 1 Cor. 8, 4. 5; Suet. Tib. 48. Calig. 14. En. 26, 2. 79, 9. Seleucidas notum se *deos* vocasse; ipsa Roma in provincia *Deae* nomine colebatur Martial. ep. 12, 8. Tac. Ann. 4, 26. cf. Zornii opusc. sacr. T. 2. p. 102. Cumque insanam hanc divinae auctoritatis affectationem Caligula imprimis et qui huc proxime pertinet, Nero monstrarent, Judaei quibus talis adulatio peccatum in unum deum verum gravissimum afferre videbatur, acriter indignati sunt; cf. Joseph. arch. 18, 8. 9. b. j. 2, 9, 2. 3. a qua indignatione nec vates noster alienus videri potest, qui cum forsan statuas Imperatorum nomen divinum mentientes coram conspexisset (ut satis probatur ex v. 14. 15.), nomina ejusmodi dei sanctitati contraria capitibus (Imperatoribus) belluae hujus inscripta fingit; cf. v. 5. 6. 12–17. Ceterum jam patet, cur vates diademata, quae supra 12, 3. bene Satanae non cornibus sed capitibus tribuerat, hic cornibus imponat. Neque enim aliter fingere vati licuit, cum cornua hic praefectorum regiorum symbola sint atque utriusque et cornibus et capitibus insigne aliquod grave dare congruum videretur. — V. 2. Monstrum illud non *unius* belluae robur formamque refert, sed multarum fortissimarum, ut belluarum seu regnorum trium a Dan. 7, 4—6. descriptorum robur immanitatamque juncta possideat; toti enim terrarum orbi imperat Romana potentia saeva. Igitur maximam quidem partem bellua cruda et fortissima *pantherae* similis est (πάρδαλις נָמֵר, de qua bestia saevitiae ferocissimae imaginem saepius praebente Jer. 5, 6. v. Bochart. hieroz. I. p. 800 sqq.); sed *pedum* robur comparandum est cum ursi pedibus anterioribus firmis ungulisque immanibus munitis cf. Boch. I. p. 808. (pro ἄρκτου in cod. Alex. aliisque legitur ἄρκου, quae pronunciatio mollior Alexandrinis usitata ab ipso forsan auctore profecta est); *rictus* hiantis voracitas cum leonis ore cf. 9, 8. 17. Praecipuum tamen hoc est, Satanae omne hoc Romani imperii robur *immane* (unde hic tria vocabula δύναμις, θρόνος, ἐξουσία) deberi, ut loco ejus Christianos imprimis infestet; sicut Christus ipsi oppositus omnem potestatem a deo accepit 2, 28. 3, 21. — V. 3—10. Jam ad *Neronem* qui inter Imperatores septem potissimus erat, vati perveniendum est. Quo satis apte sic progreditur vates, ut se septem

illorum capitum v. 1, i. e. Principum, Imperatorum Romanorum unum *occisi* instar vidisse dicat. Rumorem igitur de Nerone haud trucidato sed vulnere letali sanato ex Oriente reversuro hic inserit vates, de quo supra p. 47—51. fusius dictum est. *Εἶδον* ante *μίαν* multi male inserunt; potest enim hic accusativus simplex ferri, de quo v. p. 44. notata; de *ὡς* (*mactatus* ad mortem usque, i. e. vulnere letali affectus *videbatur*, signis et vestigiis id monstrantibus) v. ad 5, 6. p. 144. Et hactenus quidem unum hoc caput cum ceteris descripsit vates; jam vero singulatim unum hunc Principem vulnere quod letale videbatur sanato prodeuntem [1]) Satanaeque mox potentia sustentatum omnium in se convertentem oculos depingit, ut bellua dehinc *Neronem* magis solum, Romanae potentiae dominum, notet. Si enim Neronem inopinato vivum in ditionem Romanam revertere potentiaque simul haud parva conatus suos adjuvare cogitamus, quantum ille stuporem suique admirationem movere, quot Caesarum veterum familiae faventes secum rapere cogitari potest? nonne is vitae inopinato redditus cum ipso Christo vitae reddito certare videbatur? nonne eum Christo aequalem vel superiorem omnes christianos odio habentes summi facere debebant? (cf. p. 49. 50) Idque ipsum jam demonstratum it vates, Neronem vitae redditum a multis Christo aequalem haberi ipsumque fortuna elatum deum, Christum, Christianos infestare odio insatiabili. Igitur vulnere letali (*ἡ πληγὴ τοῦ θανάτόυ αὐτοῦ* מַכַּת מוֹתוֹ sanato eum videntes homines omnes *ἐθαύμασεν ὀπίσω αὐτοῦ* i. e. *admiratione ducti eum sequebantur*, locutione prorsus hebraea חָמְדוּ אַחֲרָיו ut חָרֵד לִקְרַאת *cum tremore obviam ruere* 1 Sam. 21, 2. נִקֵּשׁ אַחֲרֵי *irretitum sequi aliquem* Deut. 12, 30; cf. gr. hebr. p. 620. — V. 4. Moxque homines impii Christi fidem haud profitentes tanto miraculo moti non Satanam tantum submisse venerantur, a quo rem tam miram tantamque potentiam effectam vident (Satanam adorare est *Christum non* venerari, consulto despicere), sed Neronem etiam Messiae aemulum tanta ornatum auctoritate; imo hunc *deum* habent summum quendam, cui nemo aequiparari queat (*τὶς ὅμοιος τῷ θηρίῳ*, locutione ex V. T. desumta;

1) Nam male Heinr. *καὶ ἐθεραπεύθη* de plusquamperfecto exponit: *at sanatum erat*; nam ipsum sanari videt vates.

in quo de deo vero saepius obvia est Jes. 40, 25. 46, 5. Ps. 35, 10. 113, 5), nemo bello par sit. πολεμεῖν μετά τινος in Apoc. (2, 16. 17, 14. 19, 11) ex hebr. נִלְחַם אֶת (עִם) dicitur pro πρός τινα, τινι. — V. 5. 6. Fortuna ita elatus se deum habet verbaque contumacia et convicia in deum, Christum piosque effundit, cf. ad v. 1. Quae Antichristi imago ducta simul est ex Antiochi Epiphanis Jehovam contemnentis conviciisque deum, templum, sanctos lacerantis exemplo a Dan. 7, 8. 20 delineato. A deo tamen summo cum haec quoque insolentia loquentis ferocia pios tentans probansque pendeat, os grandiloquum et insolens *datum* ei dicitur. λαλοῦν μεγάλα pro quo Graeci melioris notae μεγαλαυχοῦν (Plat. Alc. 1. 2.) dicturi fuissent, fluxit ex מְמַלֵּל רַבְרְבָן Dan. 7, 8. 20. 11, 36. דַּבֵּר גְּדֹלוֹת Ps. 12, 4. Nec tamen nisi per menses quadraginta duo fastuosa ipsi loqui et facere conceditur; qua temporis nota spatium haud valde longum significari supra p. 51 et p. 196. 221. satis est demonstratum. Hocque ipsum tempus calamitatum quae christianis tolerandae sunt summarum satis breve supra 11, 3. 7 jam cum ipso, quod hic demum satis se praebet conspicuum, monstro marino eodem modo definitum vidimus, ut quotiescunque in hoc libro annorum duorum dimidiique mentio fiat, semper tempus hoc calamitatum impiorumque imperii saevi breve intelligendum esse pateat (cf. 12, 6. 14; eadem spes de Antiochi Epiphanis termino primum injecta erat Dan. 12, 7.). Quod ipsum ab uno haec omnia auctore uno tenore scripta esse satis monstrat. Si πόλεμον quod Griesb. bene ante ποιῆσαι omisit, delendum censemus (nam de hac re v. 7. demum sermo est), non αὐτὸ supplendum est: *datum ipsi est hoc facere*, quae ellipsis in tali quidem nexu temere sumitur, sed ποιῆσαι de *tempore agendo*, consumendo, *terendo* intelligendum cf. 2 Cor. 11, 25. Act. 18, 23. Jac. 4, 13. עָשָׂה Koh. 6, 12. Convicia impia quae in deum jaculatur, non nomen tantum ejus laedunt (dum nempe se ipsum deum vocat) sed sedem quoque divinam beatosque apud deum morantes. Sedes divina s. coelum dicitur σκηνή סֻכָּה *tugurium*, in quo deus lateat quodque umbram simul et praesidium beatis praebeat, circum illud in tuguriis quasi minoribus habitantibus Luc. 16, 9. cf. supra ad 12, 12. Locutio procul dubio e Mosis tugurio divino (הָאֹהֶל) ducta. — V.

7. Nec conviciis sanctos proscindendo terminatur ejus libido: caede quoque cruenta in insontes qui potentiae ejus resistere nequeunt saevit, cujus immanitatis exemplum unum idque gravissimum jam supra 11, 7. obvium erat iisdem prorsus verbis expressum, ut haec intime cohaerere videas. Eamque caedem cruentam per *omnes terras gentesque* (cf. 10, 11. 11, 9. 14, 6. 16, 10. 17, 15.) perpetrare ipsi permissum est, quanquam Christianos tantum ubique gentium habitantes hic intelligendos esse ex loci sententiaeque natura apparet. — V. 8. Tamque late patet hominum Antichristum hunc humili adulatione venerantium error, ut Christiani tantum pauci vere pii coeloque servati ab eo immunes sint. Christianos hos vere strenuos et pios quia virtute hac coeli gaudia vitamque aeternam merituros esse certa est spes, nomina eorum jam in *libro vitae* divino scripta dici possunt, de quo libro cf. ad 3, 5 p. 127 dicta. Cumque Christi aliquando venturi salus jam inde a mundo condito destinata dicatur (Eph. 1, 4—13), eadem locutione continuata nomina quoque piorum servandorum jam inde a mundi initio libro illi inscripta dici possunt; quod de *omnibus* piis dictum, ut pios dei cura interire non posse certamque eos manere salutem coelestem significetur, satis placet; de singulo minus. Igitur verba ἀπὸ καταβολῆς κόσμου haud dubie ad γέγραπται trahenda sunt, quod loco simillimo 17, 8 probatur; τοῦ ἐσφαγμένου appositum ad ἀρνίου ut supra 5, 12. Si enim verba illa ad τ. ἐσφαγμ. traheres, inepta loqui faceres vatem; quanquam enim Christus ante mundum affuisse dicitur (cf. ad 3, 14. p. 131), fata tamen quae ei in terra evenerunt, ante mundum conditum facta fuisse cogitari nequit. Ceterum futurum tempus προσκυνήσουσιν hoc ipsum, quod timetur, vate scribente nondum prorsus factum esse monstrat. — V. 9. 10. Sed utut crudelissime nunc in Christianos saeviat, manent tamen eum poenae meritae! Quod epiphonemate acuto (cf. supra p. 5. 6.) miseros solandi causa hic in fine monstri hujus inimici descriptionis apte exclamat vates, quomodo ratum fiat, infra c. 16—19. monstrandum. Ad quod solatium quo diligentius miseri Christiani attendant, formula in tali junctura solita (cf. ad 2, 7 not.) v. 9. praemittitur. Sensus v. 10. hic: si *quis* (velut Nero, quem hic quisque e loci nexu facile intelligat) insontes captivos abducit trucidatve (i. e. levius duriusve punit, cf. 2, 10), ut ipse similes cruciatus perferens pereat ipsa

justitia postulat, eique e dei vindicis mandato pereundum est, ut infra c. 19. probabitur; vindictam haud effugiet, cf. 22, 11. 12. *Qui αἰχμαλωσίαν συνάγει* הִגְלָה גָלוּת Amos 1, 6. vel שָׁבָה שְׁבִי Ps. 68, 19. Num. 21, 1. 2 Chr. 28, 17. *captivorum turbam* (hoc enim est *αἰχμαλωσία* ex hebraismo, quem nonnulli evitaturi *εἰς* inseruerunt ante *αἰχμ.*) *cogit, is in captivitatem agitur* (cedit), lusu simul quodam verborum. *ὧδέ ἐστιν hic est sanctorum constantia et fides* i. e. hic cernas, quantum sanctis prosit constantia fideque coelum mereri, cf. 14, 12. Vide, quam miser exitus piorum praemiis oppositus sit [1]).

c. 13, 11-18. *Tertius* ad hos accedit, Christi reique christianae inimicus *pseudophropheta*, ut prioribus minor iisque minister tantum et consiliorum adjutor datus, ita singulis christianis propior formidolosiorque. Hic enim quascunque prophetae falsi imprimis ad deorum cultum superstitionemque plebi male cautae persuadendam commendandamque moliuntur artes, quibuscunque miraculis fidem sibi conciliare student, cuncta ea ad *Potentiae Romanae* et *Neronis* imprimis divinum cultum affectantis majestatem adorationemque hominibus persuadendam adhibet; ut potentia simul nitens haud vulgari non ad impium tantum illum Neronis cultum divinum plurimos seducat male cautos, sed omnes etiam omnino imperii cives, nisi saluti suae male prospicere velint, Neronis se servos cultoresque publice profiteri cogat. Ut enim prophetae verum piumque dei cultum praedicant, commendant miraculisque ex illius aevi ingenio nonnunquam populo persuadere student, utque supra 11, 3—12 Messiae prophetas duos pios probique dei cultus suasores praecedere vidimus, ita ut Antichristo pseudopropheta hujus cultum simili potentia miraculis quoque aucta inter singulos homines commendans et injungens praecedat, res ipsa postulare videtur; neque defuisse qui illis temporibus prophetarum nomen et auctoritatem sibi arrogantes vanisque sermonum factorumque ludibriis utentes Messiaeque adventui vel alii eventui gravi proxime instanti populum in Palaestina, Aegypto, Asia minori aliisque

1) ceterum ex his omnibus elucet, non satis bene belluam hanc *idololatriae* tantum Romanae (i. e. gentilis) signum a Grot. et Eichh. esse habitam. Similem fictionem habes in 4 Esr. c. 11-14. ubi *aquila* (Imperium Romanum) cum *alis duodecim* i. e. Imperatoribus surgens depingitur.

terris se praeparare profiterentur multosque artibus suis turbarent et seducerent, ex historiae indiciis haud paucis intelligitur, cf. Ioseph. arch. 20, 7, 6. bell. jud. 2, 13, 5. Act. 13, 6. Matth. 24, 5. 24. (ubi ψευδοχριστοί et ψευδοπροφῆται junguntur) Luc. 21, 8. Igitur cum haec temporis illius ingenio optime consentanea a vate fingi dicenda sint, haud multum interest quaerere utrum revera Neronis tum adjutores pseudoprophetae exstiterint an vates eos orturos esse conjecerit tantum et timuerit; cum tamen singularia quaedam v. 14. 15 afferantur atque tota verborum series continua de uno ut *praesenti* agat (neque enim in libro hoc, ubi futura multa describuntur, *praesens* tempus semper ita repetitur, ut hic v. 12—17. fit; cf. p. 39. 40), revera tum temporis terras vati cognitas pseudopropheta quis turbasse videtur; certe id non extra fidem est. Cum enim rumor Neronis adventantis Asiam exterrebat, multique hunc Messiae vel, ut piis videri debebat, Antichristi auctoritate praeditum toti terrarum orbi aliam faciem induturum esse credebant, nonne temporis illius indoles ita ferebat, ut plures christianorum inimici, magi, scelerati, prophetarum nomine populum exagitantes Neronis ut Messiae vel Dei timorem injicerent? cf. ad v. 11. not. Nec nisi illud non definio, utrum unus tantum exstiterit pseudopropheta, an vates, quod probabilius videtur, plures forsan impii et insani hujus Neronis commendandi studii sectatores (cf. v. 3. 4) *unius* pseudoprophetae terribilis imagine complexus sit. Ceterum, quod saepissime jam notatum est, vatem res et personas prius grata quadam picturae obscuritate innuere, dein dilucidius ipso nomine significare, idem hic evidentissimum; nam *pseudoprophetae* nomen infra 16, 13. 20, 10. praec. 19, 20. diserte solumque positum hic in longiori pictura divinandum tantum datur ex signis descriptis.

V. 11. Pseudopropheta ut minor dignitate prophetaeque gerens habitum, ita bestiis tamen Satanae et Neroni imprimis, quorum causam agit, simillimus depingendus erat. Itaque vates tertium quoque hunc inimicum *belluam* nominat cornibusque similiter (cf. 12, 3, 13, 1.) munitum; at cornua ipsi non *decem*, sed *duo* tribuit, eaque non *arietis*, id quod in Satanae Romaeque potestatis imagine per se intelligitur, sed *agninis* similia; quae verba (ὅμοια ἀρνίῳ) adjecta non simulatam tantum

doctorum falsorum mansuetudinem (Matth. 7, 15), sed vim quoque minorem notare ex totius imaginis indole sequitur; *draconis* autem seu serpentis *linguam*, quod refert, partim eum dolose et versute agere (Gen. 49, 17) et loqui (cf. Gen. 3, 1) notat, partim eum Satanae 13, 3 simul simile quid retulisse. Quodque *e terra* accedere fingitur, pseudoprophetam in ipsa Asiae continente prodiisse monstrat (cf. ad 12, 18 not.); incolas enim regionum vati propiorum Neronem adventantem nondum vidisse, sed pseudoprophetis tamen inter ipsos ortis territos turbatosque fuisse totus elocutionis color docet. — V. 12. Potestatem, quam bellua prior a Satana accepit ingentem v. 2., totam haec quoque exercet a Roma Satanaque ipsi commissam ut loco eorum miraculis homines seducat (neque enim ipsum ducem regemque summum decet ubivis agere); unde adjectum *ἐνώπιον αὐτοῦ ante Neronem* i. e. ut minister ei praecedens, viamque quasi muniens; male contraque linguae usum alii *πᾶσαν* exponunt *summam*, cll. Jac. 1, 2. 1 Tim. 1, 15 quorum locorum diversa prorsus est ratio. Hac igitur potentia terribili miraculis etiam perpetrandis sufficienti *ποιεῖ eo adducit τὴν γῆν καὶ τοὺς κατοικοῦντας ἐν αὐτῇ* (quae uberior loquendi ratio denotat *omnes omnino* per totam terram, gentiles imprimis ut per se patet) *ἵνα προσκυνήσωσι ut adorent* belluam priorem, Romam, *Neronem* potissimum, ad quem denotandum verba adjecta sunt: cujus vulnus letale sanatum est v. 3. Ceterum haec construendi ratio, qua verbo *ποιεῖν* similibusque duplex objectum subjungitur, cum prius alia ex ratione enunciationi alterum objectum continenti et conjunctionibus *ἵνα, ὅτι* etc. incipienti ut subjectum inseri possit, Hebraeis solennior est quam Graecis et hinc in hoc libro satis frequens cf. v. 15. 16. 3, 9. 17, 8. — V. 13—15. Describitur jam, qualis quantaque haec, qua pseudopropheta homines ad Neronem cultu divino prosequendum seducat, sit potestas. Miracula, quibus omnes fere prophetae V. T. usi dicebantur quaeque serius prophetae ad ipsum hoc prophetarum nomen auctoritatemque obtinendam ob aevi superstionem imitari coacti erant, tanta edit, ut plurimi Neronem deum habeant cultu divino dignum. Utque pseudopropheta hic Antichristi praenuncius ipsa re jubente veris illis Messiae prophetis duobus Eliae et Enocho 11, 3—13 oppositus est, ita vates eum miracula quoque edere fingit eorum quae de Elia feruntur aemula. Ita

quod v. 13 efficere dicitur ut ignis coelitus in terram dejiciatur, ex Eliae vita (1 Reg. 18, 38. 2 Reg. 1, 10 sqq. cll. supra de ipso Elia Messiae praevio 11, 5) deductum est. Pro ἵνα καὶ auctores meliores dixerint ὥςτε καὶ, ut ἵνα in N. T. ἐκβατικῶς adhiberi pateat. Alterum quod v. 14. 15 adjungitur miraculum magis etiam hominibus ad cultum istum impium seducendis idoneum est. Imagini enim Neronis divino cultu prosequendae, quam homines facere jubet (λέγων), halitum vitamque ita inflare novit, ut et loquatur ipsa et renitentes mortis supplicio afficiat. Videnturque sane temporibus illis magi quidam gentilium cultum commendaturi deorum simulacra statuasque, quas Judaei ut mutas inertesque despiciebant (9, 20), artibus fraudulentis ita construxisse, ut vocem ederent humanam et incredulos renitentesque enecare viderentur; certe similia fraudum exempla satis obvia sunt. Simulque Eliae, qui mortuos resuscitasse adversariosque trucidasse dicitur (1 Reg. 17, 21—24. 2 Reg. 1, 10 sqq.) facta pseudopropheta imitatur. Ceterum ipsa elucutio sententiae totius paullo impeditior est. Nam inter miracula, quibus homines seducere pseudopropheta dicitur v. 14, hoc ipsum ut potissimum memoratur, quod Neronis statuis vitam inflat. Igitur λέγων ad πλανᾷ pertinet et versus 15 sententiam de statuis, quas confici jubet, constructione paullum mutata perficere putandus est. ἐδόθη, quia haec ipsa per tempus aliquod miracula edendi facultas non nisi deo summo permittente ipsi fieri potuit cf. idem de bellua priori v. 5. 7. εἰκών *simulacrum, effigies* si de divinis sermo est, Judaeis omnem dei effigiem abominantibus de simulacro vel statua gentilium cultu divino impie prosequenda dicitur, fere ut εἴδωλον; solebantque jam Hebraeis antiquis nomina fere omnia *effigiem* denotantia in malum hunc sensum detorqueri, ut תְּמוּנָה, סֶמֶל, פֶּסֶל, מַצֵּבָה. ὃ ἔχει - καὶ ἔζησε est: quod quanquam letale vulnus habet in vitam tamen rediisse vidimus v. 3. ζῆν חָיָה de *mortuo* dictum per se quidem patet esse *in vitam redire* cf. 3, 7; sed id hebraismo deberi, ex p. 43 apparet. Verba καὶ ποιήσῃ ὅσοι - ἵνα etc. non puto ab ἐδόθη αὐτῷ dependere, ut sensus sit: pseudoprophetae immorigeros necare concessum fuisse (fuisset enim ex perpetuo libri hujus usu cf. 16, 8 infinitivus ποιεῖν ponendus), sed quod per se multo propius est, verborum ἵνα καὶ λαλήσῃ sententiam con-

tinuare; repetitum deinde τὴν εἰκόνα τοῦ θηρίου satis excusant loca Gen. 5, 1 etc. — V. 16. 17. Omnes omnis ordinis fortunarumque homines (τοὺς μικρ. κ. τ. μεγ. ad *opes* et honorem referendum esse hebraeus usus et sequentia nomina docent), quo cultum Neronis publice profiteantur seque ejus servos sequaces aperte probent, nomen ejus aut dextrae aut fronti suae inscribere cogit pseudopropheta, ut nemo nisi nomen hoc ut dei, patroni, domini gerens in publico secure versari queat (pro quo hic dicitur ἀγοράσαι ἢ πωλῆσαι *emere vel vendere* i. e. in forum prodire, necessaria ad vitam propagandam sibi comparare; ut similis locutio legitur 1 Macc. 13, 49 quanquam cum ubi de *obsessis* sermo sit a commeatu interclusis, sensus huc non pertinet); et quis nescit tyrannorum adjutores facile omnes, qui arbitrio ipsorum injusto parere nolint, civitate, securitate vitaeque commodis privare posse? Sic igitur ut pii nomine dei veri Messiaeve impresso muniti sunt (cf. 7, 2 atque ibi not. p. 161. 162, et praeterea Zach. 13, 6.), ita impii seductique nomine falsi sui dei seu Antichristi impresso discernuntur, ut jam in ultimae poenae impetu externo etiam habitu pii impiique simili fere ratione distingui et discerni queant, qua Aegyptiorum olim et Israelitarum domus Exod. 12, 7—13. Unde infra 14, 9. 11. 16, 2. 19, 20. 20, 4. pauci illi semper distinguuntur, qui miraculis minisque his non seducti nomen hoc sibi inscribi haud passi sunt. Séduloque hic nomen non *sigillo*, quo pii simul muniuntur tutique praestantur (7, 2. 9, 4. 14, 1.) imprimendum memoratur, sed *inscribendum* tantum, (χάραγμα) literis singulis. ποιεῖ πάντας ἵνα δῶσιν (ut bene Griesb. pro δώσῃ) αὐτοῖς *efficit ut dent omnibus* i. e. ut detur omnibus, passiva constructione evitata cf. ad 12. 14 p. 221. Sed hic in visionum harum fine vates rem subjungit ad totius operis sensum gravissimam quam nullo nisi hoc loco aptius innuere licuit. Nam cum draco ille quis sit, satis et per se pateat et a vate 13, 9. diserte descriptus sit, nec minus alteram hanc belluam pseudoprophetam significare satis dilucidum sit (cf. p. 231), tamen quisnam tandem belluae prioris 13, 1—8. imagine depictus sit, quanquam is Christianorum inimicus in terra potissimus est, semper lectorem adhuc latet; nec in sequentibus aperta ejus reperitur denominatio. Erantque haud dubie vati causae satis graves, quae eum quominus *Romae*, *Caesarum*, vel *Neronis* ipsius nomen diserte

et propalam adderet impedirent. Quis enim satis prudens tunc temporis poenas gravissimas minando Imperatoris Romani diserte nominati iram provocasset sibi totique coetui exitialem? Nonne satius erat nomine ipso tacito personam tantum ita significare ut vates prudentiores tamen e coetu suo mentem suam assecuturos esse certo sperare posset? Igitur ex operum hujus generis illa aetate scriptorum ingenio (cf. p. 9.) vates tyranni nomen reticens tamen non signa tantum personae dat manifesta, sed tecte etiam bis (17, 9—11 praeter hunc locum) ipsum nomen personamque apertius ita innuit, ut Judaei saltem seu potius Christiani ex his orti Neronem non possent non agnoscere. Nam *nomen* Imperatoris hic *numeris* denotat, arte quadam cabbalistica. Postquam enim Judaei literas suas ad numeros denotandos applicare didicerunt (id quod post exilium demum factum videtur), Rabbini iis ad *arcana* varia denotanda uti consueverunt. Una ratio haec est. Si ex literis vocis cujusdam V. T. idem numeri valor redundat qui ex literis alius vocis, eundem utriusque sensum esse colligunt, ut alterius etiam vocis sensus intelligi queat. [1]) Altera ratio quam vates sequitur, haec est. Pro nomine ipso valor tantum quem literae ejus ut numerorum signa praebent computatus ita nominatur, ut quale nomen intelligendum sit lectori divinandum relinquatur. Ita hic numerus χξσ i. e. 666 vel ex varia lectione χισ i. e. 616 pro nomine ipso ponitur; idque hoc simul loco aptissime fingitur. Nam literae hae tres *compendium* simul *nominis* haberi possunt, ut nomina fere principum compendio scribi inscribive solent. Quare nominis Imperatoris compendium seu notam hanc apte *characteris* imprimendi mentioni adjungens vates v. 17 dicit *ἔχων τὸ χάραγμα, τὸ ὄνομα τ. θ. ἢ τὸν ἀριθμὸν τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ gerens characterem illum, aut nomen belluae ipsum aut* (brevius) *numerum in quo hoc ejus nomen latet.* (Lectio haec Griesb.

1) haec ratio Rabbinis *Gematria* dicitur cf. Buxtorf. lex. talm. rabb. p. 446; ita cum יבא שילה Gen. 49, 10 valeat 358 literis ut numeri signis computatis, idemque numerus ex literis משיח redundet, verbis illis: *venit Schiloh* Messiam intelligendum putant; cf. Hieronym. ad Hos. 3, 2. Onkel. targ. Num. 12, 1. Sed ea ratio ab hac quam vates hic sequitur satis est diversa, ut an ex Rabbinorum mente recte *Gematria* dici possit dubitem. Conferendi potius sunt lusus quos ex literis ut numeri signis elicit Artemidor. oneirocrit. 1, 12. 3, 54. 4, 26.

praestare videtur; neque enim voce ἡ ante τὸ ὄνομα opus est). Id quod jam expliciturus vates v. 18 pergit: ὧδε ἡ σοφία ἐστίν *hic est sapientia, en sapientiam!* sensu nempe cabbalistico, quo sapientia est *sapienter*, subtiliter *dictum prudenti tantum perspiciendum* cf. 17, 9. (חָכְמְתָא Rabbinis simili, non eodem sensu et nexu dici ex Sohar chadasch f. 40, 3 demonstravit Schöttg. hor. hebr. p. 1124); *qui subtile habet ingenium* (τὸν νοῦν prudentiam sc. hoc subtile dictum enucleandi, male quidam τὸν omittunt) *computet numerum belluae* i. e. sicut ex prioribus apparet, computando videat quale nomen numeri compendio expressum sit); *nam numerus hominis est* i. e. nam haud facile erret, si in hoc numero *hominis* nomen latere reputaverit, nomen igitur non remotum et homini computanti haud assequendum, ut non belluae daemonisve, sed vicinum cauteque circumspicienti inveniendum (locorum 21, 17. Jes. 8, 1. Hab. 2, 2 paullo alia est ratio; neque enim haec verba sibi hoc tantum volunt: *numerus vulgaris,* non angeli, est). Qui autem hominis hujus numerus indicatur, is cujusnam generis nomen e vatis menti contineat dictu est satis facile; nam Imperatorem Romanum vel Neronem vatem nomine aliquo significare voluisse ex toto opere atque loco imprimis 17, 8—11 adeo est dilucidum ut nemo de eo nisi qui vestigia aperta legere detrectet dubitare queat. Sed difficilius est *singulum* nomen quod vates numero huic respondere velit aptum prorsus et dilucidum circumspicere; nam partim lectio inter 666 et 616 variat, partim utrum vates computum ex literarum graecarum an hebraearum valore iniri voluerit non patet, partim nomina etiam quibus vates Neronem designare potuerit varia cogitari possunt. Omnibus tamen rite ponderatis de duabus tantum divinandi rationibus disceptari ambigique posse vidi. Si enim numerus χξϛ e vera est lectione, sola haec apta venit interpretandi ratio, ut vatem nomen Λατεῖνος innuisse putemus (i. e. 30, 1, 300, 5, 10, 50, 70, 200 = 666); esseque eam satis antiquam, certe quae seculo jam secundo viguerit, ex Iren. adv. haer. 5, 30 apparet; quanquam hic *Romae* Imperatorumque metu ductus ipse eam improbet. Sic nomen hoc, quo non satis aperto Nero Imperatorve Romanus significatus sit, vates partim ob ambiguitatem quandam partim ob numerum qui inde efficitur rotundum elegisse putandus esset. Sed si alteram lectionem χιϛ praeferimus, numerum e literarum hebraea-

rum (cf. 16, 16) valore sic extricari posse vidi, ut קיסר רום (i. e. 100, 10, 60, 200, 200, 6, 40 = 616) *Caesar Romae* prodeat, sensu quidem eodem sed dilucidiore et aptiore. Nam nomen quia aperte non appellatur, ut satis dilucide Imperatorem notet necesse est; hebraeis autem literis vates nomen computare forsan maluit quia et ars ipsa haec arcana et tecta computandi rabbinica est et enucleatio eo difficilior doctiori tamen patet. Adeoque se vates ubique literarum artiumque judaearum amantem prodit, ut hic quoque eum hebraea sectatum esse facile tibi persuadeas. Haecque lectio Irenaeo teste, quanquam is eam respuit, vetustissima est et in codd. haud paucis reperitur; altera e numeri forsan rotundi efficiendi studio fluxit. Utraque tamen interpretatio ad Imperatorem Romanum aperte ducit; quodque Irenaei aetate de hoc cogitavere lectores multi, tunc temporis verum libri hujus sensum nondum prorsus pessum ivisse monstrat. Ceterum numerus ipse ex origine *signis* his literarum scriptus est; quanquam enim libri multi pro signis verba habent, tamen varietas scribendi permagna id e scribentium docet fluxisse arbitrio (nam alii legunt *ἑξακόσια*, alii *ἑξακόσιοι*, alii *ἑξακόσιαι*) et scribendi compendium hic multo est aptius quam tria haec verba *ἑξακόσια δέκα* (*ἑξήκοντα*) ἕξ. Alias vero numeri extricandi rationes, quarum copiam fere ingentem recensent Wolfii curae philol. T. 4. p. 545—551. Hartwigii Apologie T. 2. p. 201—224. Heinrichsii comm. T. 2. p. 242—257, hic dijudicare vix operae est, cum omnes aut e male intellecto et totius operis et capitis hujus singuli fine prodierint aut ipsam interpretandi legem a vate praescriptam violent. Ita quod Iren. 5, 30 (alios *εὐάνθας*, alios *λατεῖνος* legere tradens) probat, *τειτάν* legendum et de *Titane, Gigante*, dei contemtore feroce (seu quod alii maluerunt, de *Tito* urbis sanctae eversore) intelligendum esse, satis est temerarium; cur enim vates tectum Imperatoris nomen symbolicum hic diserte nominare erubuit timuitve? Herderi autem sententia, ר' שמעון legendum deque Rabbi Simone Gorionida cogitandum esse (id quod prius jam Lakemacher in observatt. sacr. P. 9. p. 20—52 suaserat) operis fini contraria est; multoque minus probabile, quod Herdero eidem et Heinrichsio arrisit, vatem in ipsa numeri χξσ figura (Christum χσ serpente ξ transfossum sistente) lusisse. Jamque veteres Patres imprimis postquam Apocalypsin sinistre interpretari coeperunt (id quod

jam seculo secundo factum esse in aprico est), sensum haud assecutos esse varieque de eo disceptasse ex Iren. 5, 30 Andr. et Areth. Comm. aliisque Patrum locis patet; vulgatissima tamen inter Patres graecos Irenaei vestigia legentes opinio fuit τειτάν esse intelligendum.

Atque hi quidem tres Christi Christianorumque inimici, quos vates Christo similia, animo tamen ipsi adverso, agere fingit, ut junctis viribus agunt, unoque odio immani impioque flagrant, ita tamen sic invicem diversi sunt, ut *medium* potissimum ipsum *Antichristum* agnoscas Christianorum in terra inimicum gravissimum. Nam Imperatorem instigat tantum Satanas, adjuvat pseudopropheta, ut is prae ceteris Antichristi nomine salutandus sit, modo vates nomen hoc aut cognoverit aut adhibere voluerit. Atque in hoc quidem Antichristo depingendo vates adeo cum Paulo 2 Thess. 2, 3—12 conspirat, ut utrumque notiones has e Judaeorum doctrina simili hausisse appareat. Nam Paulus quoque *unum* tantum Christi inimicum improbum ominatur in rerum fine apertum iri, dei contemtorem ferocem sibique cultum arrogantem divinum, tandem a Christo interficiendum. Quodque Paulus v. 4. de Antichristo locum sanctum Hierosolymitanum impie ingressuro innuit, idem vates noster haud tacet; hunc enim opinionem de Antichristo urbem sanctam ingressuro fovisse, ex 11, 7. 14, 20 (cf. Andr. comm. ad c. 11. p. 46 qui idem testatur) satis elucet; accessitque illo ipso tempore de Nerone ex *Oriente* reduce rumor huic opinioni favens. Ipsum Antichristi nomen, serius quantum video post Pauli epistolas vatisque nostri opus scripta ortum (in evangeliis pro eo *Pseudochristi* nomen venit), obvium quidem est in Johannis Apostoli epistolis (I, 2, 18—22. 4, 3. II, 7), sed ita ut Johannes nomen hoc tum temporis inter Christianos vulgatum totamque Antichristi notionem ad aliam potius rem apte traducat. Nam Antichristum non unum tantum dicit eumque gentilem et externae Christianorum saluti pericula machinantem gravia, quae solennis erat populi de Antichristo opinio, sed omnem potius haud vero Christi virtutisque amore ductum, ut adeo et *multi* esse queant Antichristi et in ipso Christianorum coetu oriri. Quae sane vera admodum est et salubris doctrina, apte ab Apostolo ex vulgari illa Judaeorum Christianorumque opinione deri-

vata. Sed hoc simul inde puto elucet, eundem Apostolum qui tam feliciter apteque vulgarem de Antichristo opinionem immutat et emendat, non hunc Apocalypseos librum scribere potuisse, diversam prorsus indolem spirantem, diversas opiniones foventem (cf. §. 9. 10.) [1]).

2. 14, 1—5. Quo gravius tristis haec trium Messiae inimicorum summorum imago animos lectorum afficit, eo suavius eos recreat sequens *Messiae cum selectis piis* bello parati imago. Cernitur is in monte Sione, coelesti nempe (cf. v. 2. 14.), mox a coelesti hoc, qui terrestris imago est, in terrestrem descensurus; cinguntque eum Christianorum qui inter omnes calamitates fortem probarunt animum sceleribus haud inquinati, selecta cohors. Hi ipsi sunt sancti, quos cum nullum periculum, nullae minae a Messiae inimicis c. 12. 13. agitatae deterrere et seducere possint, jam in coelo Messiae numine praesente et coelicolarum summorum Messiam laudantium societate summopere se beatos sentiunt, quique Messiam ad bellum quoque hostibus suis inferendum lubenter sequantur. Sic igitur jam in coelo beatam ab omnique Antichristi furore munitam cernimus cohortem illam centum quadraginta quatuor millium, quos ob Christi amorem illibatum et virtutum studium infractum sigillo divino jam muniri vidimus 7, 1—8. 9, 4. [2]). Quodque hic in coelo repraesentatur, mox in terra ratum fiet. — V. 1. Nomen Messiae deique frontibus piorum impressum haud dubie idem est, quod quomodo sigillo iis dei cura imprimatur 7, 2. 3, descriptum est cf. p. 162. — V. 2. 3. Angelos dei laudes hominibus ob majestatem haud concipiendas, beatis tamen divinae naturae propioribus dilucidas rerumque infinite sublimium sensum gratum afferentes canentes audit piorum cohors. Cum enim seriores *nomen divinum* virtutesque dei summas mortalibus in-

1) Ascens. Jes. c. 2—5. simillime Satanam regem Manassen obsidere et exinde Antichristum oriri fingit; sed omnia ibi ex nostro libro scriptori lecto hausta esse puto.

2) difficultas quaedam inde oritur, quod sancta haec cohors jam in coelo beata versari cogitatur. Sed reputandum est, postquam diu satis Antichristus saeviit finem rerum proxime instare, vatemque id ob oppositam picturam c. 12. 13. ita finxisse. Eadem fictio redit 15, 2—4.

telligi audirique non posse putarent (cf. ad 2, 17.), vates saepius rerum in coelo infandarum laudumque divinarum auditum beatis tantum voluptatem infinitam afferre fingunt. Vox haec utpote angelorum multorum *altissima* est (cf. 1, 15. 6, 1. ibique not.) sonumque citharae suavi modulationi accinentium refert (cf. ad 5, 8.); ipsa autem decantata *nova* et inaudita videntur (cf. ad 5, 9.), quae mortalium menti haud percipienda beati tantum intelligant intellectaque repetant (μαθεῖν). Angelique hi non monti Sioni adstant, qui ut terrestris imago in coelo inferiori situs cogitandus est (unde se *e coelo* vocem audisse dicit vates v. 2. cll. 10, 4—8. 11, 12. 15.), sed ut decet dei throno animalibus quatuor presbyterisque cincto (cf. eandem fictionem 5, 11—14.), ut pii cum Messia collecti sonum eorum eminus audiant. ἠγορασμένοι (cf. ad 5, 9. not.) ἀπὸ τῆς γῆς redemti *a terra* i. e. a terrae (hominum vulgarium, unde v. 4. τῶν ἀνθρώπων cum γῆς permuctatur) vitiis et calamitatibus liberati deoque et Messiae cultores atque cives coelestes facti. — V. 4. 5. Fusius jam pii hi distinguendi et imprimis quibus virtutibus viam sibi ad tanta gaudia muniverint, describendum erat. Morum sanctitate et castitate ita eminent, ut *virgines* dici queant, foeminarum contagio haud contaminati; παρθένος enim Graeco-judaeis et Patribus de *viro* etiam casto dicitur cf. Suid. sub v. Suiceri thesaur. παρθενικοί in oracul. Sibyll. p. 201. ed. Gallaei; unde vel a בְּתוּלָה serius masculinum בְּתוּל, ܒܬܘܠܐ Judaeis Syrisque formatum est, ut ap. Gaulmin ad libr. de vit. et morte Mosis p. 222—224. ed. Fabr. Assemani bibl. or. T. 1. p. 362. cf. 2 Cor. 11, 2. Qua castitate interpretes volunt fere vatem *omnium virtutum* ornatum exprimere voluisse, ut non matrimonii abstinentia, sed vitae tantum a scortatione immunis laus hic praedicetur. Si tamen matrimonii abstinentiam tum temporis Judaeis Christianisque haud paucis plurimi factam esse (1 Cor. 7. cf. Gaulmin. l. c. p. 222. 23. Clem. ep. 1. 2. ad calcem N. T. Wetsten. A. Neander Geschichte der christl. Rel. und Kirche P. 2. p. 475. 659.) reputamus, hoc saltem concedendum est, vatem hic vitam ab omni illecebrarum genere servatam sanctissimam, qualem *ipse* cupiebat postulabatque, describere voluisse. οἱ ἀκολουθοῦντες qui Messiam quocunque se vertat sequuntur, toti ergo huic dediti

morigerique, ut ei in terram advenienti fide adhaereant summa. Quare etiam *ab hominibus redemti* sunt, hominum sorti erepti beatique facti ut ἀπαρχὴ רֵאשִׁית *primitiae* i. e. imprimis cari acceptique deo et Messiae, in cujus vicinia jam versantur; cf. Jacob. 1, 18. — Denique v. 5. haec inter ceteras laus eorum emicat, quod *mendacii* sunt expertes ignarique, sicut mendacium seu animi falsa non abhorrentis vitium inter potissima vitae sanctae obstacula saepius refertur; hicque imprimis virtus haec pseudoprophetae vitiis 13, 13-17. apte opposita est. ἄμωμοι γάρ εἰσιν *nam omnino* vituperio et vitio carent, vitae quae cogitari potest sanctissimae exempla.

B. Jamque Messias talibus piis cinctus ad tales impios accedere potest puniendos et evertendos. Sed cum multi sint et admodum diversi qui ante regnum messianum inchoandum poenis plectendi sunt justis, aptissime Messias non ipse ad omnes singulos per totum terrarum orbem dissipatos paullatim vincendos progreditur, sed *angelos* potius praemittit *ultimas impiorum omnium poenas* effecturos; qui postquam *minora omnia*, impios singulos, urbes, Romam ipsam, justis poenis cruciaverunt deleruntve, tandem ipse Messias ad omnes qui supersunt impios interque eos *tres* potissimum illos inimicos gravissimos uno ictu profligandos delendosque supervenit (19, 1.). Cumque poenarum harum descriptionibus alia inseri par sit, quibus partim ad has poenas digne praeparetur, partim justas eas infligi impiis scelerum gravissimorum reis notetur, partim pii has impiorum poenas cernentes constantiam inter vexationes diras summam probare velint moneantur: satis amplam iterum aperiri vides descriptionum et visionum seriem. Imprimis vero quo propius certiusque impiorum cernitur exitium, eo frequentius aptiusque pii quanta praemia virtus spectata ferat admonentur.

1. Novam quae hic sese pandit visionum seriem aptissime inchoat visio *diem judicii* seu poenam impiorum per Messiam *instantem* ultimam *annuncians* 14, 6—13. *Tres* angeli (ut hic quoque numerus sacer sibi constet, cf. §. 3.) praecones in coeli medii spatio comparent, omnibus omnino terrae incolis diem judicii jamjam praesentem, Romae imprimis casum inter haec tempora ante Messiae ipsius adventum gentilibus luctuosa

gravissimum annunciantes, admixta veri dei cultus commendatione poenarumque impios in aeternum manentium dirarum minis. 1) *Primus* igitur (v. 6. 7.) angelus homines omnes ut deum, terrae nempe totius dominum potentem, jamque judicium justum exerciturum digne venerentur (huncque solum, uti par sit, colant, cll. v. 9–11.) provocat. Nominatur is ἄλλος, diversus a multis supra (ut 10, 1. 14, 2. 3. cf. v. 14.) memoratis; volatque cum reliquis duobus ἐν μεσουρανήματι i. e. ea coeli regione qua ab hominibus audiri queat, cf. ad 8, 13. not. Hebraeos antiquissimos angelis quos hominum formam totam referre putabant, alas non dedisse ex Gen. 28, 12. aliisque indiciis apparet; alas tamen, quibus in Apocalypsi semper instructi prodeunt, angelis summis jam dederat Jes. 6, 2. nec quicquam serioribus frequentius. In sequentibus lectio aeque ac interpretatio fluctuat; si enim ἔχειν *tenere* interpreteris, εὐαγγέλιον αἰώνιον *nuncius aeternus* i. e. ab aeterno constitutus de *libro* seu *scripto* nuncium de judicio exsequendo (si ad Christianos spectamus) laetissimum et exspectatissimum continente quod angelus advolans tenuerit intelligendum esset. Sed εὐαγγέλιον *librum* notare difficulter admodum statuitur, cum adjectivum αἰώνιον ita incongruum sit, soletque vates de libro ab angelo allato dilucidius loqui cf. 10, 2. Quodque ita esset legendum εὐαγγελίσαι τοὺς καθημένους ἐπὶ τῆς γῆς καὶ πᾶν ἔθνος *ut nuncium afferat incolis terrae omnibus* (praestat enim καθημένους i. e. ישְׁבִים lectioni hebraismum evitanti κατοικοῦντας cf. LXX. Neh. 11, 6. Jer. 25, 29.), id codd. optimorum ante accusativos bis ἐπὶ legentium fidi contrarium; neque enim quomodo praepositio haec a librariis inseri potuerit ratio occurrit, cum accusativum evitaturi haud dubie dativum posuissent cf. ad 10, 7. not. et varr. lectt. Igitur haud dubito quin lectione sic stabilita sensus hic sit: *nuncium* aliquem ab aeterno constitutum (scil. de judicio justo exsequendo) Christianis laetum *annunciandum habens totius terrae incolis*, ἐπὶ עַל *super* posito, quia angelus super omnes terras volat; *aeternus* est nuncius, quia deus ab aeterno inde ut Messiam ejusque doctrinam ita nuncium hunc laetum constituit et se missurum piis promisit cf. ad 10, 7. 13, 8. not. Rom. 16, 25. δότε θεῷ δόξαν ex hebraismo seriori הָבוּ לַיְיָ כָּבוֹד Ps. 96, 7. 19, 1. 2. Jer. 13, 16. Jos. 7, 19. 1 Chr. 16, 28. *deo date gloriam ju-*

stam, ut decet majestatem ejus sanctam venerantes; quanta enim ejus potentia, quo jure solus sit timendus et colendus, ipsa nunc monstrat judicii dies; quare bene adjicitur: *adorate* non Satanam et Antichristum, ut impii seductique faciunt 13, 1—17, sed *deum* solum rerum omnium *creatorem* (cf. ad 4, 11.), coeli, terrae, maris fontiumque, quibus nominibus quatuor et supra 8, 7—12. et mox iterum 16, 1—9. totus mundus deo subjectus describitur. — 2) *Secundus* angelus v. 8. *Romam* jure occasuram esse proclamat, ut angelos hos tres exitium *impiis* tantum universis propius instans (c. 16.) annunciare videas; ultimum a Messia praesente impendens c. 19. 20. aliis coelestium vocibus praenunciatur 19, 1-10. Cum vero vati ob causas saepius indicatas Romae ipsius nomen celandum signisque tantum Judaeis et Christianis perspicuis innuendum videretur, *Babylonem* eam vocat ut Judaei quoque, cf. Eisenmeng. Judenth. T. 1. p. 800 sqq.; neque erat quae aptius Romae innuendae inserviret urbs eligenda alia. Ut enim Babylon olim potentissima peccatis omnis generis gravissimis, Judaeis potissimum injuria oppressis, notissima propterea que poena excidii divina dignissima erat, ita Roma cum aliis flagitiis innumeris tum Christianis vexatis infamis haud minorem meruit dei poenam. Igitur cum tanta sit urbis utriusque similitudo, vates potiora omnia quae prophetae olim de Babylone effati erant, verbis fere iisdem ad Romam transfert (ut locutio hic obvia *ἔπεσε ἔπεσε certo cecidit*, decreto dei firmo jam id confirmatum est moxque ratum fiet, ex נָפְלָה נָפְלָה בָּבֶל Jes. 21, 9. cll. Jer. 50, 2. 51, 8. aperte ducta est); quod quidem ipso actionis progressu frequentius etiam et dilucidius (imprimis c. 17. 18.) ita continuat vates ut *Romam* intelligendam esse apertius simul multis indigitet indiciis. Idemque hoc primo loco jam innuturus adjicit *ἡ μεγάλη Babylon magna*, quibus verbis Romam terrarum caput significari eo est apertius quo minores tum temporis Babylonis verae a Judaeis plurimis habitatae reliquias fuisse constat ex Joseph. arch. 15, 2, 2. Strab. 16, 1, 5. Nec minus causa verbis *ὅτι - πεπότικε* adjecta prophetarum V. T. imaginibus adumbrata est. Cum urbs terrave (cf. ad 12, 1.) *foeminae* formam saepissime induat, facile eo adduci poterant poetae vatesque, ut urbem seu terram Israelis perfidam i. e. dei quod juraverat foedus cultumque negligentem *foemi-*

nam meretricem (cf. simplicissimam imaginis originem Jes. 1, 21.) nominarent; vatesque paullo seriores eandem imaginem ad urbem similem *gentilem* quoque traduxere, imagine diversae indolis et originis admixta. Scilicet cum ebrius sui haud compos omnium ludibrio non minus quam potestati arbitrioque sit obnoxius, *vino calido inebriari* poetis est *miseria, caede vinci* et deprimi, *poculumque* vel *vinum inebrians praebere* dicitur non de *deo* tantum gentem puniente (Jes. 29, 9. 51, 17. Thren. 4, 21. Jer. 25, 15. 16. 49, 12. 51, 7. Ez. 23, 31. Job. 21, 20. Ps. 75, 8. de Arabum كاس ceterisque aliorum Orientalium locutionibus cf. Jones de poes. as. p. 163. 4. Reiske ad Taraf. p. 122; estque inde etiam derivata dictio *mortis poculum* (a deo datum) bibere Matth. 26, 39. 42.); sed de *hoste* quoque potente et fastuoso gentes imbecilliores deprimente et illudente Hab. 2, 15. 16. cll. Gen. 9, 21. 22. Jer. 51, 7. Quae imago apte satis priori illi ita annexa est, ut urbes potentissimae, cultum dei despicientes indeque *meretrices* dictae, gentes regesque imbecilliores *vino* fervido propinando (ut solent meretrices his aliisque artibus et blanditiis uti) ebrios reddere, deprimere suosque facere dicantur Nah. 3, 4. Jes. 23, 15—17. et infra 17, 2. 4. 5. 18, 3. Sic igitur hoc loco Roma meretrix gentes omnes vino propinando fervidissimo ebrians, mente privans suoque subjiciens arbitrio depingitur. Ipsa junctura vocabulorum *ὁ οἶνος τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς vinum ejus fervidum meretricium* tota hebraea est (cf. p. 41.) יֵין חֲמַת זְנוּתָהּ, uti fere Jes. 51, 17. Jer. 25, 15. legitur; *θυμός* enim hic et 18, 3. non *iram* significare potest, quae in tali quidem nexu Romae tribui nisi inepte nequit, sed ex prima verbi *θύω* (*calere*, hinc etiam sacrificare, sanscrit. *hu*) nominisque hujus vi *calorem*, fervorem notat, sicut Hebraeis חֵמָה primum est fervor, dein ira; similiterque prorsus 16, 19. *τὸ ποτήριον τοῦ οἴνου τῆς ὀργῆς θεοῦ*, ubi vel *ὀργὴ* opposita est voci illi (cf. 14, 10.), significat: *poculum vini fervoris* (fervidi, inebriantis) *irae dei*, irati dei, ut nobis alia ratione dicere licet [1]). — V. 9—12. *Tertius* angelus apte jam

1) quanquam LXX. רֹאשׁ *venenum* nonnunquam per θυμός reddunt, ut Deut. 32, 33. Am. 6, 12. Job. 20, 16, tamen inde haud concluserim, vatem hic de *vino venenato* cogitasse. Hoc enim et per se remotius est et collatis omnibus locis defendi nequit.

omnes qui dei veri cultu (Christianismo) spreto (v. 7.) Antichristi imaginem adorent vel, quod minus videtur, nominis tantum ejus se cultores servosque publice profiteantur, simul cum Roma (v. 8.) perituros proclamat. Respicit igitur vates ad Antichristi cultum supra 13, 14-17. indicatum, bisque v. 9. 11. sedulo *nominis* etiam ejus inscribendi meminit, ut vel publice se ejus servos prodentes in maximum incurrere crimen monstret. Poenam v. 10. duplicem minitatur vates, alteram propiorem, alteram in sera durantem secula. Antichristi cultor *et ipse* (καὶ αὐτὸς i. e. non minus quam Roma v. 8, cf. v. 17.) *bibet de vino dei fervido*, imagine versus 8. apte continuata. Ut enim Roma gentes ebrias factas depressit et vicit, sic deus iratus vino fervidissimo (ut fervor dei est ira simul) Romam cum omnibus ejus asseclis impiis ebriabit exitioque tradet; quod idem infra 16, 19. 18, 3-6. uberius describitur. Quo *fervidius* vinum describatur, adjecta sunt verba τοῦ κεκεραςμένου ἀκράτου, quae duplicem admittere videntur interpretationem. Si enim ἄκρατος *vinum* tantum (proprie *merum*) significare putas, *vinum mixtum* de vino admixtis aromatibus condito fervidiori cogitandum esset, cf. Gesenius in comment. ad Jes. 5, 22. Sed ita τοῦ κεκεραςμένου simpliciter erat dicendum, cum ἄκρατος Graecis vinum sit *merum*, i. e. aqua non dilutum et temperatum; aquae enim plus duplo merum ob Orientis temperiem calidiorem miscebatur. Igitur cum *miscere vinum in poculo* ex hoc more sit i. q. *potui parare*, *vinum ita potui paratum* (mixtum) *ut merum sit*, vinum notat, quia aqua non temperatum est, *fervidissimum*. Quae verborum junctura gravis et acuta hic placet juvaturque loco LXX. Ps. 75, 8. ubi ἄκρατος pro חֶמֶר *fervens vinum* ponitur. — Altera poena haec est, quod cruciatus perpetui in igne inferno impios manent. Imago haec flammarum impios post mortem in Tartaro perpetuo torrentium, in serioribus tantum V. T. libris immortalitatem animae testantibus obvia (primus ea usus videtur propheta serior Jes. 66, 24. una cum alia de *vermibus* cor perpetuo arrodentibus imagine diversa e *sepulchri* natura desumta cf. Jes. 14, 11; saepius in apocryphis redit Sir. 7, 17. Judit. 16, 17. 4 Esr. p. 237. ed. Fabr.), ut poetis haud dubie originem debet ita ex variis notionibus paullatim orta est et exculta. Scilicet omnes antiquitatis populi voragines

terrae, e quibus saepius fumus exhalatus ascendit, Tartari portas habere consueverunt (cf. ad 9, 3.), ut *ignem* in Tartaro continuo ardere proclive esset opinari. His accessit Hebraeis serioribus *vallis filii Hinnomi* seu *γεέννης* imago in Tartarum traducta Marc. 9, 43—45. Matth. 5, 22. 18, 9; et *Sodomorum* igne sulphureque divino deletorum exemplum eo manifestius visum, quod mare mortuum in Sodomorum totiusque Pentapolis regione ortum fumum densum perpetuo exhalans cernebatur (cf. Solin. polyh. c. 35. J. D. Michaelis comment. de mari mortuo, in syntagm. commentt. Gott. 1758—62. p. 102 sqq.), ad quod Jud. ep. 7. alludit. Hinc Apocalypsis saepius (cf. 19, 20. 20, 10.) impios flammis sulphureque perpetuis cruciari fingit, cruciatibus inde quoque auctis, quod impii *coram piis* (angeli sancti Messiam cingentes, ut hoc loco dictum, homines etiam esse videntur beati) ita plectuntur; praesens enim beatae sortis, qua se continuo carere vident, aspectus et ipsis cruciatuum sensum auget et beatos ut feliciores se praedicent efficit, cf. idem 11, 12. Luc. 16, 23—26. Prior pars versus 11. desumta ex Jes. 34, 9. 10. ubi fumus Sodomorum (flammaeque impios Tartari urentis) continuo ascendens fingitur; altera de impiis nunquam ob cruciatuum onus quietis simul ex Jes. 66, 24. fluxit; cf. similia Enoch. 10, 9. 16. 53, 1—6. ubi reges impii Satanae adjutores in ignem infernum detruduntur. 89, 33-37. 99, 5. 7. 103, 5. 105, 21 sq. 66, 6. 14. p. 166. 167. ubi locus hic modo frigidissimus modo calidissimus dicitur. — V. 12. Apposite satis vates adjungit: *hic constantia elucet sanctorum*, qui et dei praecepta tuentur et fidem Jesu, i. e. Christianorum cf. 12, 17; quantum iis prosit inter gravissimas vexationes a fide integra non deficere, ex his oppositis malorum poenis evidentissime emicat; ut sententia simillima supra 13, 10. post poenas depictas addita erat. Cf. En. 40, 5. Ceterum legendum esse *τῶν ἁγίων ἐστίν, οἱ τηροῦντες*, ut una tantum totius versus sit enunciatio, supra p. 44. indicatum. — V. 13. Piorum salutem esse certam coelestis jam vox comprobat. Haec enim de piis nunc vexatis jam beandis spes certa ut injiciatur, summum est quod vates spectavit; salusque piorum haec speranda apte vel verborum pictura selecta poenis impiorum v. 10. 11. descriptis opponitur. Quoque haec dei de piis promissio gravius animos feriat, vates statim auditam hanc vocem divinam perscribere

jubetur, eadem scilicet elocutione ad homines fideliter perferendam. Quae eadem fictio in his epiphonematibus acutis et brevibus insertis redit 19, 9. 21, 5. *οἱ ἐν κυρίῳ ἀποθνήσκοντες* sunt *in fide christiana* (dum deus unus seu ejus unius cogitatio et studium iis inest) mortem obeuntes, martyres ut plurimum illo tempore, cf. 1 Thess. 4, 16. (ubi non martyres tantum sunt intelligendi cll. 1 Cor. 15, 23.) Eph. 4, 1. Difficilius vero de vocis *ἀπάρτι* notione et structura statuitur. Quam vocem si cum *ἀποθνήσκοντες* jungimus, *homines ab hoc inde tempore ut pii Christiani morientes*, non intelligitur bene, cur Christiani prius pie fato functi a salute intercludantur vel hic taceantur; si enim prius mortuos omisit vates quia eorum beatitatem supra 7, 9-17. descripsit, tamen *ἀπάρτι* frustra fere adjectum esset; et *νεκροί* monstrat vatem de *resuscitandis* cogitare. Neque enim licet verba cum Eichh. interpretari: *qui ad hoc usque tempus mortui sunt.* Neque placet cum Vitringa *ἀπάρτι* ad sequens *ἵνα ἀναπαύσωνται* trahere: *ab hoc inde tempore pie defuncti quiescent*, cum ipsa jam verborum junctura et imprimis *ναὶ*, quod ob vim semper ab initio ponitur (1, 7. 16, 7. 22, 20.), satis repugnent. Igitur haud dubitandum quin voce ad *μακάριοι* relata sensus hic sit: *beati pie defuncti* et porro defungentes (hoc enim partic. praesentis notat) sunt, *ab hoc inde tempore, mox!* cf. Matth. 26, 64. Joh. 1, 51. nempe quia jam aevum messianum proximum certissimumque est quo ut omnes mortui *resuscitati* judicis sententiam de forte futura aeterna ferent, ita pie imprimis defuncti salutem promissam experientur cf. 11, 15-18. 20, 4. 5. Possit quidem aliquis (cum Lamb. Bos. Beza etc.) opinari hic *ἀπαρτί* esse legendum, quod *exacte, perfecte, plane* notat et *numeris* imprimis apponitur exactis Herodot. 5, 53. cf. Lobeck ad Phryn. p. 20. Sed id sive ad *μακάριοι* sive ad *ναί* trahas, hic satis languet, scriptoribusque hujus aevi et ingenii (deest enim in LXX. et N. T.) alienum est. *τὸ πνεῦμα spiritus*, promissionem hanc repetens et confirmans, non est *beatorum anima* quaedam, quod ineptum foret in tali praecipue nexu, sed spiritus prophetiae, omnia haec vati ex fictione suggerens et dictans quasi cf. 2, 7. *ἵνα ἀναπαύσωνται ut requiescant* a laboribus, vexationibus suis (2, 2.), elocutio est jubentis, imprimis ubi verba quaedam in enunciatione jam praecessere cf. Eph. 5, 33. Gal. 2, 10; proprie est: hoc volo, ut —. *τὰ*

δὲ ἔργα *opera* vero vitae quod attinet, ea non cum morte piorum pereunt, sed ita eos in alteram vitam comitantur, ut fructus eorum et praemia in omnia maneant saecula.

2. 14, 14—20. Instat igitur vindictae ab impiis universis exigendae dies; *maturum* est tempus, matura quasi in quam falx demittatur seges messis tempore. Cujus singulae partes (c. 16.) quanquam angelis aptius quam ipsi Messiae demandantur, at bene tamen convenit, Messiam ipsum totam hanc simul vindictam *imagine* exigentem repraesentare. Igitur ut vindictam totius terrae *maturo jam tempore Messia auctore* peragi significetur, vates imagines duas similes hic inserit, in V. T. de hostibus jussu divino mature excidendis tam frequentes ut vatem eas in hac serie omittere vix potuisse facile videas. Exercitum, gentem, terram exitio destinatam et paratam, ut gladium solummodo delentem exspectet, vates cum *segete* (seu arbusto) *matura* messorem qui falcem immittat exspectante comparare solent, cf. Joel 4, 13. Amos. 8, 1. (Jes. 17, 5. 6.). Cui admodum affinis, latior tamen et terribilior etiam altera haec est imago: ut vindemiae tempore uvae maturae omnes decerpuntur (quod ita factum ut ne una quidem in vinea restet uva, per se jam imago est excidii hostium pleni Obad. 5. Jer. 49, 9.), collectaeque in torcular dejectae ita conteruntur, ut succus in lacum fluens inundet: ita hostium copiae contritae sanguis profluit, cf. Joel 4, 13. Jes. 63, 1—3. Quas imagines cognatas sicut Joel conjunxit pictura concisa et eleganti, ita vates noster una in visione ornatiores suoque consilio egregie adaptatas nectit. Primum enim Messias ipse prodit terram ut segetem maturam demetens v. 14—16; excipit eum angelus uvas decerpens conterensque ut sanguis multus profluat v. 17—20; uterque vero ita tantum opus hoc peragit, ut angelus ex templo coelesti (i. e. dei sede) prodiens mandatum ipsi divinum de opere exsequendo exponat. Quae fictio quid sibi velit ex his satis elucet. Praecipuus enim qui spectandus venit, sensus hic est, *maturum* esse exitium, ὅτι ἦλθέ σοι ἡ ὥρα τοῦ θερίσαι v. 15. ὅτι ἤκμασαν αἱ σταφυλαί v. 18. Apte vero simul Messias opus deinde angelo cedit exsequendum, cum ipsi deinceps angeli Messiae loco vindictam ipsam exsequantur c. 15. 16; quodque et Messias et angelus e mandato divino agit, partim ad ornatus similitudinem pertinet,

partim *deo jubente* omnia hac fieri dilucidius proponit [1]).

V. 14. Messias praedicatis et personae ipsius et hujus loci imagini congruis innuitur. Descendit nube alba amictus (cf. ad 1, 7. 10, 1.), idque praedicatum hic v. 15. 16. pro nomine ipso appellando continuatur; similisque est homini (cf. ad 1, 13. p. 99. not.). Capiti corona aurea imposita est, *victorem*, qualis hic prodit, Messiam notans (cf. not. ad 4, 4. 9. 7.), dextra falcem acutam gerit messis causa statim instituendae. Legi hic ex libri hujus indole posse νεφέλη καὶ καθήμενον-ἔχων, ex p. 43. 44. apparet, ut haec Griesb. recte restituisse putem; si vero hic aeque ac loco simili 1, 13. pro ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου codd. plures ὅμ. υἱὸν ἀνθ. legère video, quae lectio quomodo orta sit frustra quaeritur, vix dubito quin haec ipsa lectio a vate profecta sit; ὅμοιον ita pro ὡς positum putandum est. — V. 15. Angelus aptius simul mandatum divinum explicat quam ipse Messias; similiterque vates Messiae dignitatem ita ferre putat, ut uno momento omnia perficiat; quare angelo in altera imagine plura singula attribuere v. 19. 20. jure aptius est visum. Prodit angelus e *templo*, coelesti nempe, dei sede augusta, unde mandata summa exeunt cf. 15, 5. 6. 16, 1.; nam inde a 11, 19. palatium hoc jam in coelo patet terrasque omnes moderatur. πέμψον ex שְׁלַח Joel 4, 13. ductum *immitte* falcem segeti, quia tempus messis adest, nam ἐξηράνθη *aruit*, satis cocta et matura est (a culmis per aestivos colores bene tostis et arefactis desumtum, ut Hebraeis בִּשֵּׁל *coqui* est *maturescere*) *messis terrae*, ergo non agri singuli neque agrorum, sed *terrae* totius, gentium omnium, gentilium, ut jam imaginem re propria misceri videas; idque apertius etiam infra v. 18—20. Ipsam messem uno momento perfici cernimus v. 16; falce demissa messis terrae totius jam peracta est. Ceterum Messias hic dei mandata peragens sistitur, ut in evangeliis quoque passim totus patri subjectus cernitur; cf. 1 Cor. 15, 24. — V. 17—20. In alterius imaginis limine prodeunt angeli duo, quorum prior ad vindemiam

1) diversa quam iniit Storrius (in comm. theol. ed. a Velthusen Rup. Kuin. T. 5. p. 316—320.) interpretandi ratio auctoris menti contraria est. Ita quod cum Vitringa putat v. 14. non Messiam sed *angelum* introduci, haud dubie alienum est.

faciendam in templo divino falce instructus est, alter *ab ara* (ἐκ pro ἀπό posito cf. ad 9, 13.) appropinquat; cum enim vati locus a templo, e quo prior exiit, diversus eligendus videretur, angelum *arae* divinae nunc fumanti adstantem iramque propterea dei punientis fervidam (cf. τοῦ θυμοῦ v. 19.) afferentem eligit cf. 8, 3—5. 16, 7—9; unde per se patet ἔχων ἐξουσίαν ἐπὶ τοῦ πυρός significare angelum igni in altari coelesti adeoque omni qui in mundo reperitur ex coelo mananti praefectum; cf. Ascens. Jes. 4, 18. τρυγᾶν a τρυγή propr. *siccitas*, de frugibus siccis metendis, decerpendis, inprimis uvis amputandis et vitibus vindemiandis (v. 19.) dicitur, ut pro בָּצַר *uvas de vite colligere* LXX. Jud. 9, 27. Ipsa autem locutio: *amputa racemos vitis terrae*, *cum ad maturitatis fastigium* (ἀκμήν) *pervenerint*, eodem modo ex imagine et re ipsa commixta est quo v. 15. 16. Praestare autem videtur lectio ἤκμασεν. ἡ σταφυλὴ τῆς γῆς *maturuit uva terrae*, cum singularis ἡ σταφ. in imagine, qua de singula re dicta ad omnes similes pertinent, describenda poetae licitus sit, τῆς γῆς autem vates ob v. 15. 16. 19. vi quadam continuo repetiisse videatur. Altera lectio ἤκμασαν αἱ σταφυλαὶ αὐτῆς librariorum emendationem sapit. — V. 19. 20. Imago jam in fine paullatim rei propriae notationi cedit. Uvae conterendae projiciuntur in *torcular magnum* (de genere τὴν ληνὸν τὸν μέγαν cf. p. 46. cll. grammat. hebr. p. 308. 309. Gen. 30, 41. cod. Vat. similiter habet τοῖς ληνοῖς) *fervoris*, *irae dei*, dei punientis, ut verba τοῦ θυμοῦ τοῦ θεοῦ ex imagine supra v. 10. descripta hic repetita videantur; *calcatur* deinde *torcular* (cf. Celsii hierobot. T. 2. p. 439 sqq.) *extra urbem*, ut uvae fere in vineis conteri solent atque exercitus hostilis, qualem hac uvarum imagine adumbrari patet, extra urbem in campis profligari delerique; sicque ex massa hac contrita non succus uvarum profluit, sed, utpote ex exercitus strage ingente, *sanguis* succo uvarum huic similis (cf. Deut. 32, 14.); isque tam immensa copia profunditur, ut viri paene staturam excedat *ad equorum usque frena* assurgens (ut sunt fere equites in pugna tam atroci, cf. 9, 16; similiter Sil. Ital. 3, 705: multo fluentia sanguine lora), utque, quod immane prorsus est, *totam terram* inundet. *Totam* vero terram ut dicat vates, *stadia mille sexcenta* (ἀπὸ longinquitatem spatii *a re* denotat, ut Joh. 11, 18.) nominat, Palaestinae igitur situm describens, quam Hebraei seriores tradidere hujus

fere esse longitudinis (cf. Lightfoot ad h. l. Hieronym. epist. ad Dardan. Rosenmülleri biblische Alterthumskunde T. 2. p. 85.) [1]).

3. C. 15. 16. Nec mora; adest et ingruit ipsa vindictae ultimae ab impiorum copia repetendae dies. Impiorum terra vastanda, regnum destruendum, Urbs ipsa funditus evertenda est. Cujus poenae varia eaque, si cum Satana bestiisque duabus seu tribus illis impietatis impiorumque auctoribus summis (c. 12. 13) contenduntur, minora omnia attingentis partes singulas. cum non Messiae, sed angelis ejus exsequendas tradere par videatur, vates *septem angelos* hic inducit divino jussu vindictam hanc ultimam efficientes. Hi septem denique impiorum poenam, quam *inter septem* sigilla minitatam et praeparatam, interque *septem* angelos tubis canentes inceptam vidimus, totam perficiunt finiuntque; unde plagas septem, quibus ira (poena) dei perficiatur, justitiaeque laesae plenissime satisfiat, *ultimas* tenere dicuntur v. 1. Neque hac tantum ratione septem hae ultimae plagae ad septem visionum nexum primum c. 6. et alterum similiorem etiam c. 8. 9. se referunt, ut vatem in ter septem visionibus invicem nexis sibique respondentibus argumentum libri gravissimum complexum esse videas, sed *insigne* etiam simile, quo septem hi angeli distinguantur, aptum circumspexit vatis ingenium. Cum enim a vatibus pristinis deus puniens partim poculum vino fervido impletum ebriando et necando bibendum tradere (cf. ad 14, 8 not.), partim *iram* (poenam) ut aurae pestiferae halitum et aestum in urbem excidendam plenissimo gurgite inundante effundere (cf. Ez. 9, 8. 7, 8. 14, 19. 22, 31. 36, 18. Hos. 5, 10. Jer. 14, 16) dicatur, ira dei fervida seu poena haec ultima e phialis septem in terram effundenda inter angelos hos septem aequaliter di-

1) Si quomodo vates e *Palaestinae* finibus terrae in qua Roma devincenda sit, Italiae igitur, quod videtur, spatium emetiri potuerit quaeritur, interpretes vatem id e Judaea quam optime norit ad Italiam traduxisse putant, id quod et ipse p. 35. ita statui. Sed si vatem Antichristum in ipsa Palaestina moraturum esse et victum iri putasse (cf. p. 202 sq. dicta et Lactant. inst. 7, 19.) tenemus, Messiamque non alia nisi in terra sancta appariturum exspectari reputamus, sententia multo est planior nec est quod ad argutias illas confugiamus. Pateique etiam ex his, *urbem* hoc versu memoratam Hierosolymas esse, cujus quidem mentio hic satis est apta.

stribuitur (cf. Targ. Jonath. ad Jes. 51, 17). Quem irae divinae plenis modis sese exonerantis finem afferentes angeli satis distincti sunt a septem similibus poenam annunciantibus et incipientibus c. 8. 9. Nec prorsus novum hoc vatis commentum; nam Judaei jam ante Ch. n. quidam multique seriores de angelis (spiritibus) poenae impiorum exsequendae destinatis loquuntur (cf. prae ceteris Jes. Sir. 39, 28.: *ἔστι πνεύματα ἃ εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισται· καὶ ἐν καιρῷ συντελείας ἰσχὺν ἐκχέουσιν καὶ τὸν θυμὸν τοῦ ποιήσαντος αὐτοὺς κοπάσουσιν*; Enoch 52, 3. 54, 4. 61, 14. 62, 1 (ubi *angeli irae* dicuntur). 65, 1. 102, 3. 4; testam. XII patriarch. in Fabric. cod. ps. V. T. p. 547), ut artem tantum qua vates omnia pertexuit locoque inseruit apto admireris. Sed tali poenae ultimae descriptioni gravissimae ut digne satis praeludatur, vates visiones duas praevias inserit, quarum prior justitiae, quae jam sese manifestet, divinae laudes celebrat, altera propius jam ad septem istos angelos inter irae dei implacabilis imagines procedentes accedit describendos. Igitur praemissa v. 1 angelorum consiliique quod effecturi prodeunt mentione brevi (*σημεῖον* v. ad 12, 1):

a) 15, 2—4. christiani martyres exantlatis in terra vexationibus beati coelicolarumque summorum odas sublimes imitantes dei vindicis justitiam celebrantes cernuntur. Jamque ipso facto elucet quam venerandus timendusque sit deus poenas promeritas procrastinans, non tollens negligensve. Similia operis hujus fini summo admodum consentanea saepius occurrunt cf. 11, 18 et supra p. 21. Beati christiani canentes citharasque (v. 5, 8.) modulantes loco ipsis digno conspiciuntur, in dei et coelicolarum summorum vicinia. Quem locum augustum vates *mari vitreo* assimilavit seu nubibus pellucidis candoreque eximio micantibus (cf. ad 4, 6 not.), cujus tamen pavimenti divini candor limpidus qualis prius 4, 6 erat, jam cum ira dei ferveat ignisque cum fumo ex visionum harum descriptionibus omnia in dei vicinia impleat (8, 4. 5. 11, 19. 14, 18. 15, 8. 9), apte *igne* commixtus turbatusque cernitur. *οἱ νικῶντες ἐκ τοῦ θηρίου qui superiores recedunt a bestia*, junctura quadam duriore et insolita dictum: qui a bestia se vinci non patientes jam ab ejus furore liberati beatique in coelo sunt, quos hic ut 14, 1—5 in coelo jam versari vates fingit; ceterum cf. 13, 14—17. 14, 9—11. — V. 3. Oda haec quae *Mosis*

dicitur, non una ex canticis in V. T. Mosi tributis, velut Exod. 15, quod multi voluerunt, dici potest; id enim praeter alia hic propterea ineptum esset, quod Messiae canticum simile huc non collinearet nullumque revera quod Messias in terra cecinerit afferri potest. Sensus potius genuinus hoc fert, beatos hos canticum hoc a Mose Messiaque praeitum repetere; sublimes scilicet quas coelicolae summi effantur dei laudes nemo nisi beati intelligere imitandoque repetere (cf. praec. μαθεῖν 14, 3.) potest. Quodque hic Messias inter coeli coryphaeos deum collaudantes numeratur haud mirum; saepius enim is deo servire dicitur cf. ad 14, 15. not. Ipsa autem singula hymni verba ex V. T. depromta sunt, ut μεγάλα καὶ θαυμαστὰ τὰ ἔργα σου ex Ps. 106, 22. 111, 2. 139, 14. 136, 4. remotiora sunt loca Ex. 15, 11. Deut. 32, 4. δίκαιαι καὶ ἀληθιναὶ αἱ ὁδοί σου *rationes quibus agis* justae sunt et quibus confidi possit ex Ps. 119, 75. Deut. 32, 4; *rex gentium* τῶν ἐθνῶν (cf. Jer. 10, 6—10) quod hic dicitur deus, hoc sibi vult, eum omnibus terrae gentibus imperantem poenam quoque qua nunc gentiles plectendi sint irrogare justam, ut in membrorum parallelismo nomini ὁ παντοκράτωρ respondeat; male librarii quidam, quasi deus qui Christianorum sit, gentium minus bene dicatur, ἐθνῶν in αἰώνων vel ἁγίων mutarunt; accedit quod v. 4. quoque ἔθνη a quibusdam temere sublatum est. — V. 4. *Quis te non timeat* (κύριε hic ut 16, 5 melius cum codd. paucis omittitur) *nomenque tuum* (majestatem tuam simul indicans) *celebret*, ex Jer. 10, 7. desumtum, ut tamen simul moniti illius de deo vero unice colendo 14, 7. ratio habeatur. Causa triplex adjungitur per ὅτι ter ita positum, ut tertia causa secundam simul explanet: *nam tu solus sanctus es, judicia* ergo aequa, quod ex sancti idea promanat, semper exercens, (τὰ δικαιώματα מִשְׁפָּטִים judicia exercita), quod te nunc in puniendis impiis piisque beandis facere *manifestissimo* exemplo videntes *gentiles* tui admiratione moti *venerabundi ad tuum se convertent cultum*; haec enim pulchra est quam de meliori aevo concepere vates spes, gentiles manifestis quibus deus vel puniens se solum verumque esse prodat, indiciis et testimoniis permotos olim ad cultum ejus sincerum adspiraturos esse (cf. Ps. 86, 9. et supra p. 129 notata ad sententiam de Judaeis simillimam); ut vatem gentilium tantum impiorum qui nullis se corrigi patian-

tur minis et poenis (cf. 9, 20. 21. 16, 9. 11. 21), perniciem cupere et ominari videas.

b) 15, 5—8. Post haec prodeunt ipsi angeli eo quo decet apparatu instructi fumoque spisso, irae dei continuo ardentis et fumantis signo, per totum quo plagae ultimae saeviunt tempus templum coeleste implente. Hoc igitur hic gravissimum est, iram divinam *implacabilem* jam saevire, vel ex imagine vati amata ignem coelestem, quem in ara divina suscitatum paullatimque crescentem visio septem tubis poenam incipientibus praevia 8, 3—5. descripserat, jam inter poenas ultimas saevientes summo aestu ardere fumoque templum ipsum implere. — V. 5. *ὁ ναός* non est qui alibi simpliciter dicitur, sed plenius describitur addito *τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου* i. e. אֹהֶל מוֹעֵד, ut LXX vertunt Exod. 29, 10. 11. 32 etc. ergo *id templum*, in quo tabernaculum foederis est i. e. *adytum intimum*. Notio e Mosis tempore ducta. Qui cum dei oraculum in *tentorio conventus* (colloquii et consultationis מוֹעֵד, quod LXX cum עֵדוּת Ex. 25. 22. male confundentes *μαρτυρίου* verterunt) quaesivisse et accepisse tradatur, ut is locus unde voluntas decretaque divina prodeunt sanctissimus haberi possit, angeli etiam hi decreta de plages septem ultimas infligendi ratione divina in templo coelesti, una cum arca foederis (cf. ad 11, 19) tentorium illud mosaicum (quod de templo Salomonis idem refertur 1 Reg. 8, 4.) continente omninoque e mosaici temporis imaginibus adumbrato accipere dicuntur. *Aperiri* vero simul hoc consilio dicitur templum, ut fumus spissus eum implens v. 8. cerni queat. — V. 6. Cum e sede dei sanctissima prodeant angeli, eos *sacerdotum* formam gerere muneraque obire par est; nam sacerdotibus tantum sanctum sanctorum adire licet (Lev. 16, 2 sqq.) Habent igitur potissima duo sacerdotum insignia, *linum purum candidum* seu byssum, ut sacerdotes sanctos externa quoque forma purum omne et candidum monstrare et aemulari decet (Exod. 29, 27. 28. Levit. 6, 3), et *baltheum altum* vestem hanc byssinam promissam sustinens Exod. 28, 39. cf. Braun. de vestitu sacerd. p. 382. — V. 7. Patinas has, *aureas* ut omnia fere in coelo, poena (ira) divina repletas apte non deus angelis tradit, quod majestati ejus in hoc libro descriptae parum fuisset congruum, sed unum ex animantibus quatuor throno divino

proximis, cf. supra p. 137. 38. θυμός, quo patinae repletae sunt effundendo, non *venenum* significare videtur, quod חֵמָה fortasse notat Job. 6, 4, sed *fervorem* (cf. ad 14, 8 not.), *iram* (poenam); imaginem enim a vino in poculo dei aestuante jam per patinas septem distributo desumtam esse, probabile admodum est ex omnium visionum harum nexu, v. 14, 8—10. 19. 16, 19. 18, 3—6. — 8. Iram dei saepius *ignis* (ex fulmine imagine deducta) et hinc etiam *fumus* significat, qui nubium instar majestatem simul divinam ab oculis mortalium arcet cf. Deut. 29, 19. Jes. 65, 5. Ps. 18, 9. 74, 1. Igitur arae divinae, cujus flammae nunc ardentissimae emicant, fumus totum implet templum, ut a nemine ante poenam perfectam intrari possit; tam implacabilis est dei ira aestuans, ut nemo deprecaturus templum divinum ingredi et supplices ad deum palmas tollere audeat. Quibus verbis vatem ad imaginem de fumo irae divinae signo 8, 3—5 inchoatam et hic arte fictionis insigni pertextam respexisse, supra jam indicavi; neque de fumo tantum, qualis alibi dei terrae appropinquantis *majestatem* velare dicitur (Ex. 40, 34. 35. 1 Reg. 8, 10. 11.) cogitandum esse facile apparet. Poenae hae justae quia dei majestatem (כָּבוֹד, δόξα) aeque ac potentiam insigniter demonstrant (cf. v. 3. 4. 11, 17. 18.), ut deus potentem se probaturus poenas has irrogare videatur, templum gravius non per *iram* aestuantem, sed per *majestatem* dei et potentiam nunc in ira acrem, vegetam, conspicuamque fumo impleri dicitur.

c) 16, 1—21. Nil jam obstat quo minus septem angeli hi patinas septem ita in terram (cf. idem in imagine 14, 15—19.) effundant, ut quaeque patina evacuata plagam unam efficiat. Vox igitur alta e templo divino progrssa angelis ut plagas patinis effundendis efficiant mandat v. 1. (cf. 8, 6.). Quae vox cujusdam esse possit nisi dei seu potius *Messiae* ejus aequalis? cujus tamen nomen hic (ut v. 17. cll. 6, 6. 9, 13. 18, 4. 19, 5. ibique not.) ob ipsam majestatem grate reticetur. ἑπτὰ quod Griesb. inserendum putat, librariorum potius emendationem sapit. — Singulae hae septem plagae [1]) v. 2—21. ut septem illis quas tubae detonuerunt praeviis c. 8. 9.

1) cf. similes descriptiones de calamitatibus ultimis Enoch. 79, 3—10. 4 Esr. 5, 1 sqq. 9, 3 sqq. 14, 10. 14 sqq. 15, 5 sqq.

respondent, ita eadem prorsus ratione adornatae et descriptae snnt. Quo enim apertius inchoata ibi et levius tentata hic impleri et perfici videamus, vel singularum plagarum distributio et pictura amice sibi respondent. Igitur *quatuor* priores plagae v. 2-9. *totum* mundum hominum in noxam infestant; *tres* posteriores gravissimae v. 10—21. propius ad *Romanum* imperium Romamque accedunt funditus evertendam.

α. Quatuor illae priores eadem quidem prorsus qua tubae his respondentes 8, 7-12, Aegypti plagas imitantes (ut Judaei ultimas in rerum fine plagas cum Aegyptiacis contendebant cf. Schöttg. hor. p. 1130. 32.) *terram, mare, fluvios* et *coelum* (vel solem) i. e. mundum totum attingunt, tribus iterum prioribus v. 2—7. eodem modo propius junctis et a quarta paullum distinctis (cf. p. 174.): at jam non tertiae terrae parti, ser *toti* nocent; poenaque singulis mundi partibus inflicta non tam has in hominum noxam infestat quam homines ipsos; ut jam omnia immaniora cernas et ultima. Hoc vero inter omnes plagas has ultimas multo saepius et gravius monetur, impios his quoque justissimis licet poenis obstinatum animum haud mutare, imo impietate summa seductos in deum vehementius exacerbari v. 5. 7. 9. 11. 14. 21. cll. 9, 20. 21. — V. 2. *Prima* plaga *terram* continentem ita afficit, ut cutis hominum impiorum Antichristum colentium (13, 14—13. 14, 9. 10.) ulceribus pestiferis (*κακὸν καὶ πονηρόν, admodum noxium,* insanabile cf. רַע Deut. 28, 35. pro quo אֲשֶׁר לֹא תוּכַל לְהֵרָפֵא v. 27.) obtegatur. Tali enim lepra vel elephantiasi Aegyptiis terris humidioribus frequente Aegyptios olim a deo plexos esse antiqua ferebat traditio Exod. 9, 8—11, ut Israelitis etiam impiis jam pristinis aegyptiacam hanc plagam minatus sit scriptor Deut. 28, 27. 35. Sed quomodo cum patina hac vel fervore quem continet aestuante haec poena cohaereat profecto non est quod quaeramus. *ἐγένετο εἰς* est quod nos dicimus *ortum est, venit ad homines,* ut הָיָה אֶל Jer. 1, 4. 11. ne *εἰς* pro *ἐν* positum putes. — V. 3. *Secunda* plaga *mare* in sanguinem convertit, vivum omne sanguini bibendo haud assuetum necans; quod hic eodem ex fonte descriptum est unde eadem fere imago in tubae secundae mentione fluxit 8, 8. 9. *αἷμα ὡς νεκροῦ* est *sanguis* multus, quasi

interfectorum magna clade cadentium sanguis infusus sit. Ceterum pro ψυχὴ ζῶσα praestat procul dubio ψ. ζωῆς, ductum ex נֶפֶשׁ הַחַיָּה *anima vitae*, animal vivum Gen. 1, 21. 30. ubi cave חיה adjectivum habeas. — V. 4. *Tertia* plaga affinis admodum aquas in terra continente omnes eodem modo in sanguinem convertit eandem noxam exitiumque, ut per se patet, bibentibus afferentem. Qua in imagine quod vati non variare (ut 8, 10. 11.), sed eandem *sanguinis* mentionem repetere placuit, inde potissimum factum videtur, quod sanguinis in imagine mox v. 6. depingenda optimus erit usus. Cum enim, quod supra jam indicatum est, *trium* harum plagarum numerum sanctum a quarta sejungere placeret vati, apte hic v. 5–7. epiphonemata quaedam inseruntur, quam juste sint hae poenae inflictae monitura (cf. 15, 3. 4.). Primum enim v. 5. 6. imagine satis congrua et pulchra angelus aquis his (v. 3. 4.) praepositus (ut angeli omnibus mundi partibus praepositi sunt, cf. not. ad 1, 18. 5, 13. 7, 1. 9, 11. 14, 18. Schöttg. hor. p. 1131.) non queritur de elemento suo turbato et inquinato (ut Xanthus fluvius apud Homerum, et mare apud Habac. 3, 10. ex interpretatione mihi unice vera visa), sed potius summam dei potentissimi, aeterni (ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν v. not. ad 1, 4.), sancti justitiam in hoc decreto conspicuam celebrat; gentiles enim qui cum sanctorum omnium tum prophetarum potissimum christianorum coetum adhortantium fideque summa insignium (cf. 11, 10. 18. 18, 20. ibique not. 24, ipse vates se ex horum numero esse dicit 22, 6. 9.) *sanguinem* insontem profuderunt, digni sunt qui aquis sanguine dei jussu inquinatis pereant aequam sic luentes poenam (18, 6.). Deinde v. 7. angeli hujus effatum alius ex coelicolis summis repetit confirmatque, fere ut post angelorum omnium concentum coelicolae hi Amen ultimum pronunciant 5, 14. Talis enim maximae dignitatis angelus ut innuatur, vates dicit ἤκουσα τοῦ θυσιαστηρίου *altare dicens audivi*, nempe vocem progressam a coelicola arae divinae adstanti, quales deo proximos divinorumque de poena imprimis fervida consiliorum gnarissimos esse ex 8, 3—5. et praec. 14, 18. apparet. Vulgata ante Griesb. lectio ἤκουσα ἄλλον ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου quomodo explicanda sit, p. 182. indicavi; sed haud dubitandum, quin voces ἄλλον ἐκ sermonis sensum emollientes e glossemate textui insertae sint. ἀληθ. κ. δικ. v. 15, 3. — V. 8. 9. *Quarta* plaga *solem* ut coeli sidus potissimum sic

afficit, ut non tenebrae ex solis defectu, ut supra tuba quarta clangente 8, 12. (tenebras enim quintae plagae v. 10. reservare potius visum est), sed *aestus* ingens ex solis ardore aucto oriatur. Aestus enim molesti et saepius morbos cientis graviores ventorumque siccorum et amburentium tantus est in illis regionibus horror, ut haud facile in plagarum extremarum mentione omitti possint (cf. Mal. 3, 19. Eisenmeng. Judenth. T. 2. p. 701). Effundit angelus patinam ἐπὶ i. e. עַל τὸν ἥλιον *in solem*, supra quem constitit; quae enim hic geruntur, in coelo summo, dei sede solis linea multo altiore, geri cogitanda sunt. πῦρ de aestu solis intellige gravius paullo dictum quam καῦμα; ipsa junctura est hebraea בָּעַר בָּאֵשׁ cf. 17, 16. 18, 8. Sed homines licet ingenti et intolerabili aestu tosti vexatique animum perversum non mutant, ut dei potentiae signa haec edentis majestatem agnoscant celebrentque (δοῦναι δόξαν cf. 11, 13.); obcoecati potius exacerbatique *maledicunt* dei hujus nomini et majestati. Sic igitur dum Hierosolymae incolas levi dei poena territos ad mentemque redeuntes saniorem servatos videmus 11, 13, gentiles hi obstinato suo animo corrigi nescio exitii sui ipsorum auctores sunt; apteque satis ita ad graviores plagas tres reliquas transitum sibi pandit vates, sicut similiter sex priores tubarum plagas mentis hujus obcoecatae mentio clauserat 9, 20. 21.

β. Tres ultimae plagae propius ad caput rei, Romanum imperium ipsamque praecipue *Romam* Urbem puniendam evertendamque accedunt. *Quinta* enim v. 10. 11. *tenebras* spissas, quarum terrorem jam quarta tuba clangente praesensimus 8, 12, cum toti imperio Romano tum *Urbi* molestissimas immittit. Tenebras enim ut Romae potissimum nocere atque ex capite hoc terrarum in omnes terras dispergi vates significet, patinam in *thronum bestiae* (i. e. potentiae Romanae, Imperatorum, Neronis c. 13.) seu in caput sedemque imperii, Romam Urbem, effundi fingit. Locutio simillima reperitur Enoch. 61, 11—18. 62, 8. 15. Sed terribili hac poena iterum non territi (οἱ ἄνθρωποι v. 9. gentiles impii), sed exacerbati et ad desperationem redacti *manducabant* (μασσᾶσθαι, rectius tamen μασᾶσθαι, ex eodem etymo unde latinum *mandere* Theoph. char. c. 20. Arist. Plut. v. 320.) *linguas suas* (quod facere solent graviter indignati doloreque rabido cerebro exagitati, ut eodem modo dicitur *labia mordere*

schol. ad Arist. Vesp. 1078.) ἐκ τοῦ πόνου ob laborem, aerumnam hanc molestam. Omninoque quo plures calamitates urguent, eo obstinatior coeciorque est eorum mens Pharaonis instar olim frustra plagis Aegyptiacis admoniti; unde v. 11. ob labores hos omnes jam v. 2—10. enarratos et ulcera imprimis gravia v. 2. mente a sana ratione aliena deo maledicere dicuntur. — Gravius ergo sequatur necesse est infortunium. Bellum enim Romano imperio exitiale *sexta* plaga v. 12—16. infligit. Concisius paullo et obscurius belli hujus ortus, consilium et exitus, qualia ex vatis mente cogitanda sunt, hic describuntur: collato tamen loco 17, 12—17. qui idem hoc uberius exponet, de vera locorum horum difficilium interpretatione ambigi nequit. Haec enim de futura Romani imperii Romaeque sorte auguratur vates. Nero ubi ex Oriente redux imperium Romanum et Romam praecipue, quae Caesarem suum ingrata necare meditata est, invasurus accedit, non reges tantum Orientis Romanis haud subjecti, Parthorum praecipue, copiis suis eum adjuvabunt, sed mox provinciis quoque Romanis praefecti summi regia dignitate et nomine insignes cum Nerone tam miro modo reduce tantisque jam Orientis subsidiis aucto vires consociabunt, ut exercitus Neronis regumque horum omnium conjunctus *Romam* ingratam invadat et exscindat. Sic Roma suis viribus succumbet gentiliumque Imperator urbem gentilium praecipuam delebit. Et Orientis reges Neronem regno restituturos esse ex temporum illorum fama hausta est spes; provinciis vero praefectos cum Nerone sic reduce omniumque stuporem et admirationem movente arma consociaturos esse proclivis admodum erat quaeque jam inter plures agitata fuisse videtur exspectatio (cf. omnino §. 7. p. 47—50; solentque sic vates hujus temporis et ingenii tyrannorum exitium per dissidia internecina inter ipsos ortura praeparatum iri ominari, cf. Enoch. 10, 13. 4 Esr. 13, 32.). Quae omnia satis longa ut brevius in brevi, quales hac in serie omnes sunt, visione adumbret vates, primum v. 12. *reges ab Oriente* Neronem sustentaturos Euphratem transgredientes depingit. Atque ita visio haec ab his Romae hostibus ex Oriente minantibus incipiens amicissime visioni de tuba *sexta* eadem serie positae respondet 9, 13—21. cf. p. 183. Qui prius hostili animo ditionem Romanam vastavere, iidem jam Antichristum comitantes ad Urbem destruendam accedunt. Patetque jam facile, *reges* Orien-

tis esse de Parthorum potissimum, Armeniae terrarumque adjacentium regibus intelligendum. Quoque celerius et securius hostes hi nominis Romani ad Romam evertendam non sine nutu divino accedentes Euphratem transeant, fluvius hic rapidus et maximus dei jussu *exsiccatur*, aqua sic dilabente ut via sicco pede transeundi pandatur. Quod quomodo fieri possit non est profecto quod quaeramus; sufficit hic tenere vatem id ex maris rubri olim ad viam Israelitis sternendam vento dei fervido siccati Exod. 14. exemplo duxisse. Idem de Euphrate Israelitas in Assyriorum ditione retinente finxerat Jes. 11, 15. locusque huic nostro simillimus reperitur in 4 Esr. 13, 44—47. — V. 13. 14. Jam vati innuendum erat, Neronem his subsidiis auctum provinciis [1]) praefectos ad suas partes trahere, ut cum horum omnium copiis Romam adoriatur. Sed hic novum videas vatis commentum. Bestias enim tres conjuratas c. 12. 13. totidem spiritus malos faucibus emittere fingit, qui omnes orbis terrarum reges (provinciis praefectos) obsideant fascinisque eo perducant ut viribus junctis Neronique consociatis Romam adoriantur. Quae fictio quid sibi velit facile apparet. Videntur scilicet praefecti hi repente universi ad Neronis signa conversi Urbemque vastaturi *fascinis* seducti esse; cumque bestiae illae tres uno ex animo unaque ex sententia agant, ut Antichristus quoque et pseudopropheta Satanae malos spiritus moderantis potestate gaudeant daemonum instar minorum (c. 13.), quid quaeso obstabat quo minus tres hi spiritus malos principibus terrae fascinandis suoque subjiciendis arbitrio (ut verbis dilucidis explicatur 17, 12. 13. 16.) immittere fingantur? Elucet igitur hic opinio Judaeis tunc temporis trita, spiritus malos a daemone quodam vel Satana emissos corpus intrare hominemque seducere; unde *δαιμόνιον εἰςέρχεται εἰς* Luc. 8, 30. (hic v. 14. *ἐκπορεύεται ἐπὶ*, quod tamen simul hoc notat: ex ore egressum *occupat* principes, יָצָא עַל cf. gr. hebr. p. 610.), et vice versa *ἐξέρχεται, ἐκβάλλεται ἐκ* Luc. 8, 38. 11, 14. Marc. 7, 30. Mat. 17, 18. Spirituum malorum a Satana sociisque duobus emissorum formam quam viderit depicturus vates cum *ranis* eos comparat. Ranae enim, quod animal detestandum, invisum, impurum haberi solet, speciem vocemque

1) orientalibus potissimum, Asiae, Africae, Graeciae; sed hae homini asiatico facile maximae videri poterant.

spiritum malum maxime referre putatum esse non mirum est (cf. Artemid. oneirocrit. 2, 15.); proximeque ad hanc fictionem illustrandam facit narratio talmudica simillima in Eisenmeng. Judenth. T. 2. p. 406. Sequentia verba v. 14: *εἰσὶ γὰρ πνεύματα δαιμονίων ποιοῦντα σημεῖα sunt enim daemonum spiritus qui miracula efficiunt* haud dubie hoc sibi volunt: *impuri* sunt spiritus, quia a daemonibus malis profecti, ut statim narrabitur, miracula edunt principibus fascinandis; simulque ita intelligitur, hos spiritus non ab hominibus, Antichristo et pseudopropheta, profectos esse, sed a daemonibus proprie eos insidentibus. Post haec orationis series pergit: (vidi eos, spiritus mali daemonum) *prodire et occupare reges* (principes et praefectos Romanos quos reges dici posse jam supra ad 13, 1. notatum est, apertiusque id infra 17, 12—16. a vate explicabitur) *totius terrarum orbis* (romani scilicet ex usu loquendi constante cf. Act. 17, 6. 24, 5.), *ut eos concilient* junctosque (*συνάγειν* cf. 19, 19. 20, 8.) ad bellum adducant Romae inferendum 17, 16; quod tamen bellum quia deo omnia moderante ad poenam divinitus infligendam poenaeque divinae tempore destinato Urbi infertur, gravius aeque ac vatis per signa loquendi genere dignius dicitur *bellum diei illius magni*, terribilis, *dei potentissimi*, sicut prophetae veteres diem seu tempus quo impii calamitate vel hostibus divinitus immissis ad internecionem delentur, יוֹם יְהוָֹה nominaverant Joel 1, 15. 2, 1. Jes. 13, 6. praec. Ez. 13, 5. Zef. 1, 7. Cf. infra 17, 17. Appositum *ἐκείνης* ex sueta formula dicendi *ἡ ἡμέρα ἐκείνη* fluxit, remque futuram hic describi docet. Ceterum pro *ἃ ἐκπορεύεται* unice verum esse puto infinitivum *ἐκπορεύεσθαι* ex *εἶδον* v. 13. pendentem. — V. 15. Tam properus igitur, inopinatus certusque Romae instat interitus a deo Messiaque constitutus! Quam vere igitur supra jam 3, 3. Messias se repente *furis* instar *impio et securo* superventurum esse dixit (cf. p. 126.); quam vere jam constat fuisse supra 3, 2. monitum, felicem non esse praedicandum nisi *vigilem*, sobrium piumque, peccatis se seduci, pollui, infamem fieri non sinentem, seu ex imagine vigilantis continuata eademque supra 3, 18. jam delibata: qui vestibus suis decore servandis invigilat, ne nudum eum foedumque videant despiciantque Messias piique ceteri. Vestes enim corpus decorant

partesque inhonestas obtegunt, Gen. 9, 22. 23. Hab. 2, 15. 16. maximaque meretricis, qualis Roma est c. 17, infamia et poena vestium ornatuumque detractio habetur Jes. 3, 17. 47, 2. 3. Hos. 2, 12. Nah. 3, 5. Jer. 13, 26. 27. cf. infra 17, 16. Quare haec e sacerdotum, quibus vigilandum semper et vestibus totum corpus tegentibus incedendum erat, imagine desumta esse (ut vult Schöttg. hor. I. p. 1132.) haud puto. ἀσχημοσύνη *deformitas*, apud LXX. Ex. 20, 26. ponitur pro עֶרְוָה *nuditate*, quae simul foeditas et deformitas visa est. Sic pulchre vates quod in prooemio c. 2. 3. monuit, facto comprobari docet, iisdemque verbis ad effata illa provocat. Qua arte ab hoc inde loco ad finem usque frequenter utitur. Id autem quanquam facillimum agnitu, tamen, quia interpretes vulgo perperam hoc neglexere, gravissimum notatu est, totum hoc epiphonema insertum ad ultima v. 14. verba τῆς ἡμέρας τοῦ θεοῦ pertinere. Diei hujus divini seu pugnae Romae instantis mentio sola sententiae insertae ansam dedit, ita ut et argumentum hujus v. 15. alienum esse nequeat et oratio post inserta haec verba v. 16. serie haud interrupta pergat. Consilium enim principes regesque omnes adversus Romam convocandi (συναγαγεῖν) v. 14. descriptum jam v. 16. ratum fit: confluunt omnes ad Romam evertendam (17, 16; συνήγαγεν sc. τὰ πνεύματα v. 14. spiritus hi fascinantes sociatos ad Romam invadendam convocarunt). Sed noluit vates Romam ipsam hic nominare, infra demum c. 17. paullo dilucidius certiusque innuendam; unde obscurius: *conduxerunt eos ad locum hebraice Harmageddon* (הַר מְגִדּוֹ) *dictum*. Situs hic vicus juxta Taborem montem in tribu Manassis Jud. 1, 27. Jos. 12, 21. 1Reg. 4, 12. 9, 15; 2Reg. 9, 27. 3Esr. 1, 27; infamisque satis est ob clades ibi exercitibus inflictas gravissimas. Ibi enim olim Debora Israelitarum hostes devicerat Jud. 5, 19; et Josias rex a Pharaone Necho strage tam tristi et terribili profligatus occisusque est 2Reg. 23, 29. 30. 2Chron. 35, 22, ut serius etiam cladis hujus memoria exemplo inserviret Zach. 12, 11. Nonne ergo vates nomine hoc Romam designare poterat quae clade tanta occasura sit quantas locum Harmaggeddon afflixisse historia narrabat? [1]) Alibi quidem non הַר *mons*, sed

1) Facilior sane esset ratio, si nomen symbolicum Romam certius et consuetius denotans positum esset. Igitur aliquando

בִּקְעַת *vallis* vel מֵי *aquae Megiddonis* praefigitur; sed cum totus ille tractus montibus abundet, nomen quoque הַר praefigi potuisse videtur potestque vates hanc nominis formam ex libris vetustis nunc deperditis hausisse videri. Praeivit Joel 4, 2. 12. locum quo hostes vincendi sint vallem Josaphati nominans. — Ad hos autem Romae hostes diros exitium minantes *septima* plaga v. 17—21. accedit gravissima et ultima, tempestatem afferens terraeque motum divinitus excitatum tam immani vi saevientem ut Roma cum aliis urbibus tota collabatur. Sic Urbs impia inter signa simul dei irati manifestissima corruit! Quae quidam signa supra jam saepius memorata hic, ut res ipsa postulabat, tam immani furore degrassari finguntur, ut iram dei supra excitari paullatimque crescere, hic ad summum fastigium adductam furere et desaevire videas. Signa haec dei irati quia in *aere* plurima conspiciuntur, patina haec ultima in *aerem* effunditur; resonatque statim vox alta e templo, imo throno divino exiens (v. ad v. 1.): *γέγονε actum est!* finis exitiumque Romae certum adest, revocarique nequit. Coelicolae enim quid fiat signo vix edito jam sciunt 11, 15—18. Cum tonitribus fulgoribusque terrae motus tam immanis oritur, ut nullus in hominum memoria similis unquam ortus sit, quod fusius vates monet; ergo supra memorati 6, 12. 8, 15. 11, (13) 19. cum ultimo hoc comparari nequeunt. Qua tempestate terraeque motu v. 19. Roma, *urbs magna* seu *Babylon magna* (cf. ad 14, 8. ubi quod praedictum erat hic ratum fit) *ἐγένετο εἰς τρία μέρη* i. e. *rupta*, scissa, diruta cadit (ut נִבְקַע *disrumpi* est disjici, vastari, lacerari 2 Chr. 25, 12.); simulque cum ea ceterae minores

de *Magdiel* (LXX. μαγεδιηλ) Gen. 36, 43. cogitavi, quo vici Edomitici nomine ut aliis Edomi terraeque Edomi nominibus plurimis Judaei Romam significare consuerunt cf. Eisenmeng. Judenth. T. 1. p. 733. Sed nomen tamen paullo diversum est. Unde vatem puto simul etymologiam vocis compositae pressisse, ex quo notare potest: *mons multitudinis confertae*, quo apte satis Romae septicolli et incolis refertae 17, 1. 9. alludatur. Certe vatem non *historicum* tantum vocis sensum vimque respexisse monstrant verba τὸν καλούμενον ἑβραϊστί alioquin frustra adjecta; veteresque jam interpretes (cf. Andr. comm.) nomen etymologice interpretandum viderunt, quanquam male ex chald. חַרְמָא *excidium* derivantes. Vitringa minus bene *montem excidii* (גדוד = גזר) interpretatur.

urbes *gentilium* (ἐθνῶν cf. 11, 18.) evertuntur. Atque ita Roma quam poenam meruit e poculo vini fervidi hausit, allusione ad descriptionem praeviam 14, 8—10 satis conspicua; cumque deus criminum Romae quae quia nimia sunt terra ferre amplius nequit (cf. 18, 5.), ob quae angeli martyresque beati ardentius semper dei vindictam imploraverant 5, 8. 6, 9. 8, 3. 11, 18, jam tandem poenam dudum promeritam oblivione tamen hucusque, ut videbatur, tectam exsequatur, quasi *memor factus* ei poculum porrigere dicitur. Cf. Enoch. 96, 2. 4. 97, 4. 39, 4. 40, 6. 47, 2. 4. Jes. 26, 21. — V. 20. 21. Redit sermo ad tempestatem horrendam terraeque motum aliis duabus imaginibus describendos. Ob terrae motum ingentem insulae submerguntur montesque tremefacti concidunt et evanescunt, id quod minus graviter jam in praeludio accidit 6, 14. Grandoque aegyptiaca Ex. 9, 18, quae jam supra 8, 7. 11, 19. saevire coepit (cf. Jes. 28, 2. 30, 2. 30. 32, 19. Jos. 10, 11. Jes. Sir. 39, 29.), hic molis immanis est; quodque enim granum talenti fere pondus habet (talentum argenti graecum complectitur 53 pondo; alias veteres grandinem ponderis insueti descripturi dicunt χάλαζα μνααία, *unius minae* s. pondo Diod. Sic. 19, 45.) i. e. oneris ingentis; cf. de lapidibus ταλαντιαίοις e ballistis emissis Joseph. b. j. 5, 6, 3. At ne haec quidem plaga qua gravior vix cogitetur impios ad saniorem revocat mentem, ita ut quicunque Romae urbiumque ceterarum ruinis nondum sepulti sint, ad unum omnes a Messia adveniente uno momento delendi supersint 19, 11—21.

γ) C. 17. 18. Nec tamen Messias statim in messem ingruit ipsi paratam ultimas impiorum reliquias deleturus: sed inserendis prius visionibus duabus subsistit actionis progressus, cohibeturque finis rerum appropinquantis narratio celeriter decurrens. Nam partim *quae* sit haec urbs collapsa, qua ratione cum bestia Imperium et Imperatores significante cohaereat, quidque haec ipsa bestia significet et quomodo ea Romae interitum moliatur, uberius explicandum restat; partim Romae collapsae mentio, quae res per se jam gravissima est inque toto visionum nexu plurimum insignienda, ut quibus de causis Urbs poenam hanc luat in omnem posteritatem diruenda et vastanda, fusius exponatur jure postulat summo. Sic omnia sua luce melius collustrantur visionumque ambitus in justum excrescit modum. Itaque

1) C. 17. urbis hujus Babylonis dictae bestiaeque notio, ratio, fata, interitus, uberius explicantur. Quae cum praeter angelos tres, qui ultimas plagas Romae destruendae inflixerunt 16, 10—21, nemo melius, a deo edoctus esse possit, satis apte vates in visione hac nova unum ex septem his angelis illa sibi monstrare et explicare fingit. Jamque *Urbs* ipsa Babylon ex imagine supra 14, 8—11. brevius indicata dicta distinctius ab Imperio septem Imperatorum interque eos *Neronis* potissimum Romano diversa depingitur; illa *foeminae* meretricis (cf. p. 244.), hoc *bestiae*, qualis jam supra descripta erat, formam induente. Ut tamen utrumque monstrum et Urbis et Imperii (Neronis) una simul imagine summa complectatur vates, foeminam illam bestiae huic insidere fingit v. 3. 7. Ut enim *caput* imperii (Urbs Roma) cum ipso imperio seu potentiae *mole* et corpore conjunctissimum est, totumque splendorem et potentiam suam imperio debet, ita ab imperio capitis instar a corpore sustentati portari quasi et sustentari dici potest; quare haud valde mirum, vatem imperium, quod bestiam semper nominat, Urbem ut caput suum sustentare fingere, quanquam supra 16, 10. diversa in visione diversaque ex imagine Urbem imperii (i. e. Imperatorum, *Neronis*) sedem nominaverat. Quae Urbis et Imperii junctura aliis quoque ex causis vati hic jure placuit. Nam bestiae quoque illius notatio amplior et dilucidior restabat quam ea quae ab initio c. 13. suppeditata est; eaque cum Urbis explicatione eo melius poterat conjungi, quo arctius utriusque fatum divina ex voluntate cohaeret (v. 15. 16.). Quae omnia multa satis oratione tamen concisiore et, ut operis hujus indoles finisque fert, aenigmatica fere pictura expositurus vates primum

a) v. 1—7. foeminae et bestiae explicationi secuturae ita praeparat, ut se imaginem illam meretricis bestiae insidentis conspexisse admirationeque abreptum ab angelo isto comite de monstri hujus gemini explicatione promissum tulisse narret. Igitur imago prius monstri utriusque cum attributis gravibus delineatur satis ampla. V. 1. εἷς non est πρῶτος (quod et per se notare nequit et cum *tres posteriores* potius Romam evertentes praecipue vatis menti obversentur, hoc loco falso notaret), sed *aliquis* cf. ad 5, 5. Monstraturus est angelus τὸ κρίμα *poenam* Urbis a *judice* deo constitutam; hoc enim

monstrandorum de ea omnium praecipuum esse ex fine v. 15—18. apparet. Sic apte simul haec visionis ultimae fini 16, 16—21. annectuntur: poena ibi jam narrata hic fusius enucleanda est. Romam satis insigniunt praedicata duo, alterum quod *meretrix* dicitur ex imagine supra jam 14, 8. tacta, eaque *magna*, maxima (cf. ad 12, 14.), urbium gentilium caput v. 5; alterum, quod *aquis multis* insidens sistitur. Aquas has *gentes* multas variasque significare vates ipse v. 15. explicuit; neque de imaginis origine dubitare licet. Cum enim poetis exercitus terram *inundans* saepius *aquis* fluviisque comparetur (Jer. 46, 7. 8. 47, 2. Jes. 8, 7. 8. 17, 12. 59, 19.), omnino populi copiosi per terras quasi pleno alveo diffusi *aquae et flumina* dici possunt, ut Nah. 2, 9. Niniven ob gentes ibi habitantes copiosas *aquae locum* nominavit (ad locum Jer. 51, 13. tamen vatem respexisse puto); saepiusque Orientales populorum copiam exuberantem cum *fluctibus* comparant, ut Ibn Abuscherifi specim. ed. Lemming p. 22, 20. Judaeos quoque seriores saepius gentes *aquas, maria* nominare loca rabbinica probant apud Wetst. ad v. 15. Eisenmeng. Judenth. 1. p. 771. Igitur cum Roma imperii potentiaeque aeque ac gentium huic imperio subjectorum *caput* sit, potest sane et *bestiae* (imperio) et *aquis* (gentibus) insidens aequo jure cogitari, nisi quod v. 3. 7. ubi oratio ad Imperium, Imperatores Neronemque transit, aptius bestiae insidere fingitur. — V. 2. redit ad meretricis imaginem v. 1. brevius enunciatam. Reges non minus terrae artibus et potibus meretriciis sibi devinxit et subjecit quam omnes omnino gentiles ebrios reddidit, male sanos, vitiis deditos cf. not. ad 14, 8. Quae in V. T. de Babylone, Ninive (Nah. 3, 4.), Tyro (Jes. 23, 17.) reperiuntur imagines, eas vates in Romam transfert, id quod Judaeis quoque solenne esse ex Eisenmeng. Judenth. 1. p. 773. 800 sqq. apparet. — V. 3. Monstrum ut conspiciat vates, ab angelo se in *desertum* abduci fingit (ἐν πνεύματι ut ἐν τῇ ὁράσει 9, 17. vatem *mentis* tantum acie haec vidisse, mentis celeritate in loca terrae dissita abreptum se cogitare monstrat, cf. p. 14.). Quis enim loco hoc tristi aptior est foeminae i. e. urbi desolandae et *in desertum* convertendae? ut hic jam ipso loci aspectu ad fatum Urbis triste alludi videas (cf. ἠρημωμένην αὐτὴν ποιήσουσι v. 16. et descriptiones uberiores 18, 2. 16. 19. 22. 23.) Bestia cui insidet meretrix, iisdem prorsus attributis

distinguitur quae supra 13, 1. finxerat vates, diciturque hic *plena* nominibus blasphemis, quae scilicet omnibus capitibus septem imposita cogitanda sunt; sed colorem ejus additur *rufum* (κόκκινον) esse, quo et *sanguis* ab Antichristo multus profusus eluceat 13, 7. 10. 15, et ad draconis cujus formae Antichristus simillimus est, sanguinei rubri 12, 3. colorem alludatur. — V. 4. Foemina eo qui meretricem decet ornatu lascivo viris pelliciendis apto poculumque e quo vinum inebrians amatores hauriant aureum tenens comparet. Igitur induta est vestibus splendidissimis, purpurea altera altera coccinea (περιβεβλ. πορφυροῦν καὶ κόκκινον sc. περίβλημα, quod ex verbo facile intelligitur cf. 18, 16. 19, 8.); *inaurata auro* (tota auro coruscans) et splendens, ornata *gemmis et margaritis*, quarum mercatus quantum lucri mercatoribus Romam luxuria diffluentem adeuntibus tulerit infra 18, 12-17. uberius descripturus est vates. Similiter meretrices delicatas et splendide ornatas Tyrum et Babylonem descripserant Ez. 28, 13. Jes. 47, 1. 2. 8. Poculum aureum (Jer. 51, 7.), quia in eo vinum mixtum est pharmacis multis et philtris ad ebrietatem libidinemque ciendam compositis, qualia fere descripsit Theocr. 2, 17 sqq., repletum dicitur *rebus detestandis* et impuris scortorum irritamentis, ut תּוֹעֵבוֹת cum תַּזְנוּת conjunxit Ez. 16, 22; de constructione verbi v. p. 46. — V. 5. Quomodo *fronti* foeminae nomen inscribi potuerit quaesiverunt et dubitarunt interpretes. Derivatum id multi putant ex meretricum Romae quaestum se corpore facere nota quadam fronti affixa significantium more Juven. sat. 6, 123. Senec. controv. 1, 2. Sed non est quod vatem ex more isto foedo ipsi forsan ne cognito quidem locutionem hanc mutuatum esse suspicemur. Minus etiam arridet Münteri (diss. de occulto urbis Romae nomine. Hafn. 1811. probante Rosenmülleri libro altes u. neues Morgenland T. 6. p. 228.) sententia, vatem verum Romae nomen consulto tacenten hic ad occultum allusisse, quo detecto palamque facto de Urbis salute actum fore traditio ferebat. Plin. h. n. 3, 5. Macrob. 3, 5. Scilicet non Romanum sacerdotem sed e Judaeis Christianum loqui reputemus, Romam aequalibus ex gente et regione sua nomine non occulto sed satis aperto significantem; nec de fama illa obscura ullum hic vestigium aut vere adest aut a vate nostro exspectari potest. Simplicissimam potius

interpretationem vates ipse supra jam satis indigitavit. Ut enim piis 2, 17. 7, 1-5. ubi v. not. 14, 1, ut Christo 19, 12. et Antichristo 13, 1. 17, 3, utque omnibus gentilibus 13, 16-18. nomen, quo satis distinguantur, frontale affixum inscriptumve est (cf. insuper G. Gaulm. not. ad libr. de vit. Mos. p. 205. ed. Fabr. Spencer. de leg. Hebr. ritual. p. 533 sqq.), ita Roma quoque nomine fronti impresso satis discernatur necesse est. Ubique eadem elucet fictio, vatemque satis patet hoc solo consilio hujus nominis inscripti mentionem injecisse, ut Romae apte significandae et nominandae opportunitas ipsi suppeteret. Neque tamen ipsum *Romae* nomen ob causas saepius explicitas apposuit; utque nomen sequens satis longum *tecte* Romam innuere prudentique tantum sensum ejus arcanum intelligi posse significet, nomini superscriptum fingit: *μυστήριον arcanum;* cf. 1, 20. unde postea arcanum nominis sensum dilucidaturus v. 7. adjicit: explicabo tibi sensum mulieris bestiaeque quem in visione hac proposui arcanum, mysticum. *βαβυλ. ἡ μεγ.* v. ad 14, 8; lectioni *πορνειῶν* vel *πόρνων* praestat altera *πορνῶν* sensum fundens pleniorem et aptiorem: *mater* (caput) *meretricum* (urbium gentilium 16, 19.) et (auctrix) *scortationum* (scelerum impurorum) *terrae*, gentium omnium v. 4. — V. 6. 7. Jamque propius ad imaginum depictarum explicationem progrediendum erat. Unde ultimo loco vates se foeminam sanguine Christianorum quem profusum avida biberit multo (cf. 16, 6-7. 18, 24. etc.) ebriam suique haud compotem conspexisse fingit; quo adspectu in summam admirationem converso vati angelus comes se omnium rerum tam mirarum interpretem fore pollicetur. Similis fictio 7, 13. 14.

b) v. 8—14. Cum duplex esset vati imago explicanda, altera meretricis altera belluae, belluae prius significatio et fatum explicantur, utpote quae proprie totum Imperium Romanum (cum Roma) denotans latissimi significatus est, cujusque explicatio re ipsa difficilior est et gravior. Tangitque in hac bellua describenda id quod ex illius temporis indole potissimum erat: rumorem scilicet metumque cum spe christiana mixtum de Nerone Christianorum inimico, qui caesus videbatur, ex Oriente (et cum Orientis subsidiis 16, 12) reduce, acriusque etiam Christianos vexante, ut Antichristus videatur cum Satana conjunctus; tandemque postquam Romam quae ingrata

eum propulerat caedem machinata, cum principibus Romanis summis seu provinciis praefectis everterit, cum sociis a Messia devincendo; cf. §. 7. p. 47—50. et quae alibi monita sunt. Bellua igitur, quanquam *Imperium Romanum cum Imperatoribus omnibus*, hic tamen gravissimum potius et ultimum, *Neronem* Antichristum, denotat; unde vates ab initio statim v. 8. metum spemque illam ita eloquitur, ut belluam de Antichristo solo intelligat. Deinde tamen haec uberius expositurus et attributa capitum cornuumque quae belluae ut Imperio Romano 13, 1. dederat haud negligenda videns ipsa haec attributa uberius sic explicat, ut iis partim ad Romanum Imperium denotandum partim ad historiam Neronis actam futuramque enarrandam felicissime utatur. Dumque sic de septem capitibus v. 9—11 et decem cornibus v. 12—14. explicandis seu potius applicandis agit, haud dicit ea belluae esse ejusdem quam modo Neronem fecerat (quae aperte secum invicem dissiderent et pugnarent), sed imaginem tantum supra 13, 1—3. inchoatam explicat, ita ut bellua quatenus Neronem significat iterum ut *unum ex* septem belluae, quatenus Imperium Romanum notat, *capitibus* compareat v. 9—11. Igitur si omnia ad unguem resecare alicui animus esset, vatem et hoc loco et supra 13, 1—8 (ubi bellua primum Imperium, dein unum illum Imperatorem denotat, simillima fictionis variatione) secum ipsum pugnare ei esset fatendum; at si de *imaginibus* tantum formandis et explicandis agi reputamus mitius sentiemus, nec revera multum est quod vati condonemus. Poterat enim et Imperium Romanum cum Imperatoribus omnibus et Imperatorem qui nunc vivens saeviensque omnium loco est, quia res sunt simillimae, una *belluae* imagine sic depingere, ut modo illud modo hunc significet; quisque singulis in locis belluae sit sensus, ex nexu satis apparet, quanquam plerumque unum illum Imperatorem denotat. Quam difficultatem totam poterat quidem hoc loco evitare vates, si paullo sedatius primum septem capita Imperatores totidem significare et dein unum ex his hoc loco potissimum intelligendum esse dixisset, idque ipsum vates v. 9. de integro quasi explicationem inchoans sensisse videtur: sed cum inde a 13, 3 bellua *Neronem* simpliciter semper notasset, oratio ab initio v. 8. praeceps quasi ad Neronem denotandum ruit. Proditque ex hoc quam scriptor iniit vel ineundam invenit scribendi ratione sermo de belluae significatione et

fatis tripartitus hic: α) belluae ut Neronis significatio et fatum breviter et quasi praecipitantius describitur v. 8. *Bellua quam modo vidisti* v. 3. *erat et non est*, quia Nero tempore operis scripti regno suo ditioneque romana pulsus erat caesusque credebatur; sed cum mox mortis periculo ereptus, vel ut credebatur, vitae redditus ex Oriente rediturus videretur, addit vates *et ascensurus est ex orco*, ex inferis restitutus, Satana quasi eum, qui caesus mortuusque videbatur, sanante (cf. 13, 2. 3.) et ex orco (unde dira omnia et atra 9, 2) iterum educente, prout jam supra 11, 7. Antichristus ex orco ascensurus dicebatur; sed denique (ubi ita in terra per tempus 13, 5 constitutum saeviit) *in perniciem ruet*, interibit, Messia scilicet eum debellante et occidente, ut disertius v. 14. dicitur, et quomodo ratum fiat 19, 20 describitur. [1]) His igitur paucis concise admodum et, nisi ad temporum illorum historiam attendimus, aenigmate obscurius dictis totus omnium quae de Nerone Antichristo et metuebantur et sperabantur ambitus continetur, eaque deinceps paullo fusius explicanda sibi videt vates; hic unum hoc ei adjungere placet, Neronem sic reducem omnium praeter Christianos pios hominum (cf. 13, 8. ad quem locum respicitur) admirationem venerationemque in se conversurum esse, quia hoc ipsum mirum prorsus et singulare vident, quod Nero qui olim Imperator et inter vivos fuit, nunc que non esse creditur, tamen *aderit* (*παρέσται*), *adveniet*; stupent jam adorantque ob mox adventuri et e morte quasi redituri rumorem; de quo v. not. ad 13, 3. 4. Sed pro *καὶ παρέσται* codd. et edd. multae habent *καίπερ ἐστίν quod non est quanquam est*, alicubi adest, *ideoque mox advenire potest*, a Griesb. rejectum. Sed quanquam *καίπερ*, quae vox in N. T. rarissime nec nisi cum participio in enunciationibus insertis legitur (loci omnes sunt Phil. 3, 4. Hebr. 5, 8. 7, 5. 12, 17. 2 Petr. 1, 12), in Apocalypsi praeter hunc locum non redit et hic male constructum est (quod tamen auctori facile con-

1) De Nerone locum agere Patres antiquiores consensu tradunt (Lanctant. de mort. persec. c. 2. Sulpitius Sev. II. p. 367. ed. Horn. etc.); estque ea interpretatio unice vera. Ceteras quas caput hoc expertum est interpretationes, cum manifesto falsae sint, examinare nil attinet. Ita quod Lakemacherus observatt. sacr. P. 3. p. 285—299. P. 10. p. 247 sq. et post eum Herderus de *Hierosolyma* septicolli, septem regibus recta etc. omnia exponunt, invito haud dubie vate faciunt.

donatur), nihilominus sensus ex hac lectione aptior hic prodit: si vident belluam nunc non adesse (caesam videri), quanquam re vera adest, non prorsus interiit sed in loco versatur unde mox redire queat. Certe facilius καίπερ ἐστίν, imprimis ob καίπερ male constructum, in καὶ πάρεστιν (ut codd. satis multi habent) et dein in καὶ παρέσται transiit quam vice versa; facilius etiam in lectionis καίπερ ἐστίν sensu hallucinari poterant librarii quam in alterius. Verbum παρεῖναι alibi in hoc libro non legitur. — β) v. 9—11. Capita septem, ad quae oratio transit (praemissa uberiori quae sequitur imaginum explicationi formula: *hic est sensus subtilitatem habens*, subtiliter prolatus subtilique ingenio perspiciendus cf. 13, 18.) partim ad *Romanum* Imperium Romam Urbem ut caput suum portans, partim ad Imperatores interque eos *Neronem* potissimum signandum adhibentur. Possunt enim significare *montes septem*, quibus foemina insidet, in quibus condita Roma superbit (cf. not. ad 13, 1), qua ratione Imperium v. 3. 7. Urbem ut caput suum sustentare dictum erat; sed *Romani* imperii sic ex Romae septicollis notatione brevi, at satis perspicua praemissa diutius vates *septem regibus*, quos simul notare possunt capita septem (cf. ad 13, 1), describendis immoratur. Reges hic facile patet *Imperatores* significare, ut Graeci scriptores quorum lingua voce Romanae exacte respondente caret, saepius Caesares βασιλεῖς vocant (1 Petr. 2, 17). Versuum 10. 11. sensus supra jam p. 47-49. expositus est. Post quinque *priores* (priores articulus οἱ signat et quinque hi a ceteris duobus et hac ex causa distinguuntur, quod e Caesaris familia pronati sunt) qui jam *ceciderunt*, i. e. regno moti sunt ob mortem caedemve quae Neronem etiam quintum inter hos tetigisse videbatur, (oppositum est קוּם de novo rege exoriente Ex. 1, 8. Jud. 2, 18.) nunc regnat *unus* eorum, qui praeter quinque ex septem supersunt, *sextus* ergo; alter horum, seu *septimus* regnum, si eo potiatur, haud diu obtinebit; nam Nero (bellua ista), qui nunc evanuisse et occidisse videtur (ἦν καὶ οὐκ ἔστι) et ipse (αὐτός, quia θηρίον i. q. βασιλεύς) mox *octavus* erit rex, septimum nempe regno pellens ubi ad Urbem ingratam destruendam accedet v. 15. 16. (sic enim vatem sensisse verisimillimum est). Ergo *et ipse octavus* est, et simul, quia prius jam regnum gessit, *e septem illorum* numero est; idque ut per se mirum et singulare est, ita vates conci-

sius et paullo obscurius innuit, adeo ut non ὁ πέμπτος dicat, sed subtilius ἐκ τῶν ἑπτά, quanquam ex septem his neminem nisi *quintum* (Neronem) intelligi posse lector attentus historiaeque Caesarum gnarus facile agnoscit. Additur denique ex v. 8. repetitum: *et* si ita vitam regnumque a quo pulsus est recuperaverit *octavus* numerandus, *in perniciem ruit*, a Messia devincendus [1]). — *γ*) v. 12—14. Decem cornuum, quae restabat, explicatione aptissime vates ad Neronis reducis fata describenda utitur. Intelligendi decem *principes* regum instar *potentes*, qui quanquam hucusque regium nomen auctoritatemque non adepti sunt, potestatem tamen regiam cum Nerone reduce per *unam horam* (i. e. brevissimum tempus Gal. 2, 5. 1 Thess. 2, 17) occupabunt. Qua pictura quis non agnoscat *provinciis praefectos* describi, quos hucusque Romae Imperatorique ibi regnanti (sexto et mox septimo) subjectos Neroni ex Oriente reduci ad Urbem ingratam ei subjiciendam opem laturos atque ita Romae obsequium prorsus denegaturos suoque ex arbitrio, quasi reges essent, acturos esse prona erat conjectura? Quidque illis temporibus frequentius quam provinciis praefectos cernere ad novum Imperatorum sustendandum a Roma ejusque Imperatore desciscere suaque quam sibi arrogaverunt ut regia auctoritate abuti? [2]) Quod *decem* nominat, non esse arguendum vix est quod moneamus; *plures* enim vel omnes (quorum numerum certum forsan ne rescivit quidem auctor) ut innuat, decem ex cornuum qui a Daniele praescriptus erat (cf. p. 225.) numero enumerat. *Brevissima* vero est regia quam sibi arrogant potestas, quia Messias instat vindex Antichristique quem adjuvant hostis gravis v. 14. — V. 13. Hi igitur praefecti in Neronis contra Romam adjuvandi (ut v. 16. 17. explicatur) consilio consentiunt omnes totisque viribus suis et potestate quam sibi arrogant regia Neronem uti sinunt cf. v. 17. et supra 16, 13-16. — V. 14. Sed ubi ita Neronem in Roma occupanda evertendaque adjuverint, bellum iis internecinum cum ipso Messia imminet in fine

1) Hoc tempora tyrannosque; ob quos liber scriptus est, tecte innuendi genus in multis reperitur similis ingenii scriptis, ut Enoch. c. 81—89. 91. 92. 4 Esr. c. 11—14. cf. p. 52 supra.

2) Igitur haud puto, cum Bleekio l. c. p. 288 decem hos reges de *Parthicis* intelligendos esse. Hi quomodo dici possint βασιλείαν οὔπω ἔχειν etc.? Et diversi sunt οἱ βασιλεῖς ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου 16, 12. a τοῖς βασιλεῦσι τῆς οἰκουμένης ὅλης 16, 14.

rerum ad Neronem sociosque debellandos accedente, id quod infra 19, 17-21. (cf. impr. σάρκας βασιλέων v. 18.) uberius describetur. Victoria tamen Messiae omnium potentissimo regibusque omnibus multum superiori (cf. 19, 16.) certa est; utque Antichristum hi socii reges adjuvant, ita Messiam victoriae socii comitantur Christiani pii fidique, ad salutem aeternam *vocati* (v. 8.) *electique*, quae satis nota sunt piorum nomina Paulo Col. 3, 12. etc. familiaria. Sic rata fiunt quae piis supra 2, 28. 14, 1—5. promissa sunt.

c) v. 15—18. [1]). De *foeminae* explicatione, quae per se facilior et ex modo dictis dilucidior est, pauca tantum restant; igitur symbola duo, *aquae* quibus insidet, et ipsa *foemina* meretrix quid significent, brevius indigitatur fatumque Urbis, quale modo v. 12. 13. descriptum erat, enucleatius etiam repetitur. *Aquae* quibus foemina insidet quia *gentes multas* admodum significant, Urbs potentissima iis innuitur gentium orbis terrarum omnium caput cf. v. 5. Sed haec ejus potentia summa celeriter collabitur v. 16. 17. obsidione ruinaque quam Nero cum sociis efficit calamitosa. Unde vates dicit: *cornua* (regii praefecti v. 12. 13.) *decem et bellua ira* Romae *meretricis* quae Neronem occidit pepulitque ingratae *perciti desolatam* eam reddent et *nudam*, imaginibus urbis foeminaeque mixtis; nam urbs quidem vel domus penitus destructa soloque adaequata *nuda* dici potest Hab. 3, 13. Mich. 1, 6. Ps. 137, 7. (ut صَرْحٌ *nudum*, *purum* desertum denotat), sed simul tamen Urbs, quatenus ut meretrix ornata v. 4. descripta est, devastata foemina audire potest ornamentis vestibusque detractis *nuda* et despecta, idque ut hoc loco vatem sibi voluisse putemus, loco 16, 15. qui de eadem hac Romae per Neronem sociosque vastatione agit parallelo adducimur. Eademque imaginum foeminae et Urbis commixtio in ultimis cernitur: *et carnem ejus comedent*, ferarum instar bestiarum eam spoliandam dilaniabunt et dilacerabunt cf. Mich. 3, 2. 3, *et incendio delebunt* cf. 18, 8. 9. 18. — V. 17. Neque mirum omnino Imperatorem aliquem Romanum praefectosque Romanos in Romam saevire: scilicet deo omnia moderante praefecti hi con-

1) visionis sectio notatur verbis καὶ λέγει μοι, ut quae p. 192. ad 11, 10. notavi hinc probari sentias.

sensu unanimo Antichristum adjuvant potentiaque gaudent donec a Messia debellandi sunt. Unde dicit vates: *deus animos praefectorum sic dirigit ut suam mentem exsequantur*, i. e. decretum de Roma evertenda, ita scilicet, ut consensu omnes viribus summis belluam sustentent eique regiam quasi suam potestatem cedant; αὐτοῦ igitur haud dubie ad ὁ θεός referendum est. Ut enim prophetae veteres deum poenam ab urbe terrave impia justam per hostes ab ipso accitos potentesque factos exigere fingunt (Jes. 5, 26. 7, 18. 10, 5. 13, 3. Jer. 51, 20. etc.), ita vates noster Neronem per socios hos Romam ad poenam divinam exsequendam eversurum auguratur, ut jam 16, 14. satis perspicue dictum est. Alii αὐτοῦ ad θηρίον v. 16. trahunt, quod et ex verborum positione et ex sententiae elocutione minus commendatur. Potentia eorum sibi constabit ἄχρι τελ. *donec impleantur dei oracula* i. e. donec Messias adveniat e dei promissis propheticis dudum datis jamque brevi solvendis cf. 10, 7. 11, 15-18. — V. 18. Verbo innuere restabat, *foeminam* satis superque jam descriptam *Urbem* magnam significare, *regum* (ut praefecti provinciis nominari possunt cf. p. 261., erantque reges quoque nonnulli Romae subjecti) *reginam*; quibus denique *Romae* significatio tam diserta continetur, ut nomine hoc addito haud opus sit.

2) C. 18. Post declaratam ita Urbis et belluae significationem oratio ad ipsam Urbis eversionem 16, 10-21. 17, 12. 13. 16. 17. redit, quae quo jure a deo decernatur in aeternum duratura, amplius describitur. His eversionis Urbis impiae causis justis, huic ipsi Urbis luxuria diffluentis eversioni omnibus gentilibus noxiae et luctuosae, huic Urbis, quia justitia flagitante cadit, ruinae aeternae imagini lubentur immoratur vates, ad Urbem transferens omnia fere quae prophetae veteres de Tyri, Babylonis et Ninives, urbium Romae sive opulentiam luxuriamque immensam, sive vexationes piorum injustas spectes, simillimarum eversione a deo decreta effati erant. Igitur nec dictionis imaginumque copia vatem destituit et res ipsa ut hujus exempli opportunitate poena *impiorum justa* quam fieri possit uberrime describatur postulare videtur. Constatque nova haec visio tribus minoribus his :

a) v. 1—3. Angelus quidam comparens Urbem eversam in perpetuum desertam devastatamque fore pronunciat, causa poenae tam gravis ex *impiis* Urbis meretricis moribus repetita. Quae, igitur visio secunda v. 4—20. de hac Urbis ruinae luctuosae causa justissima, et tertia v. 21—24. de poena hac in perpetuum duratura uberius adumbrant, ea in visione hac prima juncta breviusque enunciata vides. Angelus praeco non voce tantum ingenti insignis est sed potentia etiam gloriaque conspicuus summa, quia ad rem gravissimam annunciandam demittitur; fictio simillima est 10, 1. Is postquam splendore et majestate lucida (δόξα כָּבוֹד Ex. 24, 16. Luc. 2, 9.), qua nil unquam augustius viderunt homines, insignis in terram descendit, terra cum hoc splendore comparata quasi obscura reddita est. — V. 2. Lectio vera videtur ἔκραξεν ἐν ἰσχύϊ λέγων cf. בַּכֹּחַ de voce forti Ps. 29, 4. Jes. 40, 9. ubi LXX. ἐν ἰσχύϊ; quod e graeca lingua durius dictum librarii varie in ἐν ἰσχυρᾷ φωνῇ vel ἐν ισχ. φ. μεγάλῃ mutarunt; lectionem tamen illam Vulg. servavit. ἔπεσε ratum declaratur supra 14, 8. promissum cll. 16, 19. Locus quo nunc Urbs hominum frequentia laeta perstrepita sita est, mox eversa ea deserto simillimus erit maxime desolato et horrido hominibusque nunquam adito, ut *daemones* ibi *habitare* (cf. supra ad 9, 14. dicta et Baruch 4, 35.), *omnisque spiritus impurus* (quales animalibus quoque detestandis deserti incolis hominibusque parum notis, ut capris feris שְׂעִירִים Jes. 13, 21. 34, 14. Jer. 51, 37. inhabitare vulgus putabat) *et omnis avis impura invisaque* (velut ululae, struthiones aliaeque solivagae cum per se ob deserti horrorem hominibus abominandae et detestandae visae tum legibus mosaicis esus illiciti impurique judicatae, cf. Jes. 13, 21. 34, 11. 12. Jer. 50, 39. Zef. 2, 14.) ibi *clausi* et custoditi i. e. huc in perpetuum relegati hicque semper coerciti videantur. — V. 3. Causa poenae hic non *una* tantum affertur supra 14, 8. 17, 2. jam memorata, quod gentes aeque, ac terrae reges potu artibusque meretriciis seduxit sibique subjecit, sed diversa etiam haec, quod *luxuria* (qua quantum Roma laborarit ex Horatii et Juvenalis satyris aliisque aevi hujus scriptis satis elucet) diffluit immensa mercatorum tantum opibus superbiaeque augendae inserviente (ut infra v. 11—19. uberius describitur); quanquam luxuria haec meretrici simul ad homines alli-

ciendos seducendosque usui est (17, 4. 18, 9. 16). ἐκ τῆς δυνάμεως *ob multitudinem*, copiam (לב hebr.) τοῦ στρήνους (propr. hilaritas, hinc vita laeta et lauta, *luxus* i. q. τρυφή, quae significatio serioribus Graecis frequens est, cf. Lobeck ad Phryn. p. 381.) *luxuriae ejus* i. e. ob luxuriam ejus multam, potentem, quae sola interpretatio proba est.

b) v. 4—20. Excipit haec alia coelestis vox, Christianos ex Urbe certo mox evertenda exire jubens angelisque ut justam ab Urbe poenam exigant mandans v. 4—7, ut *dei* seu potius *Messiae* dei συνθρόνου (cf. ὁ λαός μου v. 4.) vocem hic cognoscas; sed deinceps oratio in poenae hujus atrocitate luctuque inde regibus Romae subjectis v. 9. 10. mercatoribusque et nautis ex ea lucrum ingens facientibus v. 11—19. oborto describendis tam longe exspatiatur, ut vocis divinae loquentis fictio fere negligatur, quae ipsa sermonis inconstantia in scriptis hujus generis saepissime obvia est. Ceterum ne miremur, Urbem cujus eversio supra jam semel iterumque descripta est, hic ut *evertendam* depingi, vatem qui in toto opere *futuram* tantum Urbis eversionem ominatur, fictionem facile mutare potuisse tenendum est. — V. 4-7. Cum Urbi ob scelerum immanitatem excidium certum proxime immineat v. 5-7, deus v. 4. piis suis, qui Romae versentur (quorum jam tum copiam satis magnam fuisse scimus) cultoribus, ne et ipsi insontes poena Urbi debita plectantur, urbe prius excedere velint, acclamat. Similiter olim Judaeis Babylonem inhabitantibus ut ex urbe hac mox destruenda decederent acclamatum erat Jes. 48, 20. Jer. 50, 8. 51, 6. 9. 45. et Lothus Sodoma divinitus evertenda relinquere a deo admonitus erat Gen. 19. Verba ἵνα μὴ etc. satis dilucide notant: *ne culpae ejus* (ἁμαρτία עָוֹן, חַטָּאת *culpam* etiam notant peccatum sequentem et poenam culpae Jes. 5, 18. 40, 2.) *participes fiatis plagisque ejus plectamini.* Male igitur totum versum sic explicant: nolite exemplum incolarum Urbis impiorum imitari ne et vos similibus plagis percutiamini. — V. 5. Nam peccata Urbis ἐκολλήθησαν ἄχρι τοῦ οὐρανοῦ *adhaeserunt* (*urbi*, perveniuntque) *ad coelum usque*; quae tamen interpretatio admodum dura est, potiusque videtur κολλᾶσθαι hic ex hebr. דָּבַק (adhaerere, *pertingere ad* Jer. 42, 16. Gen. 19, 19. sic κολλᾶσθαι

εἰς pertingere ad Baruch 1, 20. cf. LXX. Thren. 2, 2. pro נָגַע) sic intelligere: *pertigerunt, pervenerunt ad coelum usque.* Locutio ex antiquis traditionibus desumta Gen. 4, 10. 18, 20. cll. Jer. 51, 9. (ad hunc locum haud dubie respexit vates) Jon. 1, 2. hunc sensum habet: peccatum si nimium est quin terra id diutius ferre et celare possit, sursum adscendit in coelum dei vindictam clamans et flagitans ut deus memor quasi ejus factus poenam irroget debitam (καὶ ἐμνημόνευσεν ὁ θεὸς τὰ ἀδικήματα αὐτῆς, ut supra 16, 19. jam similiter dictum erat). Hinc clamores de injuria ad coelum ascendere vates finxerat 6, 10. cll. Enoch. 8, 9. 9, 2, 4. 10—12. 47, 1. 2. 96, 2. 4. 60, 9. 12—16. — V. 6. 7. Deus igitur, qui diu peccata Romae negligere videbatur, nimia eorum mole commonefactus angelis ad ejus plagas et excidium constitutis (16, 10-21. impr.) ut poenam meritam *duplicem* irrogent mandat; eum enim nimis diu et graviter peccaverit, poena non aequa, quae ei corrigendae haud sufficiat, sed *graviori* seu *duplici* plectenda est, ut vice versa pius duplici praemio i. e. ultra quam meruit ornatur (Jes. 40, 2. 7. 61, 7. Job. 42, 12). ἀποδιδόναι respondet hebr. גָּמַל quod de iis dicitur, quae in *vicinum* ita aguntur, ut alteri, sive beneficium sive malum experiatur, mutuum sit officium sive gratias habendi sive injuriam ulciscendi; sensus igitur: retribuite ei malum quod ipsa Christianis ulciscendum seu retribuendum intulit, ex Jer. 50, 15. ita expressus. ὑμῖν post ἀπέδωκεν omittendum (cf. Hartwig Apol. T. 1. p. 312 sqq.). ἐν τῷ ποτηρίῳ in eo poculo quo illa vinum miscuit fervidum propinandum (cf. 14, 4. 17. 2. 4) miscete ei duplum, vinum duplo plus et fervidius, ut uno momento inebriata collabatur cf. 14, 10. 16, 19. Pulchre ita imagine supra frequenti injuriam quam Christianis ceterisque hominibus intulit duplicem ei retribui innuitur [1]). Similiter v. 8: quanta se jactavit superbia quantove luxu diffluit, tantum ei retribuite cruciatuum luctusque i. e. quo superbius se jactavit et lasciviit, eo plus poenae impendite; nam in vitia ista nunc se adeo provolvit, ut semper se potentem luctuque expertem fore superbe glorietur dei justitiaeque immemor; cogitat: regnum teneo (κάθημαι יָשַׁב per se jam

1) haec hic modeste et juste dicta in libris similibus (ut Enoch. c. 94. 95. 102, 6.) fortius expressa minus placent.

de solio firmiter insidente, rege, dicitur Jes. 10, 13.), *nec orba sum* i. e. incolis (qui *filii* urbis dicuntur cf. gr. hebr. p. 302. et impr. Baruch 4, 34.) destituta, *nec unquam luctum experiar* ob incolas occisos domusve destructas. Hausta haec ex Babelis exemplo Jes. 47, 8; *Roma* et ipsa nonnunquam in nummis *regina* audit, cf. Spanh. de praest. et usu numism. p. 401. — V. 8—19. Ob haec igitur scelera plagae illae divinae tam repente in eam irruent, ut et reges ei subjecti v. 9. 10. et mercatores nautaeque ex ejus luxuria lucrum ingens facientes non satis ruinam ejus subitam et integram stupere et lugere possint. *Plagae ejus*, quales sunt mors i. e. pestis (cf. not. ad 2, 23. 6, 8.), *luctus* ob incolas jam occisos et porro occidendos, ut אֵבֶל LXX. πένθος praecipue de luctu mortuorum ponitur Gen. 27, 41. Amos 8, 10. Koh. 7, 1. 2. *fames et incendium* (haec fere sunt calamitatum gravium exempla et signa, cf. supra p. 152. et Baruch 4, 33—35. Sir. 39, 29.), *irruent in eam uno die*, inopinato omnes mole sua gravi, quae descriptio sic continuata est ex Jes. 47, 9. ὁ κρίνας *qui jam judicium de ea tulit* c. 16. 17., cui firma jam excidii stat sententia declarata. Praesens ὁ κρίνων quod vulgata habet lectio et hoc loco, ubi de rebus futuris sermo erat facilius videtur, emendationem sapit. — V. 9—19. Jam ut *varias* hominum classes Romam, dum repente evertitur incenditurque, acerbe lugere describatur, *tres* hominum, qui bene et extra Urbem versari et ruinam ejus aegre ferre cogitari possunt, classes constituuntur: *regum* v. 9. 10. *mercatorum* v. 11—16. et *nautarum* v. 17—19. Quibus partibus tribus similis servata est forma haec, ut in descriptione causarum mirationis et luctus praevia ter redeat formula ἀπὸ μακρόθεν ἑστηκότες, et quaeque naenia a verbis οὐαὶ οὐαὶ ἡ πόλις ἡ μεγάλη incipiat verbisque ὅτι μιᾷ ὥρᾳ finiatur. Ergo hic stropharum quaedam partitio et descriptionis ars alibi etiam (p. 102 sqq.) notata elucet. Solentque omnino vates et poetae hac forma uti, idem per varias classes fieri demonstraturi cf. Amos c. 1. 2. — V. 9. 10. *Stropha prima.* Reges Romae meretrici allicienti devincti et subjecti (v. 3.), qui ruinam ejus deflent et lugent (κόπτομαι ἐπὶ v. 1, 7.), non sunt provinciis praefecti, quos et aliter descripsit vates 17, 12-17. et Romae inimicos gravissimos esse dixit, sed reguli intra Imperii ditionem, ut Cappadociae, Numidiae, Germaniae etc., quos innuit quoque vates 17, 18. Hi ubi

fumum combustae urbis (ut Roma modo foeminae modo urbis imagine describitur) *adspicient*, *e longinquo adstabunt*, neque accedere audebunt quia urbem mire devastari cernentes poenamque inde divinam eam pati ominantes sibi quoque timent, sicut ab aegroto et infelice poena, ut putatur, divina notato amici procul absunt eumque detestantur Ps. 88, 19. 38, 12; hausit haec vates ex Ez. 27, 35. *Una hora*, subito v. 16. 19. (legendum hic esse *μίαν ὥραν* pro *μιᾷ ὥρᾳ* vel *ἐν μ. ὠρ.* p. 42. dictum) *advenit judicium tuum* מִשְׁפָּטֵךְ i. e. poena a deo judice decreta et perfecta. Ceterum *ὅτι* ab *οὐαί* pendet: vaeh tibi o Babylon (cf. p. 42.) quod punita es! — V. 11—19. Aegrius vero etiam ruinam Urbis ferent mercatores nautaeque. Hac enim urbe ad quam omnes undique merces carissimae et rarae confluebant eversa totum suum quaestum victumque pessum ire vident. Quae hic eo uberius vati depingere libuit, quo longiores hujus generis naenias ob Tyrum eversam fusas in V. T. reperiebat Ez. 27. Jes. 23. Et hi quidem mercatores nautaeque quanquam similes admodum sunt et hinc similiter admodum Romam lugentes depinguntur (cf. *ὅτι μιᾷ ὥρᾳ ἠρημώθη* v. 16. 19. eadem naeniarum clausula; *κλαίοντες καὶ πενθοῦντες* v. 15. 19), ita tamen a vate distinguuntur, ut mercatoribus luctum gravissimum tribuat. — V. 11–16. *Stropha secunda. Mercatores terrae* (i. e. mercatores ex omnibus terris Romae habitantes vel ad quaestum faciendum eo confluentes cf. v. 19. 23.) *flent lugentque quod nemo amplius emit merces* eorum; *γόμος* propr. plenitudo, merces navem implentes i. fere q. *φόρτος* Act. 21, 3. V. 12. 13. Merces hae, quo simul quam immensae luxuriae Urbs indulgeat certius fiat, singulae ita enumerantur, ut nomina aut in genitivo a *γόμον* pendeant, aut aeque ac *γόμον* in accusativo ponantur, casibus his duobus secundum enunciationum seriem et rerum similium enumerationem grate alternantibus. Ordo autem mercum singularum hic est, ut praemissis rebus ad ornatum et vestitum pertinentibus pretiosissimis (*χρυσοῦ*-*κοκκίνου*) sequantur ligna et metalla vasis aedificiisque splendidis idonea, tum v. 13. aromata cibique lauti, denique equi, currus et servi. *σηρικόν* *sericam*, cum nomine ipso ex China ad plurimas ceteras terras Asiae occidentalis Europaeque pervenisse demonstraverunt nuper Klaproth et Abel-Remusat in *Journal asiatique* T. 2. p. 243 sqq.; fuisse eam tunc temporis in Romanorum imperio satis raram et auri fere pretio habi-

tam, ex Plin. h. n. 6, 17, 20. Vopisc. Aurel. c. 45 aliisque testimoniis apparet. De ligno *θύϊνον* seu *citr*[eo] ab arbore *θύα citro* desumto cf. Aelian. var. hist. 5, 6 Celsii hierob. T. 1. p. 76. T. 2. p. 22–29. Salmas. exer citt. Plin. p. 667. homonym. hyl. iatr. p. 84; lignum ho[c] ex Africa Romam arcessitum mensis imprimis pretios[is] conficiendis inserviebat; obque adjectum *πᾶν* auctor d[e] *vasis* potius ex eo confectis variis cogitasse videtu[r]. Affinia sunt *vasa ex ebore* et *ligno pretiosissimo*, vel [de] ebeno, sicut Ez. 27, 15, cujus effatum vatis menti hau[d] dubie obversabatur, שֵׁן וְהוֹבְנִים *ebur et ebenum* conjungit. Sequentia nomina tria in genitivo posita ab a[b]pendere facillimum est interpretatu. — V. 13. De *κιννάμωμον* (nomine ex קִנָּמוֹן Cant. 4, 14. derivato) arbore odorifera, ex India maxime insulaque Taprobane in Asiam reliquam Europamque advehi solita, cf. Celsii hierobot. T. 2. p. 350—359. Enoch. 19, 3. 31, 1. Quod post *κιννάμωμον* sequitur *ἄμωμον* male in codd. et edd. plurimis ob vocis praecedentis sonum similem omissum, nomen est aromatis fragrantis, unguentum optimum praebentis; ex India advectum dicunt scriptores antiqui plurimi, quanquam idem in montibus Cordychaeis Mesopotamiae nascebatur, unde et Indicum et Assyrium vocatur, cf. Strab. l. 16. p. 747. Dioscor. 1, 14. Sil. It. 11, 402. Plin. 12, 13. 16, 32. Virg. Ecl. 3, 89. Asiatic Researches art. 1811. Tab. VI. idem frutex dictus videtur *ὄμωμι*, de quo v. Heynii opusc. acad. T. 1. p. 381. *σεμίδαλις simi-lago* seu farina tritici (*σῖτος*) optima. *ῥέδα rhedas* constat fuisse genus curruum mulis junctorum a Gallis ad Romanos perlatum (Caes. bell. gall. 1, 51. Varro de re rust. 3, 17. Quintil. inst. 1, 5.), ut illo tempore in Oriente potissimum rarum esset. *σώματα* Graecis serioribus simpliciter pro *σώματα δοῦλα*, *αἰχμάλωτα*, *τοῦ οἴκου mancipia* LXX. Gen. 36, 6. Tob. 10, 10. 2 Macc. 8, 11. Polyb. 4, 29. 38. Spanh. ad Arist. Plut. v. 6. Lobeck ad Phryn. p. 378. Sequens *ψυχὰς ἀνθρώπων* ex נֶפֶשׁ אָדָם Ez. 27, 13. derivatum cll. נֶפֶשׁ et *ψυχή* Gen. 12, 5. 1 Macc. 10, 33. est ipsa hebraea vox pro graeca illa *σῶμα* ejusdem significationis: *vivum, peculium vivum* i. e. servi, mancipia. Sed ita tautologia oritur haud toleranda; cumque nomina duo haec, quae synonyma videntur casibus diversis quibus in hac enumeratione rerum discrimen poni diximus, enunciata sint, haud dubitandum quin vates di-

versa servorum genera innuerit. Prius *equis* et *curribus* praepositum servos humillimos significare videtur; alterum ex vatis mente servos omnis generis [1]). — V. 15. 16. His igitur mercibus venditis qui mercatores opes immensas ex Roma sibi comperarunt, procul ab ea, quam everti et incendi vident, consistentes (v. 10.) inter luctum lacrimasque dicent: vaeh Urbi vestibus ornatae splendidissimis, (i. e. imagine simul ex meretrice 17, 4. petita: quae tanto luxu, tot mercibus pretiosissimis indiguit) quod tantae opes *vastatae sunt* i. e. vastatione urbis v. 19. perditae, abolitae. Optime ex experientia ipsi norunt, quantae opes perierint suaeque, quod per se sequitur, merces quod non amplius vendi possint lugent. —

1) Sequentis v. 14. hic est sensus: *fructus* (ὀπώρα autumnus ut קַיִץ Amos 8, 1. 2. fruges maturae, poma dulcia, ut Symmach. Cant. 4, 13. 16. LXX. Jer. 40, 10. 12. Longi pastor. p. 90.) *desiderii animi tui* (תַּאֲוַת נַפְשְׁךָ Jes. 26, 8. Ps. 10, 3. 21, 3.) i. e. fructus tibi desiderati, cari et expetiti ἀπῆλθεν סָר *abierunt a te*, recesserunt, evanuerunt, et *omnia lauta et opipara* (cibi lauti et opipari) *tibi perierunt in aeternum*. Cibis desideratis, lautis, delicatis amplius frui haud poteris. Sed haec sententia quid sibi hoc loco velit nemo bene dixerit; imo quo penitius in capitis hujus sensum, partium distributionem orationisque progressum inquiras, eo eam alieniorem judicabis. Concedi quidem possit personam tertiam v. 11. in secundam mutatam esse cf. v. 23. 24. quanquam is transitus hic per se satis est durus et haud excusandus; sed alia gravissima obstant. Nam versum 15. statim post mercium enumerationem v. 12. 13. ponendum esse tam apertum est, ut nemo id nisi vatis mente male perspecta negare queat; et ipsa versus 14. sententia hic prorsus aliena est, sive mercium enumerationem spectes v. 13. absolutam sive orationis nexum, ex quo hic mercatorum verba legi nequeunt. Nec tamen sententia haec alio loco bene inseri potest; nam neque post v. 11. posita e sententiarum nexu idonea est neque post verba οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι v. 23, quia enunciationes v. 22. 23. aliter omnes adornatae sunt nec nisi ab *Urbe* imagines desumunt. Accedit quod quomodo versus e v. 23. huc transferri potuerit non apparet. Igitur sic statuendum videtur. Auctor verba haec margini adscripsit aut alio ex libro aut sermonem alium ullibi hic inserturus et mox impeditus. Quae tamen verba, qui primum vel prima libri apographa confecit, in textum hic male inseruit; nam a primis inde temporibus verba hic posita fuisse codd. et verss. consensus deest. Vidique postea easdem fere difficultates jam ante me Bezam, Markium, Launaeum et Vitringam sensisse, ut versum aut v. 23. aut post v. 11. ponendum censeant; quod tamen minus bene statuitur.

V. 17—19. *Stropha tertia.* Nautarum miratio planctusque non *futurus* describitur, quod hucusque vidimus, sed ut jam factus visusque narratur. Sic enim omnino futurum in hac visione cum *praeterito* (urbs enim etiam jam diruta dici poterat c. 16. 17.) misceri ad v. 8. notatum est. Omnis gubernator et quicunque *ad locum navigat* i. e. nauta minor, litera legens nec nisi ad locum vicinum unum alterumve tendens, et *nautae* i. e. ut ex hoc nexu apparet, qui maria transeunt navibus majoribus, unde adjectum *et quicunque mare exercent,* cum labore transeunt, labore subigunt, (i. e. sulcant, labore marino quaestum faciunt, locutione bene graeca Hesiod. theog. 440. Dionys. Halic. 3, 46. Arrian. exped. Alex. 7, 18, 8. ut *ἔργα θαλασσήϊα* Il. 2, 614. Soph. Antig. 542.) lugent. Pro *ὁ ἐπὶ τόπον* (vel ex var. l. *τόπων*) *πλέων,* quae est locutio singularis, textus ante Griesb. habuit *ὁ ἐπὶ τῶν πλοίων ὅμιλος navigantium multitudo,* quae lectio ex *τόπων* perperam omisso orta est, unde alii codd. etiam habent *ὁ ἐπὶ τῶν πλοίων πλέων.* — V. 18. Incendi destruique Urbem videntes exclamant: *quae urbs similis est huic urbi magnae?* i. e. quae urbs tam misere penitusque destruitur, ut nunc Urbem hanc magnam destrui videmus v. 19. Possent quidem verba etiam sic intelligi: quae urbs huic potestate aequiparari poterat? Sed ita non claudicat tantum sententia sensusque hic aptior desideratur, sed repugnat etiam locus fonti suo Ez. 27, 32. [1]), e quo toto v. 29—35. haud dubie vates longam hanc picturam desumsit. — V. 19. Vehementius naenia composita plancturi luctumque justum palam facturi pulverem in capita spargunt (e noto more Job. 2, 22. etc.) dicentes: vae! quod uno momento devastata est urbs, in qua opes immensas sibi pararunt mercatores illi, quorum naves per maria vehuntur, *ἐκ τῆς τιμιότητος αὐτῆς ob ejus magnificentiam,* luxuriam rerumque pretiosarum amorem. Apte sic nautae de navium suarum dominis queruntur. — V. 20. Post longa haec inserta ut oratio quae a coelesti voce inceperat v. 4. eadem apte finiat, eadem illa vox coelestis coelo beatisque Christianis (qui soli nunc e visionum harum fictione certum hoc dei decretum audire possunt) firmum de Romae excidio dei beatos impie oc-

1) sensus ibi hic: quae urbs est Tyri instar, hujus eversionis instar (i. e. ut haec eversa) in mari; כְּדֻמָּה pro כְּדֻמָּה posito cf. gr. hebr. p. 364.

cisos, vexatosque ulturi decretum gratulatur; cf. 12, 12. Apteque haec gratulatio lamentationibus tribus impiorum v. 10. 16. 19. opposita est. *ἀπόστολοι* neque ex origine neque ex usu Jesu discipulos duodecim selectos solos notant, sed haud raro in N. T. de praeceptoribus, quales primis ecclesiae temporibus plurimi erant, ecclesiarum plurium *peregrinantibus* dicitur Act. 14, 4. 14. Rom. 16, 7. 1 Cor. 12, 28. 2 Cor. 8, 23, quo latiore sensu hic eo melius intelligitur, quod apostoli summi 21, 14. cognomine *τῶν δώδεκα* distinguntur. *Prophetae* vero praeter apostolos doctores sunt ecclesiarum singularum summi, minores *διδάσκαλοι* proselytis, ut videtur, instituendis idonei 1 Cor. 12, 28. *ὅτι* quod deus poenam quam ob vos meruerunt ab ea repetit, שָׁפַט מִשְׁפַּטְכֶם מִמֶּנָּה cf. v. 5-7.

c) v. 21—24. Denique hanc Urbis eversionem ruinam et solitudinem in perpetuum eandem mansuram esse significatur et confirmatur. Quod signo satis gravi innuturus vates angelum (fortem, ut res postulat) lapidem molarem ingentem in mare dejicere fingit. Actio haec symbolica duplice quidem ratione Romae casum notat, partim eam vi et subito casuram esse ut lapis impetu (*ὅρμημα*) dejicitur, partim eam in *perpetuum* destructum et e terra hominumque conspectu abolitum iri, ut lapis in mare injectus nunquam emergit et prorsus evanuit (Ex. 15, 5.); sed ruinae in *perpetuum* mansurae denotatio hic potior est fusiusque deinceps v. 22. 23. adumbratur et confirmatur. Actionis hujus exemplum vati suppeditavit Babelis casus a Jer. 51, 63. 64. similiter lapide in Euphratem dejecto significatus. — V. 22. 23. Urbis penitus desolatae hominibusque privatae descriptioni huic multi prophetarum veterum loci praeiverant, ut Jer. 7, 34. 16, 9. 25, 10. (qui locus praecipue vati obvius fuisse videtur) 33, 10. Ez. 26, 13. Amos 6, 5—7. Jes. 24, 8—10. 1 Macc. 1, 45; aptissime vero vates imagines de Roma nunc hominum frequentia laetissima luxuriaeque et potentiae sonitu perstrepita, mox desolanda varias sic dispescuit, ut prius v. 22. *interdiu*, dein v. 23. *noctu* nullum amplius hominum frequentiae signum audiri aspicive describat. Igitur silent instrumenta musica tractantium canentiumque soni laeti; nullibi porro invenias artis cujusquam peritos, ut fabros laboris sui sonitu aera implentes; nec molae strepitus amplius auditur. Qua ultima imagine non ad ancillarum plurium juncto latore molas manibus

agentium cantica laeta allusisse vatem putem (ᾄσματα ἐπιμύλια Athen. 14. p. 618. cf. Wilkii dissertationem ad h. l. Vitenb. 1760), sed ad altum molarum strepitum; certe illud ex ipsis verbis elici nequit neque e Jer. 25, 10. probari potest. V. 23. Noctu lucernae nullae fulgent neque sponsi sponsaeque media nocte per plateas sibi obviam euntium comitumque eorum (Matth. 24, 6. 7.) laetitia strepitusque auditur. Adjunguntur in fine causae poenae hujus, brevius tamen enunciatae quia supra saepius fusiusque descriptae sunt. Elocutionem ὅτι οἱ ἔμποροί σου ἦσαν οἱ μεγιστᾶνες τῆς γῆς multi ita intelligunt, ut verba οἱ ἐμπ. σ. praedicatum continere putent hoc sensu: *principes terrae rem tecum habuerunt*, ut 17, 2. 18, 3. μεθ' ἧς ἐπόρνευσαν οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς dictum erat. Sed mercatorem dici qui rem cum meretrice habet inauditum prorsus est, esseque *mercatores* hic sensu proprio intelligendos tum ex eorum mentione modo injecta v. 11. 15 tum ex loco unde haec enunciatio hausta est Jes. 23, 8. satis apparet; essetque postea non ὅτι sed καὶ positum. Igitur quod per se etiam facillimum est, οἱ ἐμπ. σ. subjectum habeamus hoc sensu: tam immensae luxuriae indulsisti ut mercatores tui opum ingenti copia potiti principes essent terrae. Vituperatque vates hic in fine, quae potissima sunt, scelera Urbis *tria*, primum luxum immensum, quem ex proxime de mercatoribus dictis v. 11—19. describit, tum quod artibus magicis (φαρμακεία cf. not. ad 9, 21; intelliguntur hoc loco artes imprimis amasiis inebriandis et seducendis aptae) gentes omnes seduxit sibique subjecit, ut supra 14, 8. (17, 2. 4, 18, 3) imagine fere eadem dictum erat; denique v. 24. quod Christianos plurimosque alios trucidavit insontes, quae res potissimum urguenda est. αἵματα דָּמִים *sanguis saepius profusus* i. e. crimen ob plures insontes occisos contractum; hoc insontium caedium crimen *in ea inventum est*, negari nequit. Personae secundae alloquium in fine in tertiam mutari haud mirum.

C. Proinde tandem aliquando tempus advenit dudum exspectatum exoptatumque, quo Messias ipse in terram adveniens tum impios quotquot reliqui sunt omnes debellet removeatque tum regnum inchoet coeleste, piorum praemium justum. Jam enim fracta jacet potentia, diruta Urbs Romana; territi punitique sunt impii plurimi; nec nisi Antichristus cum ejus comitibus reliquis-

que impiis frustra poena divina monitis (16, 21) superest Messiae debellandus unoque ictu et momento vincendus; et hi soli Messia ipso vindice et victore digni sunt. Ad hunc igitur Messiae adventum ut satis digne praeparetur,

1. 19, 1—10. primum scena praeluditur coelesti. Coelicolae summi reliquique coeli incolae pro victoriis causae Christianorum justae et reportatis et mox reportandis, salute piorum jam certa coetuque Christianorum sacro Messiae adventu beando gratias deo agunt ex animo maximas. Quae quia ab omnibus agendae sunt, consessus coelicolarum omnium solemnis ultimo hoc loco idem prorsus instruitur a quo omnis actionis picturam exorsus erat vates c. 4; quo simul quae ibi in coelitum sacro consessu futura et perficienda dicta erant quaeque ipsi coelites quo diutius protracta eo ardentius semper desideraverant (5, 8. 6, 10. 8, 3. 4.), ea eodem in coetu jam perfecta praedicari possunt. Jamque coelicolis quae tuba ultima detonante sibi congratulati erant 11, 15—18, fidentius certiusque repetere et confirmare licet. Belleque visio haec in tres minores distincta est hasce:

1) v. 1—4. Totus coelestium coetus ob *reportatos* bonae causae triumphos laetis resonat clamoribus laudantesque et adorantes deo gratias agunt justas. Sic aptissimus simul panditur transitus a plagarum ultimarum et praecipue Urbis eversae mentione c. 16—18. Angelos beatosque v. 1. intelligi per se patet. *ἀλληλούϊα* ex LXX pro הַלְלוּיָהּ, in templi secundi hymnorum introitu et fine frequentatum, ut ad laudationem divinam coetus universus excitetur. Judaei Alexandrini forma magis ad aramaeae linguae genium accommodata הַלְלוּ pronunciasse videntur. Virtutes deo *tres* tribuunt (cf. p. 91): *salus* (servandi et auxiliandi potestas. cf. 7, 10) *majestas et potentia dei nostri* sunt, ei soli tribuenda et in laudem ejus vertenda. Quod v. 2. ex Urbis eversae, quae deum et juste peccata punire et poenam promissam summa cum fide exsequi documento sit, exemplo probatur. Alterum igitur *ὅτι* prius explicat. *ἀληϑ.* de eadem re jam supra 15, 3. 16, 7. obvium erat. Judicavit punivitque Urbem meretricem (17, 1. 5), cujus quidem crimina duo potissima haec sunt quod artibus flagitiisque suis meretriciis terram i. e. omnes gentes regesque seduxit corrupitque (cf. 11, 18 *τοὺς διαφϑείροντας τὴν γῆν*. 14, 8. 17, 2. 4. 18, 3. 23) et cultorum dei piorum sanguinem insontem profudit (cf. 6, 10. 16, 6. 17, 6. 18, 24). Id crudelitatis

crimen jam ultus est deus, *ἐξεδίκησε τὸ αἷμα — ἐκ χειρὸς αὐτῆς*, quae junctura hebraea נִקַּם, דָּרַשׁ דָּם מִיַּד Gen. 9, 5. Ez. 33, 6. hoc sibi vult: poenam sanguinis profusi repetere ab eo, cujus manus caedem perpetravit. — V. 3. Interjecta, ut mos est in canticis, brevi pausa iidem coelites laudationem hanc repetunt adduntque, urbis eversae poenam in perpetuum mansuram esse. Igitur sententia per *καὶ* copulata versus 2. fini arctissime annexa sententiamque ultimam continuare cogitanda est. Fumus Urbis qui in perpetuum adscendere dicitur ex urbis modo evervae incensaeque imagine 18, 9. 13 ad Orcum traductus videri possit, ad quem vatem hic respexisse locus simillimus 14, 11 monstrat. Sed cum haec imago admodum incongrua sit, vatem missa prorsus c. 18. imagine hic ad Orcum tantum 14, 11. respexisse nec Urbem, sed *foeminam* v. 2. hic describere aliorum instar hominum in Orco puniendam putare praestat. Neque adjectum esse *τῆς πυρώσεως* 18, 9. 18. reputandum est. — V. 4. Laudationem hanc solennem digne coelites summi ut coeli sacerdotes maximi adoratione brevique eloquio confirmant finiuntque, quae eadem fictio cernitur 5, 14. 7, 11. (minus huc pertinet 11, 16). *Ter* igitur hallelujah repetitur, id quod consulto factum esse post tot numeri hujus sancti indicia supra explicita vix est quod moneamus.

2) v. 5—8. Sed nova incipi potest laudatio; novus isque ultimus et maximus instat bonae causae triumphus. Ad quem triumphum celebrandum divina vox provocat coelites, qui eum instare bene jam tenentes et ex ipso loquente concludentes nec nisi hortationem hanc Messiae praestolantes vel pleniore concentu in laetissimos erumpunt clamores, jam Messiam regnum coeleste inchoaturum cum coetu piorum sancto unitum iri gratulantes, id quod statim fieri imagine adjecta adumbratur. — V. 5. Vox haec coelestis e throno divino progressa haud dubie *Messiae* est cogitanda, ut 16, 1. 18, 4 ubi v. not.; *angeli* enim vocem ne hic quaeramus, partim ipse orationis color monstrat partim hortationis ad omnes coelicolas conversae majestas. Hortationis ad deum celebrandum forma haec *αἰνεῖτε τὸν θεὸν ἡμῶν* Psalmis serioribus (ut 134, 1) frequens. *μικ. καὶ μεγ.* coelites minores, ut angeli, beati, et majores, ut archangeli, presbyteri, animalia. — V. 6. 7. Gaudentium nunc gratulantiumque post talem hortationem multo majorem esse cla-

morem laetum et ab omnibus omnino inchoatum adjecta καὶ ὡς φωνὴν, ὑδ. π. καὶ ὡς φων. βϱ. ἰσ. (cf. 1, 15. 11, 15. 14, 2. 6, 1.), quae v. 1. vati adjicienda non videbantur, probare possunt. Haud tamen dei *Messiaeque* regni initium celebrant, ut 11, 15—18, quia Messias eos *deum* tantum celebrare jusserat v. 5. *Laetemur et exsultemus* (שָׂמַח ,גִּיל) *deoque justam tribuamus gloriam laudemque* (cf. 1, 6. 4, 9. 11. 11, 13. 14, 7. 16, 9.). Gaudii causa e *nuptiis* Christi uxorisque ecclesiae repetitur. Cujus imaginis haec est origo. Est inter deum gentemque ullam eum colentem officium aliquod arctum sanctumque mutuum. Tuetur praecipitque deus, obedit seque a deo tutam custoditamque credit gens, tutela hac divina, si praecepta temere migrando officium violat mutuum, indigna habenda. Qui nexus mutuus optime cum mariti uxorisque nexu comparari potest. Cumque prophetis veteribus urbem gentemve *foeminam* nominare et hinc piam deique cultui fidam purae et integrae seu uxoris conjugi fidae, impiam et deo infidam *meretricis* impurae et sceleratae imagine depingere solenne sit (cf. not. ad 14, 8. et vers. nostram Cantici cant. p. 36. 37.), imagines hae frequentes, unde aut obscurae esse aut minus decorae videri queant nihil habent. Quod ad Christi ecclesiam imagine adaucta ita est translatum. Ecclesia, quamdiu Christum nunc non in terris versantem aliquando adventurum piosque suos cultores ipsa numinis sui benigni praesentia nunquam defutura beaturum exspectat, virgo videtur desponsata quae nisi conjugii felicissimi spe et jure excidere velit, mores tueri debet sanctissimos et castissimos. Quos si inviolatos servarit, Messias tandem adveniens benigni instar mariti eam suscipit tutelaque sua praesenti nunquam defutura beat; cf. 2 Cor. 11, 2. Tempus igitur adventus hujus Messiae sponsi instar media nocte accedentis (Matth. 25, 6.) ad ecclesiam castam praesentia sua beandam *nuptiae* dici potest, ut bene vates: ὅτι ἦλθεν ὁ γάμος τοῦ ἀϱνίου, et cum ecclesia fida castos servarit mores, jam nuptiali die ut sponsae instar ad sponsum excipiendum sese exornet ei permittitur; unde si Messiae sponsa *jam ad ornandum parata adstans* dicitur, laetam illam adventus horam proximam esse patet. Potestque ex his colligi γυνή hic de *uxore desponsata* intelligendum esse, ut infra loco simillimo 21, 2, vir desponsatus ἀνήϱ dicitur cf. Matth. 1, 20. Simulque sic pulchre ecclesia christiana ut infra 21, 2. Urbs

coelestis tanquam virgo casta et ornanda Romae meretrici ornamentisque privandae (16, 15.) opponitur. — V. 8. Jamque sponsa ornamentis induendis sponsoque excipiendo parata ipsa ornamentis his indui fingitur, ut Messiae statim advenienti obviam ire queat. Quam descriptionem hic tantum ad imaginem perficiendam remque certius affirmandam adjectam esse patet, ut saepius in libro hoc sors piorum impiorumque futura, quam ratam fieri serius narratur monstraturve, quasi in antecessum jam repraesentatur 14, 1—5. 15, 2. *Permissum ipsi est* (a deo), *induere* (cf. 17, 4.) indumentum *byssinum* (ob summum candorem id eligitur) *purum et splendidum;* candidum autem colorem, quia mores candidos et probos notat, (cf. ad 3, 4. p. 127.) hic consulto electum esse ipse vates explicat: byssinum enim hoc indumentum candidum *justificatio* est sanctorum i. e. sanctos a deo justos beandosque declarari notat, ut supra narratum est 6, 11. *δικαίωμα* igitur non est *virtus*, sed justificatio, quod alibi semper notas.

3) v. 9. 10. Opportunitas hic sese vati offert pios Messiae cultores, ut salutis eos mansurae memoriam recolant, admonendi. Quam beati sunt pii fidique Christo adveniente! seu ex imagine illa v. 7. 8. continuata, Christo sponso accedente! Cumque cum nuptiis coena lauta laetaque conjungi soleat, imago illa sic etiam porro exornari applicarique potest, ut Christus nuptias celebraturus ad *universam* ecclesiam ut sponsus accedens, *singulos* vero asseclas suos fidos ad convivium nuptiale convocans cogitetur. Quale convivii et laeti et amicissimi [1]) gaudium supra 3, 20 Messias suis pollicitus est; nec dubium quin uterque locus sibi respondeat. Quam promissionem tam gravem laetamque his ipsis verbis divinis hominibus communicandam vates perscribere statim jubetur, ne ipsissima verba memoria excidant, fictione simillima loco 14, 13. Idque divinum affatum vati dicit angelus, per visiones omnes comes ei datus perpetuus (cf. supra p. 86. 87);

1) hoc esse puto illud: *ego cum illo coenabor et ille mecum* 3, 20. i. e. familiarissime res agetur, amicitia erit intima. Eandem imaginem non vati tantum nostro propriam esse, sed ex tempore illo haustam, docet Luc. 14, 15: *μακάριος ὃς φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ* etc. 4 Esr. 2, 38. 39. 44. 45. 7, 26. Eisenmeng. T. 2. p. 872. (Corrodi) Gesch. des Chiliasm. T. 1. p. 329 sqq. sed male huc referunt Jes. 25, 6.

qui idem postquam vates verba haec fideliter perscripsit (sic enim fictio concipienda est et hinc ad pausam significandam, καὶ λέγει μοι repetitur), deum haec edixisse hincque verissima esse promissa, vati affirmat. — V. 10. Ob hanc promissionem tam laetam certamque vates angelum hunc, qui ipsi omnia haec laeta demonstravit promissionemque hanc effatus est, tanquam naturam divinam adoraturus in pedes provolvitur; sed inhibet eum statim angelus adorationem deprecans soli deo debitam; cum enim quicunque sive homo, sive angelus doctrinam Messiae a deo traditam firmiter tueatur prophetico spiritu actus futura intelligere queat, et se prophetis tantum pìisque Christianis optimis quibuscunque parem esse et deo soli adorationem deberi satis in aprico esse; cf. idem 22, 9. Magna in hoc effato singulari egregioque elucet doctrinae Messiae a deo traditae admiratio et aestimatio; quantum enim fidi ejus asseclae praemium assequi possunt? prophetae fieri possunt vel *angelis* similes, sicut et alias angeli Messiae doctrinam summi facere et cognitionem ejus anquirere dicuntur (1 Petr. 1, 12. 1 Cor. 6, 3.). Utque hoc ipso fides christiana, quo totius libri finis tendit, enixe commendatur, sic vates simul se, quia hanc sincerrime tueatur, divina scire futuraque fidenter ominari innuit; agnoscas eum προφητὴν θεοδίδακτον! Angelus dicit: ὅρα μή *vide ne!* noli facere! ego te omnibusque fidem Messiae constanter profitentibus (i. e. Christianorum piorum fidorumque copia cf. ad 6, 11. 12, 17 not.) non superior sum, sed σύνδουλος aeque ac illi Messiam colens adoransque, cf. 6, 11; *deum* potius adora Messia mittendo promissisque his laetis hominum saluti consulentem; nam *professio Jesu* est spiritus propheticus i. e. si quis fidem ejus constanter tuetur, is eo ipso spiritum habet propheticum. Male hunc versum egregium intt. vulgo (cf. et Storr neue Apologie p. 367. 388) sic explicant: *ego sum* legatus dei qualis tu et reliqui Apostoli; et quicquid Jesus in hoc oraculo exposuit e spiritu prophetico manavit. Scilicet μαρτυρία ἰησοῦ haud dubie idem bis denotat, et τὸ πνεῦμα non est ἐκ τοῦ πνεύματος; totusque hic sensus nervo et decore caret. Neque nos a sensu vero aberrasse monstrant loca in Ascens. Jes. 7, 21—23. 8, 3. 4. 9, 31, quae quanquam secundum hunc ipsum Apocalypseos locum formata mihi videntur, auctorem tamen ex illo sensu locum nostrum intellexisse probant.

2. 19, 11—21. **Proinde Messiae cum selecto piorum agmine descensus in terram sequitur ad Antichristum et Pseudoprophetam, duos inter homines hostes summos hoc solo victore dignos, reliquosque quotquot supersunt impios profligandos poenaque merita plectendos ultima. Ubi multus est vates in splendida et augusta qua Messias cum comitibus apparet forma describenda; ipsam contra pugnam brevissime delineat idque aptissime, ut *uno* momento adversarios rei christianae infestissimos et ultimos tanti victori succumbere innuatur. Visio haec iterum in tres minores divisa est:**

1) v. 11—16. Messiae cum selecta cohorte ad pugnam cruentam advenientis majestas uberius describitur. Agmen quia coelitus descendit, vates *coelum apertum* conspicit (cf. ad 4, 1. et test. XII. patriarch. in Fabr. cod. ps. V. T. p. 545. Herm. Past. 1, 1. unde simul locutionem hanc cuique novae visioni coelesti praefigi posse patet); idque hic omnino commode moneri poterat, quia nova prorsus instruitur scena et pro coelitibus v. 1—10. agmen Messiae coelum implet. Ergo adspicienti prius paullisper quiescendum oculique avertendi erant. Agmen equis insidet, ut equitatus omnino fortior est nobiliorque, cf. 9, 16. 14, 20; Messiaeque equus *candidus* est, ut ducis et victoris, cf. supra ad 6, 2. not. Ipsum tamen ejus nomen quia vati ob causas saepius dictas tacere visum est, praedicata potius sequuntur, e quibus illud divinetur, gravia et hoc imprimis loco aptissima. Is est, qui *καλούμενος vocatur*, celebratur *fidus et verus*, promissis suis ut omnibus ita huic potissimum de impiis profligandis stans, cf. 1, 7. 3, 7. 14; *et qui juste* (בְּצֶדֶק) *decernit bellatque*, ut omnino justa tantum decreta et judicia novit, ita nunc etiam juste bellum decernit exsequiturque. *πολεμεῖ*, quod insolens est Messiae praedicatum, ex hujus visionis sensu fluxit. De constructione *καλούμενος καὶ — κρίνει* cf. p. 45; ob verbum secundum postpositum participii constructio mutatur. — V. 12. 13. Descriptio formae a capite incipit cf. p. 100. Oculi flammae instar lucidae fulgent, ut 1, 14. jam dictum est; caput multa diademata ornant, quae *multa* sint, quia Messias *rex regum* est v. 16; vatem ad Davidis regis unius devicti coronam sibi imponentis exemplum 2 Sam. 12, 30. (cll. 1 Macc. 11, 13.) respexisse non putem, omninoque ima-

ginem hic legi ad rei factae naturam haud anxie exigendam tenendum est. *Nomen,* quod Messiae *fronti* haud dubie *inscriptum* est (cf. ad 2, 17. 17, 5. not.), *nemini praeter ipsum perspectum* nomen est divinum יהוה (cf. not. ad 2, 17. 3, 12.), mortali nemini perspectum nec nisi deo ejusque συνθρόνῳ Messiae tota sua vi et pronunciatione vera cognitum. Hoc nomine ornatus non minus quam munitus et firmatus Messias divina instructus est potentia et scientia. Aptaque sic oritur inter Christum divino hoc nomine ornatum et Antichristum titulos dei majestatem violantes fronti inscriptos gerentem 13, 1. 17, 3. oppositio omnino vati adamata studioque quaesita. Videas etiam haec διαδήματα πολλά opposita diadematibus Antichristi decem 13, 1. Vestis ejus sanguine tincta, cujus imaginis lineamenta haud dubie ex Jes. 63, 1—3. ducta sunt, impios eum jam trucidasse 14, 19. 20. moxque reliquos trucidaturum esse innuit. Nomen quidem *Messiae* proprium omittitur, sed adjungitur tamen nomen, quo vocari possit et a paucis vocari coepit, rarius *ὁ λόγος τοῦ θεοῦ.* De cujus nominis origine et vi hic pluribus loqui alienum foret satisque dixere intt. ad Joh. 1, 1.; illud tantum hic monere liceat, nomen hoc proprie angelum summum et primum denotans jam ante Christum natum inter Judaeos ortum inque Messiam translatum esse, ut Sap. Sal. 18, 15. Philonis scripta et alia (cf. etiam orac. Sibyll. I. 18. II. 20. append.) probant. Cumque nomen hoc ad Christum transferendum esse plures primis christianismi conditi temporibus putare possent, haud certo ex nomine hoc in N. T. hoc tantum loco et Joh. c. 1. obvio Johannem Apostolum utrumque opus scripsisse concludas. — V. 14. Exercitum Messias ducit coelestem tum ex angelis (2 Thess. 1, 7.) tum e beatis selectis compositum, quem supra 14, 1—5. 2, 26. jam tetigit vates; hique et equis insident candidis una cum Messia victores v. 11, (cf. praec. Enoch. 55, 1—5.) et vestibus induti sunt candidi byssi, quod ipsum eos in coelo jam a deo beatos factos esse monstrat cf. v. 8. 3, 4. — V. 15. 16. Finita sic Messiae ejusque agminis descriptione vati alia quaedam succurrunt Messiae praedicata, quae ipsi cum huc apprime pertineant omittenda haud viderentur. Suntque ea non nova, sed prius jam aut descripta aut leviter tacta; sed hic omnia annectenda et singulis locis supra descripta pulchre copulanda videbantur; omninoque vates his capitibus, ubi omnia et finiun-

tur et comprobantur rataque fiunt, descriptiones supra adumbratas in lectorum revocat memoriam. *Gladii*, quo gentes (11, 18.) percutiat Messias, cujusque usus aptus v. 21. indicatur, mentio 1, 16. 2, 12. injecta est, ubi v. not. (locorum Jes. 27, 1. 34, 5. 6. Deut. 32, 41. alia est ratio); *baculum ferreum*, quo gentiles pascat, regat, subigat, supra 2, 27. se asseclis suis traditurum Messias pollicitus est; *torcular* vinum seu ex imaginis cum alia imagine mixtae sensu sanguinem hostium vino dei irati ferventissimo necandorum continens ab angelo Messiae loco calcatum esse supra 14, 19. 20. descripsit vates, ab angelo factum nunc a Messia ipso immaniori modo repeti indicans. Ceterum si τοῦ θυμοῦ καὶ τῆς ὀργῆς legitur, synonyma haec composita sunt ad *maximam iram* significandam; omittunt quidem plures καὶ, sed loco simili 16, 19. probabiliter seducti. Restabat denique Messiae ut *regis regum*, potentissimi, Antichristo omnibusque terrae regibus superioris, nomen honorificum supra jam 1, 5. et praec. 17, 14. tactum et hic maxime idoneum. Id tamen nomen cum fronti, in quo alias vates similia ponit, ob fictionem v. 12. inscriptum cogitari nequeat, hic *vesti* ita inscriptum fingitur, ut in femore conspicuum eluceat. Inscriptiones enim hujus generis literis lucidis majoribus in paludamentis nonnunquam ita eminebant, ut literarum series ab humeris ad latera inferiora propagaretur, cf. Herodot. 2, 106. Cic. Verr. 4, 43. Le Bruyn voyage IV. p. 336. Le Moyne ad Jerem. 23, 6. Münter diss. ad Apoc. 17, 5. p. 2. Rosenmüller das alte und neue Morgenl. T. VI. p. 232 sqq. Ceterum legendum est τὸ ὄνομα hoc (sequens) *nomen scriptum est*; Griesb. τὸ male loco suo movit.

2) v. 17. 18. Tanto duce accedente, victoria vel priusquam pugnam committat incipiatve certa est et indubia unoque temporis momento parta. Angelus igitur jam aves omnes ut ad totius exercitus hostilis devincendi et occidendi cadavera devoranda frequentes advolent invitare et hortari potest. Frequens est tum Graecis tum Hebraeis aliisque Orientalibus haec avium cadavera in pugna occisorum depascentium imago; respexit vates potissimum ad Ez. 39, 4—20. cf. Jes. 18, 6. 56, 9. Jer. 7, 33. 12, 9. 1 Sam. 17, 46. Exc. Ham. p. 442. ed. Schult. Simulque huic inest hostium sic sine humationis honore intereuntium infamia gravis. Angelus ille e summo

coelo, unde exercitus Messiae advenit, quo melius avibus rapacibus medio in coelo (μεσουρ. v. 8, 13.) volantibus intelligi possit, inferius devolat et in solis regione consistit, ut e terra coelove inferiore adspicientibus *in sole* stare videatur. Hostilis exercitus quia deo moderante (cf. 16, 14.) totus trucidatur, aves in occisos velut in *convivium dei magnum* irruere dici possunt. V. 18. Color sermonis perquam similis locis 6, 15. 13, 16. *Omnes* simul trucidandi et avibus devorandi sunt praeter Antichristum et Pseudoprophetam, cujus rei causa statim v. 20. 21. explicabitur.

3) v. 19—21. Igitur pugna utrinque committitur. Cujus statim in exordio inimici Messiae duo acerbissimi, Antichristus exercitus dux et Pseudopropheta, quia prae ceteris omnibus peccarunt hosque ad scelera immania seduxerunt, poena singulari et quae cogitari potest acerrima ita plectuntur, ut comprehensi non trucidentur, sed vivi in Orci flammas detrudantur in perpetuum igne torrendi: ceteri vero ad unum omnes Messiae nutu occisi avibus depascendi traduntur. Sic uno momento, nutu, ictu, hostes profligantur poenisque justis exstirpantur! Quod autem hostes illi duo acerbissimi, quia *vivi* in Orcum detruduntur, gravius plecti cogitantur, satis verum est. Nam dum omnium primi exercitu suo spectante comprehenduntur vivique detruduntur, poena ipsis exercituique gravior videatur necesse est; vivumque repente in loca inferna abripi, quia rarum et insolens est, multo terribilius et acerbius habitum est quam anima morte solita placidaque a corpore semota in Orcum descendere cf. Num. 16, 32-54. Jes. 5, 14. Sed haec ad loci vim non sufficere facile sentias. Sensus summus hic est. Ceteri impii in fine demum rerum ultimo post mortuos resuscitatos judiciumque de omnibus latum in Orcum flammis torrendi detruduntur et ad illud usque judicii tempus morte sepulti sunt nec dolorem nec laetitiam afferente, ut si in Orco lateant, haud tamen ea Orci parte, qua *flammis* impii puniuntur. Cf. Enoch. 53, 1—6. et infra 20, 5. 10—15. Igitur si hostes illi duo acerrimi nunc statim vivi in flammas detruduntur, per totum illud tempus proximum, quo ceteri impii mortui doloribus cruciatibusque vacant, poena jam plectuntur acerba. Qui casus quanto magis deplorandus et luctuosus! Verumque hunc esse sensum inde etiam probatur, quod ceteri im-

pii v. 21. occidi devorarique, neque vero *in Orcum flammantem* detrudi dicuntur, id quod post annos demum mille fit 20, 10—15. In verbis τὸ θηρίον καὶ τοὺς βασιλεῖς τῆς γῆς καὶ τὰ στρατεύματα αὐτῶν συνηγμένα agnoscas scriptorem ad sententiam supra 17, 14. cll. 16, 13. 14. 17, 12—17. jam prolatam breviter respicientem; ut v. 20. pseudoprophetam iisdem fere verbis adumbratum vides quibus 13, 11—17. vates usus erat. Lacus igne perpetuo sulphureque aestuantis et fumantis descriptio supra jam 14, 10. 11. a vate delibata est. Pulchre Messias v. 21. omnes reliquos *jussu solo* suo gladii instar feriente et trucidante perimere dicitur cf. p. 101. 102. etc. 20, 9. 2 Thess. 2, 8. Enoch. 62, 15. 4 Esr. 13, 4—13. 38. 15, 23. Χορτάζεσθαι proprie *herba* pasci, saturari omnino dicitur de animalium pastu omnique victu; h. l. est *satiari* cf. v. 17. 18.

3. C. 20. Actum jam est de omnibus hominibus impiis: qui unus ex atrocissimis Messiae Christianorumque superest hostibus, Satanas c. 12, is neque pugnae illi ab hominibus eo auctore bellantibus commissae 19, 19—21. ipse intererat, neque hominum instar puniri potest. Igitur ne regno Christianorum porro noceat, vinculis bene coercitus in Orcum detruditur, incipitque hoc denique boni probique hoste primo et acerrimo remoto regnum Christianorum piorum quietum, fidei et probitatis ne maximis quidem vexationibus infractae praemium justum. Sed hic novum fictioni accedit commentum de *mille annorum* spatio mundi hujus fine. Scilicet post Satanam vinctum non statim piorum impiorumque sors aeterna judicio dei de universis lato decernitur, id quod cum mundi hujus compage soluta novoque mundo condito arctissime cohaerêre putabant Judaei: sed *mille anni* restant ante mundi hujus finem. Quod per spatium satis longum Christi ecclesia vel in hac, quae labores ipsius aerumnasque constantia exantlatas gravissimas vidit, terra ipsa hostibus pristinis omnibus remotis, quo majores antea perpessa est vexationes injustas, eo justiore fruitur pace et quiete summa dudum exoptata; oppressi jam victoria a Messia parta utentes regnant. Cumque hujus felicitatis dudum promissae omnes omnino Christianos participes fieri amiceque unitos regnare par sit, omnes etiam pii qui prius mortui vel ob fidem, ut plurimis accidit, occisi sunt, divino jussu resuscitati immortales-

que facti per totum illud spatium beate viventes vitae integrae prius transactae praemia ferunt digna. Impii igitur dum per mille annos istos morte sepulti jacent ignobili, pii jam resuscitati laborum praemio gaudent; quoque injustius caedibus et vexationibus mortem obierunt immaturam, eo diutius vita saluteque gaudent. Cumque Christianos omnes fere injustis gentilium vexationibus occidi vates cogitet (6, 9. 7, 9 sqq. 14, 1. 15, 2.) neque aliud ex temporum illorum conditione conjici sperarique posset, regnum hoc Christianorum per mille annos terrestre *martyribus* potissimum prodesse videbatur, cf. v. 4. Post annos vero illos mille rerum instat omnium consummatio: Satanas enim carcere dimissus, quia implacabili in pios fervet odio, gentes in terrae finibus ultimis sitas et hucusque incognitas prorsus et disjunctas ad bellum regno illi piorum quieto inferendum frustra excitat, hocque ipso finis rerum acceleratur. Jam enim his quoque gentibus rei bonae inimicis deletis Satanaque, quem amplius inter dei cultores versari non posse patet, in perpetuam poenam remoto, *omnibus* igitur *totius terrae*, quod caput rei est, impiis perspectis et secretis, *judicium* institui potest dei de *omnibus* hominibus ultimum; omnesque resuscitantur, ut impii in aeternum a piis omnibus secreti longissimeque remoti flammis Orci torreantur, pii vero perpetuo vita dei in novo mundo numine praesenti aliisque praemiis infinitis beata fruantur. Jam enim cum insuper mundi hujus spatia a deo constituta post mille illos annos finita sint, mundus exoriatur novus impiorum expers omnibusque, quibus praesens laborat, malis carens. Hic est eorum ambitus totus, quae vates de mundi hujus sorte ultima mundi novi exordio praevia impiorumque omnium a piis secernendorum poena ominans optansque, ut e notionibus aequalium suorum maximae parti satis jam notis hausta, brevius enunciat verboque innuere satis habet. Nam in his de ultimis terrae fatis opinionibus et commentis, qualia prophetae V. T. jam conceperant Judaeique seriores varie adauxerant, ad christianam rem sapienter picturaque homine christiano digna transferendis et Christianorum suae aetatis solatio hortationique scite adhibendis novum cernas et peculiare vatis studium. Dispescuitque vates visionem hanc in tres minores hasce:

1) v. 1—3. Satanas ab angelo divinitus delegato vinctus in Orcum detruditur, ubi per mille annos coer-

ceatur. Nam in dissitis terrae regionibus gentes restant a fide christiana alienae, ad quas in fine mundi seducendas et ut sanctos Christi asseclas bello infestent permovendas Satanae inimica quaevis Christianis molientis interventu opus est v. 8. 9; ergo vel hanc ob causam haud confestim exitio flammarum ultimo v. 10. tradi potest, quia ei e carcere dimisso in terra nondum ab improbis omnibus purgata ultimos denique improbos seducendi locus relinquitur; quod si, ut praevideri potest, fecerit animumque suum ab omni probitatis amore prorsus alienum corrigique nescium probarit, ipse denique cum his ultimis rei christianae hostibus poena afficietur aeterna nec amplius ei in mundo novo et impietatis et ansae impietatis omnis experte locus erit ullus. Nec fictio haec nova: similiter Judaei daemones seu angelos vel reges peccatis impuros deoque ingratos factos, ne hominibus noceant, in Orco vinculis firmis coercitos teneri fingunt (cf. not. ad 9, 14. p. 183. et praeterea Jes. 24, 22. ubi prima fictionis vestigia agnoscas). Igitur Satanam in Orcum detrusurus angelus *clavem* habet (cf. ad 1, 18. 9, 1.) et *catenam* (ἅλυσις, cf. impr. Sap. Sal. 17, 16. 18. 18, 4. ubi eadem vox de catena ad improbos in Orco vinciendos; derivata videtur ab ἁλύω *circumvolvi*) *magnam*, ob molem suam in (ἐπὶ) *manu* prominentem. Isque Satanam (cujus nomina factaque horrida et detestanda hic consulto omnia ex 12, 9. repetuntur) comprehensum vinctumque in Orcum dejicit. ἄβυσσος igitur Orci locus est in quo manes et proborum et improborum sine sensibus fere et cruciatibus versantur, ut inde in vitam revocari queant (cf. ad 11, 7. 17, 8.), isque probe distinguendus a τῇ λίμνῃ τοῦ πυρός, in quam detrusi aeternis flammis torrendi et cruciandi sunt 14, 10. 11. 19, 20. 20, 10. 14. 15. 21, 8. Ne libidine Christianis nocendi abreptus Satanas carcerem relinquat, gentesque (ἔθνη, a fide christiana alienas, quas hic in dissitis terris habitantes cogitandas esse ex v. 8. 9. apparet) ut prius christianis inimicas faciat, locus unde demissus est, bene clausus sigillo impresso munitur, ut idem de locum infernum lapide munituris legitur Dan. 6, 14. Matth. 27, 66; constructio ἐσφράγισεν ἐπάνω αὐτοῦ fluxit ex סָגַר, חָתַם עַל Job. 12, 14. Sed ubi mille annorum spatium ad finem vergit, vinculis per tempus breve *solvendus* est, nimirum ut quaecunque deus de impiis omnibus exstirpan-

dis piisque secernendis inque novo mundo beandis decrevit rata fiant.

2) v. 4—10. Sequitur *mille annorum* descriptio. Quae quid sibi velit quave ex origine manarit, obscurum dubiumve esse nequit. Cum enim prophetae veteres saepius de tempore, quo deus praesens impiis punitis vel remotis pios tuiturus et recturus sit, fausto et exoptato verba fecissent, Judaei seriores circa Antiochi demum Epiphanis, ut probabile est, tempora similium commentorum uberrima, *quando* tempus hoc faustum adventurum sit, subtiliter quaerere coeperunt. Cumque id ex ipsis libris sacris arte kabbalistica elici posse iis esset persuasum, haec enata paullatim est opinio prona, multos mox adeptura asseclas fidos: Mundus hic quia *per septem dies* a deo creatus est, per septem tantum dies, seu potius per *septem millia annorum* duraturus videtur; mille enim annos deo unius instar diei esse ex Ps. 90, 4. derivari poterat. Utque porro deus per sex priores dies in opere isto laborasse, septimo a labore cessasse et quievisse dicitur, ita sex priora post mundum conditum annorum millia labori, septimum millenarium otio et quieti destinatum est. Accessit praeceptum mosaicum (Deut. 15, 9. Lev. 25, 1—8.) de *septimo* quovis anno sabbathico, quo omnia in pristinum ordinem quietum restituenda sint (שְׁמִטָּה). Unde sic concluserunt Judaei isti: Quibuscum calamitatibus et vexationibus gravibus nunc conflictandum est oppressis piis, eae per sex tantum milliaria priora saevient septimumque ut pii denique otio velut sabbathico vitaque quieta, fausta, laborum iniquorum experte fruantur a deo constitutum est; quanquam et haec quies haud aeterna erit, cum cyclo annorum mundi septem millium toto absoluto mundi hujus compages solvenda, impii in aeternum removendi et puniendi, pii in mundo beatiore et perfectiore praemiis ornandi sint justis. Spatium igitur hoc semper ut felicius tempore praesente, ita non felicissimum habitum est. Alii deinceps, cum ultimum hoc mundi milliarium remotius sit, *sextum et septimum* milliarium hoc traduxere; alii ratiocinatione illa omissa milliarium hoc aevum faustum prius etiam, imo mox advenire posse varie putarunt, sperarunt, conjecerunt; cf. Tanchuma fol. 255, 1. Gemarah Aboda sara I. p. 65. ed. Edz. Sanhedrin fol. 97, 2. 92, 1. Eisenmeng. Judenth. T. 2. p. 652. 678 sqq.

Fabr. cod. ps. V.T. p. 33. 1079. Corrodi Geschichte des Chiliasmus T. 1. 2. 1781. (qui tamen liber animi acerbioris et commenta poetica spesque generi humano aut necessarias aut condonandas male et inique aestumantis indicia fert gravia) [1]). Quam quidem de milliario hoc opinionem spe et votis conceptam vates sic ad rem christianam transfert. Pii omnes (nam v. 4. impii tantum excluduntur) imperio gentilium Romano deleto non quiete tantum vivent regnoque terrarum, quo gentiles abusi sunt, gaudebunt, sed singulari etiam Messiae praesenti numine et tutela superbient (μετὰ τοῦ χριστοῦ v. 4. 6.). *Omnesque* omnino pii societate hac beata juncti erunt, ita ut martyres, quorum maximam copiam e temporum illorum ingenio exspectare licet, mortuique resuscitati immortalesque facti [2]) nec amplius praemio hoc privandi cogitandi sint. Idque e potissimis piorum praemiis est, quod dum impii morte sepulti jacent, ipsi jam ante judicium ultimum mundique finem et vitae gaudio fruantur et praemiorum vitae mundo renovato beatissimae sensum praegustent. Sedes imperii Hierosolyma erit v. 9, ut prophetae veteres *Sione* olim legum divinarum cultum laetum beatitatemque infinitam fore ominati erant; certumque etiam est, vatis menti ecclesiae dei piis resuscitatis in terra sancta regnantis imaginem ab Ez. 37–39. adumbratam obversari. Neque piorum regnum hoc *omnes* omnino terrae regiones complectitur, sed fere eas tantum, ad quas libri hujus scripti tempore religio christiana propagata erat, Romani igitur imperii (*orbis terra-*

1) mundum certis periodis seu *Kalpa* judicari, destrui et renovari statuunt *Indi.* Pios prius quam impios resuscitandos infinitis ornari praemiis dum impii morte ignobili sepulti sint, primus finxisse videtur ex notionibus persicis (cf. Zend-Avesta P. 3. p. 111. 112. ed. germ.) Dan. 12, 2. 3. qui tamen mille annos non habet; nam Ez. 37, 1—28. Jes. 26, 18. 19. haud dubie *imagines* tantum de populo universo, qualis prius erat, quasi ex inferis reducendo et restituendo finguntur, quanquam loci hi seriores vates ad commenta sua duxisse videntur.

2) quaeri hic possit, an vates pios regni hujus sub auspiciis viventes ejus gaudio simul frui, et quomodo hoc possint, cogitarit? Sed si de fatis hominum futuris sermo est, tam parum de hominibus sub ordinis novi initium viventibus cogitatur, et tantopere spes in *mortuis* tantum, quia horum longe maxima est copia, detinetur, ut vatem de his tantum loqui haud sit mirum. Similiter ceteri N. T. scriptores (praeter Paulum in epp. ad Thessal.) semper fere de mortuis solis loquuntur.

rum, *ἡ οἰκουμένη* cf. ad 16, 14.), quod in libro hoc rei christianae semper opponitur, tum fracti et victi provincias; hinc cum nondum ab omnium hominum impetu malevolo tutum sit Messianum regnum, in fine mundi Satanas vinculis solutus gentes in terrae plagis remotissimis sitas, quibuscum nulla unquam nec Romano imperio nec regno christiano ei succedenti societas et cognatio, ad bellum sanctis et vel Hierosolymis regni sedi inferendum seducet. Horum vero conatu temerario et nefario represso et Satanas impiique terrae totius omnes, postquam frustra piis perniciem struxerunt perspecti satis sunt atque poenas summas cumularunt, et finito simul mundi annorum cyclo judicium de omnibus institui impiique in sempiternum a piis arcendi et puniendi flammis tradi possunt.

Spem regni hujus milliarii inter N. T. scriptores vates noster solus adumbravit. Nam ceteri scriptores, qui disertius paullo fusiusque rerum in fine mundi ultimarum, qualis exspectabatur sperabaturque, seriem enarrant, nec *mille* annos unquam memorant, nec, quod vel majore jure exspectes, pios *prius* judicatum iri et in vitam revocatos in terra jam praemiorum coelestium justum delibaturos esse affirmant, Matth. 24, 29—31. 25, 31—46. 1 Cor. 15, 23—28. 1 Thessal. 4, 15—17. 2 Thessal. 1, 5—10. 2, 3—12. (nec referenda huc videtur *ἡ ἀνάστασις τῶν δικαίων* Luc. 14, 14. 15. cll. Act. 24, 15.) Vulgatior igitur inter Judaeos aeque priores ac Christianos Apostolorum aetate haec fuit opinio, Messiam in terram advenientem statim de omnibus judicaturum, impios puniturum atque pios in meliorem mundum vitii omnis et manci expertem translaturum esse [1]). Imo spem illam

1) Nec liber Enochi et 4 Esr. mille annorum regnum norunt. Nullum Apocalypsin inter et reliquos N. T. scriptores, Paulum praecipue, discrimen vere inveniri, post Bertholdt christolog. p. 179. 194. nuper demonstrare annisus est *J. F. Flattius* in comm. peculiari: annotationes ad locum Pauli Ap. 1 Thess. IV, 16. s. coll. cum Apoc. XX. in opusc. ejus acad. ed. G. F. Süskind. Tubing. 1826. p. 411—433. Sed eum hoc non demonstrasse discrimen apertum anxie celantem, non tollentem, fatendum est. Frustraque omnino laborat, qui quae varii *sperarunt*, ad concordiam in singulis minutam revocare conatur. Ita Paulus quae de Messia ut dei legato post mundum saluti suae redditum officiumque suum ita perfectum tandem deo se subjiciente tradit 1 Cor. 15, 23—28, Apocalypsis et ignorat et vatem vel sic credidisse nos ut credamus non adducit. Ex

videas hic recens fere in hanc rerum futurarum seriem inseri. Nam vates brevius tantum et festinanter regnum hoc milliare tangit, beatorumque praemia in regnum demum mundi novi coeleste sedulo cumulat omnia 21, 1—22, 5; tardarique paratam jam piis salutem summam in regno coelesti, ex 19, 7 cll. 21, 2 concludas. Nihilominus sive commenti hujus originem sive picturam hic delineatam finemque operis summum spectes, nihil est quod vatem id ad rem christianam traduxisse aegre feras. Nam spes haec ex eodem, unde omnis de rebus his futuris, fonte manavit, imaginibus scilicet, spe pia et votis conceptis, paullatim in rem quasi factam certoque eventuram translatis. *Speranda* et e *spe* votisque piis hausta nos legere, non certo a deo constituta, tenendum est. Et si regni denique coelestis imagines miseris solandis omnibusque ad probitatem fidemque instigandis inserviunt, quidni et haec minoris, quae praecedet, felicitatis pios solos manentis descriptio? Nimirum apte hoc regnum Messiae terrestre ad coelestis, in quo salus beatitasque et major est mundo prorsus novo omnisque quod terrae nostrae semper adhaeret vitii experte creato deoque etiam cum Messia praesente, et nunquam interrumpenda impiis omnibus in perpetuum remotis secretisque, (ζωὴ αἰώνιος) regni gaudia praeparat sublimiora, ut sensim omnia augentur crescuntque. Apteque profecto spes de gentibus terrae dissitis, a re christiana alienis, tandemque frustra eam infestaturis adjecta est; nam his demum ultimis hostibus remotis salus emicare potest summa judiciumque institui de omnibus. Adde quod omnes omnino rerum futurarum imagines piis solatium praebentes in picturarum serie longa cumulare libri hujus finis ferebat. Nec illud praetereundum, regnum hoc Christianorum terrestre egregie regno, quod libri scripti tempore terrarum imperio potitum Christianos vexabat, Romano opponi. Nonne ipsa justitia ut Romano imperio fracto Christianorum regnum sequatur postulare videtur? et quam breve saevitiae in Christianos vexationisque tempus Romano imperio concessum est (13, 5), si cum regno hoc milliario comparetur! Haud quidem negandum est, regni hujus Messiae terrestris imagines facilius ab hominibus terrestria aucupantibus male intelligi et lascive exornari posse, id quod

1 Cor. 15, 22. 23. Luc. 14, 14. 15. 1 Thess. 4, 16. hoc solum sequitur, *pios* in judicio universo ante impios resuscitari.

Judaeos plures Christianosque primis saeculis haud paucos ipso hoc loco nonnunquam seductos fecisse constat: at vatem omnia beatitatis genera sic depingere vides, ut impuri sensibusque adblandientis nil admixtum sit, utque *piorum* tantum tantis praemiis dignorum vitam et salutem augeri, non ipsam terram resque humanas transformari, diserte innuat [1].

V. 4. Quia inter mortuos quinam pii resuscitandi et vitae in regno Messiae terrestri beatae participes faciendi sint videndum est, judicium instituitur solenne; quanquam cum de paucioribus tantum judicandis agatur, neque deus nec Messias, ut in judicio de omnibus in fine mundi habendo v. 11, sed *angeli* tantum summi a Messia delegati judices sedent. Ipse ad judicium consessus et tota omnino visio haec descripta sunt ex Dan. 7, 9. 10. 22. *Vidi thronos,* sellas judicum currules cf. כִּסֵּא Ps. 122, 5 et *θρόνον μέγαν* v. 11, *et* (quidam, angeli) *insederunt iis judiciumque,* judicandi potestas, a Messia iis tradita est (male *christianos* etiam judices sedisse putant). Jam *quosnam* judices hi vita saluteque regni messiani dignos declararint, protenus adjicitur: *et* (vidi) *animas mortuorum —καὶ ἔζησαν et in vitam redierunt* (cf. p. 43), quae hebraea prorsus est junctura: וָאֶרְאֶה אֶת־נַפְשׁוֹת־נִחְיוּ i. e. vidi animas mortuorum (mortuos resuscitari et in vitam redire; sed *ψυχαί* hic resuscitari dicuntur, quia mortuis etiam corpora sunt subtiliora *ψυχαί* dicta. cf. ad 6, 9. Resuscitari autem *omnes* pios ita

1) his monitis vix est quod interpretationibus hujus loci variis falsis immoremur. Omnes ad duo redeunt genera. Ut enim ab altera parte haud dubie errant, qui vatem hic res futuras *certas praedixisse* regnumque hoc aut jam adfuisse et incepisse aut exspectandum esse autumant, ita non minus vatis saltem mentem non assequuntur, qui eum non vere mille annos, nec Messiae praesentiam etc., sed tempus tantum longum, rem christianam propagatam et victricem et . depingere voluisse sibi persuadent. (ut Hartwig Apol. P. 1. p. 231—358. Eichh. etc.) Utrique quam aliena a vatis vel scientia vel mente genuina statuant videant. Ceterum interpretationem a nobis propositam sequuntur Patres antiquissimi (ut Barnab. ep. c. 15. Eus. h. e. 3, 33. Tertull. de mort. persecut. c. 56. adv. Marc. 3, 24. Lact. inst. 7. Iren. 5, 32 sqq. nisi quod plurimi imagines humiliores sectantur et regni hujus terrestris descriptionem cum coelesti c. 21. male confundunt. v. Münscher in Henkii Magazin T. 6. p. 239.

exprimitur, ut primo loco *martyres* nominentur ob firmam et inconcussam fidei christianae professionem (cf. p. 87.) securi (πελεκεῖ) percussi, quo supplicii genere ignominioso simul ad magistratus romanos securi occidentes alluditur; dein ceteri omnes pii qui Antichristum adorare noluerunt cf. 13, 16. 17. 14, 9. 15, 2. 16, 2. 19, 20. Igitur καὶ οἵτινες simul a ψυχὰς τῶν pendet junctura hebraea. ἐβασιλ. cf. ad 1, 6; alludit ad 2, 26. 27. — V. 5. 6. Cum vita per se jam morte ignobili moraque in Orco, si doloribus carente, at injucunda saltem et infructuosa potior sit aestimanda, impiorum sane per totum hoc tempus longum in Orco latentium sors lugenda est. Accedit quod pii hi judicati resuscitatique in regno Messiae hoc terrestri futuri coelestis in aeternum duraturi mundoque novo vitii experte creato felicioris sensum jam praegustant; Messiae enim numine praesente tuti sunt et sacerdotum instar sanctorum (ἅγιος sequenti ἱερεῖς explicatur) naturae divinae propiores carioresque, cf. not. ad 1, 6. Et haec ipsa de piis per mille hos annos ante mundi hujus finem beatis opinio *resurrectionis primae mortisque secundae* notiones ut huic libro frequentes (cf. et supra 2, 11) ita reliquis N. T. scriptis incognitas enasci fecit. Cum enim regni beatorum milliarii terrestris spes cum antiquiore judicii in fine mundi de universis habendi exspectatione jungeretur, duplex statuenda erat resurrectio, prior ad pios tantum, ergo ad *pauciores*, ut ex temporum illorum conditione colligi poterat (cf. p. 164), pertinens, posterior in fine mundi jam ad ingentem tantum impiorum copiam trahi poterat v. 12. 13; sed videntur tamen opinionis hujus fautores pios resuscitatos jam et immortales factos in hoc mundi fine corpora splendidiora et novo mundo aptiora induturos esse putasse. Nec non *judicium duplex* statuendum erat, prius ad pios solos pertinens cum resurrectione priore conjunctum; alterum in fine mundi ad omnes omnino pertinens solenne, quo impii vix ad judicium audiendum resuscitati in Orcum eundem, regionem tamen ejus flammis aeternis plenam, iterum detrudendi et in perpetuum puniendi, pii dudum immortales facti jam corporibus splendidioribus assumtis amplioribus etiam in novo regno coelesti praemiis digni censeantur. Igitur impii *bis* in Orco morantur, tum ante resurrectionem et judicium hoc, quae mors (cum mora in Orco mors sit) *prima* dicitur, omnibus communis hominibus et ut vita

pejor et luctuosior ita doloribus gravioribus carens; tum vero etiam post *judicium*, quae *mors secunda* appellatur, in aeternum durans et ad impios solos doloribus (flammis) aeternis plectendos destinata. Cf. targ. Jes. 22, 14. Tanchuma fol. 48, 2. Schöttg. hor. I. p. 1136. — V. 7. Satanas (proprio jam nomine indicatus) versus mille annorum finem demum vinculis solvitur, quia regno Messiae terrestri per totum hoc spatium quies concedenda est haud interrupta (v. 3), ut satis appareat, quam parum apte ad vatis mentem consiliumque commentum Platonicum de animis mille annorum spatio purgandis (cf. Virg. Aen. 6, 748) a Wetst. et Eichh. ad hujus capitis explicationem allatum sit. — V. 8. 9. Populos dicit vates in remotissimis terrae tractibus (quasi in finibus terrae in quatuor angulos exeuntis cf. ad 7, 1) sitos, quibuscum nulla unquam nec Romano Imperio, in cujus locum ambitumque regnum christianorum successit, nec Apostolis vatis tempore fuit commercium et societas, Asiae imprimis interioris nationes innumeras (ὧν ὁ ἀρ. αὐτ. ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης Gen. 22, 17 etc.); quas ceteroquin Hebraeis Romanisque prorsus incognitas fama tamen historia comprobata nonnunquam terras versus occidentum et meridiem sitas inundare ferebat, ut certe fictio haec bene concipi potuerit. Primus quantum scimus ea usus est, quem vates brevitate eximia expressit, Ezechieles, c. 38. 39. ultimos et insolitos civitatis judaicae hostes, si vel ab extremis terrae finibus Judaeam inundent, frustra civitatem sanctam a deo defensam invasuros esse sperans; nec dubium quin vates in tota hac visione v. 4—9. ad Ezechielis fictiones similes c. 38—39 respexerit.[1]) Ex Ezechiele etiam nomen populorum illorum גוג ומגוג ductum est. Quae nomina populos Asiae septentrionalis et interioris multos variosque, quorum obscura erat fama nec singulorum sedes distinctae cognitae, eodem fere modo significant quo Graeci populos hos omnes diversissimos uno *Scytharum* nomine complectuntur, cf. Michaelis spicileg. geogr. Hebr. P. 1. p. 24—56. Nec quaerendum an Ezechielis, nedum Vatis nostri aevo populi duo revera nomina haec gesserint, cum ea tum ex

1) hinc omnino seriores belli Gogi et Magogi in ultimo rerum fine oriundi saepius mentionem injiciunt, cf. Targ. Hieros. et Pseudojonat. in Lev. 26, 44. Num. 11, 27. Sanhedrin fol. 97, 2. Eisenmeng. Judenth. T. 2. p. 679. 733 sqq. G. Knös chrest. syr. p. 66—107.

traditione tantum scriptorum hebraeorum memoriae inhaesisse constet. Si tamen quae sit nominum origo quaeritur sic statuendum videtur. Antiquum populi cujusdam Asiae interioris remoti nomen fuisse *Magog*, idque solum sine Gog adjecto, ex Gen. 10, 2 apparet. Idque serius Hebraei cum sua ex lingua, מ *locum* significare putantes *locum Gogi* interpretarentur, nomen Gogi finxere regem vel reges terrae Magogi vicinarumque denotare; certe sic Ez. 38, 2. 3. locus intelligendus. Alii deinde post Ezechielem, inter quos et noster est, nominibus sic ortis lusu quodam verborum (ex quo lusu Arabes vel ياجوج وماجوج fecere) ut synonymis copulatis ad *omnes* omnino populos remotos significandos usi sunt. Serius Arabes inde چين وماچين *Sina et Sina magna* (terrae adjacentes) formarunt. — V. 9. Graphice populos feros ex angulis terrae in regiones ampliores Judaeamque denique terrarum mediam, imo vel ad regni sedem, Hierosolyma, occupandam audaci animo progredientes fingit vates. *Ascenderunt* (ἀναβαίνειν עָלָה verbum proprium de Judaeam accedentibus) *in latitudinem terrae* i. e. in terram qua late patet (Hab. 1, 6), Judaeam versus progredientes terrarum altissimam. Imo vel ipsa Hierosolyma obsidione cingunt, *castellum* (παρεμβολή, locus cui copiae imponuntur, statio, castra) *sanctorum*, qui quinam sint ex v. 6. cll. 11, 13 ibique not. apparet, *urbemque deo amatam*; ipsius Hierosolymorum nominis hic omissi causam veram ad 11, 8. et alibi saepius indicavimus. Sed huc usque ubi audacia eorum processit nefaria, dei vindicis poena justa inopinato coercendi sunt; ignis igitur coelitus demissus, quo deus Sodoma evertit Gen. 19, ut ab Ez. 39, 6. 38, 22 cll. Jes. 29, 6. ad populi deo sancti tutelam adhiberi fingitur, ita a vate nostro hujus vestigia legente; cf. supra 8, 7. 11, 5. 13, 13. De temporis futuri et praeteriti mixtura v. 7—10 cf. p. 13. vates sibi in visione exercitum jam Satanamque victum oblatum fingit, postquam ipso mille annorum spatio gesta ipsi praedicta sint. — V. 10. Satanas igitur jure summo in aeternum puniendus Antichristo et Pseudoprophetae, quos socios sibi in terra adjunxerat, in Orco associatur cf. 19, 20.

3) v. 11—15. Jamque post ultimos terrae impios remotos, cum simul annorum mundi cyclus finitus sit,

de omnibus piis aeque ac impiis judicium ferri potest. Quod a deo ipso solenniter admodum habendum impiis prius in breve judicii audiendi tempus resuscitatis supplicia in Orci flammis aeterna irrogat. Piis deinde simul cum mundo hoc jam vitii peccatorumque libero restaurato praemia decernuntur summa nunquam desitura 21, 1 sqq. Hoc igitur est τὸ τέλος a Paulo dictum 1 Cor. 15, 23; haec est ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος, qua impios flammis tradendos aeternis a piis justisque segregatum iri Jesus cum doctoribus judaeis effatus erat Matth. 13, 39—49. cf. 4 Esr. 7, 32. [1]. — V. 11. Throno judex insidet *magno* (oppositum cf. v. 4) candido, ut divina omnia candore coruscant, judexque hic Messias divina auctoritate et vi sedens cogitandus est cf. 21, 5-8. Appropinquante deo alibi natura tantam majestatem venerans et intueri haud sustinens timere, coelum tremere, terra horrens fluvii et maria fugere dicuntur Ps. 77, 17-20. 114, 3-5; sed hic gravius terra coelumque commotum fere consistere nequit et evanescit, cum deus ad rem maximam, ad impios omnes evertendos novumque mundum condendum 21, 1, accedat; cf. 16, 20. et praec. Enoch. 50, 3. 4. 51, 1-10. ubi Messiae judicium fusius describitur; 60, 8-11. 61, 1-9. ubi *deus* cum Messia *reges* imprimis judicare dicitur; 68, 38-41. — V. 12. Vix advenit numen, cum mortui jam resuscitati omnes throno que (ut judicis decretum exspectantes decet) adstantes judicium ejus exspectant. Locutionem μικρ. κ. μεγ. ad dignitatem referendam esse, jam ad 13, 16. monitum est. Ad judicii divini, quale seriores vates post Dan. 7, 10. describunt, solennitatem librorum, in quibus ut judicium institui possit aequissimum, omnia hominum facta summa fide perscripta sunt, inspectio pertinet, ex regum judicii imagine desumta; cf. ad 3, 5. p. 127 not. Inter libros vero hos *unus* eminet, piorum quibus *vitam aeternam* meruerunt, virtutes et nomina continens (cf. p. 127.); isque inter multos *unus* tantum esse dicitur, quia omnino piorum minor est numerus (cf. p. 164.). Vatemque ex verbis κατὰ τὰ ἔργα probabile est homines impios secundum graviora vel leviora peccata diverse puniri putare, quanquam festinans hoc transit, hoc tantum potissimum urgens, impios omnes flammis tradi. — V. 13. Festinantius paullo vates homines ex aequo judicari jam

1) judicii universi cui multos post annos instituendo impii reges et daemones vincti in Orco reserventur, primus meminit vates serior Jes. 24, 22.

dixerat; amplius jam declarat, *omnes* omnino ubicunque terrarum mortuos *resuscitari* et aeque judicari. Ne ii quidem excepti cogitandi sunt, qui in *mari* perierunt quorumque, quia inhumati sunt, manes miserandos vage in maribus litoribusque oberrari, nec in Orcum (ut notiones Orci ex sepulcri imaginibus fluxere cf. בּוֹר שַׁחַת) pervenire posse antiqua ferebat superstitio cf. Od. 4, 511. Hor. Od. 1, 28. Enoch. 60, 7. Targ. Ps. 68, 23. Hinc: *et mare mortuos in ipsum demersos dedit*, haud continuit jubente deo, et, ut imago perficiatur, *mors et Orcus mortuos in ipsis versantes*, sueta ratione humatos. — V. 14. Acutum commentum! Cum pii in regno statim inchoando coelesti sine morte mortisque metu sint (21, 4.), impii vero omnes in lacum sulphureum dejiciendi, sponte intelligitur, Orco, in quo mortui pii impiique nunc versantur, optime mundum carere posse. Itaque Daemones Orci hujus duo, Mors et Orcus (cf. 6, 8.) ipsi regno suo deperdito in lacum sulphureum demerguntur. Sic vates fictione jucunda et ob loci hujus nexum adaucta exprimit fere quod Paulus dixit ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος 1 Cor. 15, 26. Sequentia verba οὗτός ἐστιν ὁ δεύτερος θάνατος per se ponenda: *haec est mors secunda!* en quomodo mors secunda oriatur, mortis scilicet, qualis nunc est, ratione et vi sublata; cf. not. ad v. 5. 6. — V. 15. Postquam ita mors secunda impiis omnibus flammarum cruciatu aeterno plectendis destinata enata est, ditione Orci flammantis et fumantis seu lacus sulphurei, in quem prius jam tres dejecti sunt v. 10, Orci prioris ambitu adaucta (hoc enim ex vatis mente ita intelligere licet), post Mortem et Orcum in lacum hunc omnes deturbantur impii.

3. 21, 1—22, 5. Jam post impios omnes in sempiternum semotos praemia piorum in *mundo novo* justitiae, virtutis, felicitatis sede (*καινοὶ οὐρανοὶ καὶ γῆ καινὴ ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ* 2 Petr. 3, 13.) aeterna pandi videmus. Quo virtus spectata deinde praemia ferat justa nec amplius vitiis et ceteris, quae nunc in terra manca cernimus et vana, turbata et oppressa sit, mundus exoriatur necesse est prorsus novus, manci omnis et caduci expers; sicut vates jam priores, terrae qualis nunc apparet vitia aegre ferentes eaque emendari cupientes sincerrime flagitantesque, pulchram illam quam animo et voto conceperant mundi melioris vel instaurati imaginem

olim ratam factum iri speraverant. Cui pulcherrimae spei hic uberius describendae vates imagines circumspicit aptas vatibusque jam prioribus haud incognitas. Primum enim mundi hujus novi colores ex *paradisi*, qualem traditio antiqua Gen. 2. descripsit, imagine depicti sunt, quasi res ipsa postulet ut mundus ille novus pulchra aetatis aureae, quae e mundo nostro mature evanuisse dolemus, vestigia omnia referat servetque in aeternum. Post hanc deinde aetatem nulla homini Israelitico felicior, nulla dei favore notabilior videri poterat quam *mosaica*; unde haec ipsa aetas in mundi novi incunabulis ita redire dicitur, ut *dei* iterum habitaculum numenque praesens inter homines perpetuo versetur omnesque se dei favore et luce beari gaudeant. Denique post Ezechielem, qui Hierosolymae multo quam prius fuerat splendidioris et amplioris futurae imaginem depinxerat c. 40 sqq., nunquam fere deest *urbis sanctae* forma augustiore prodituraе spes; cujus imago sublimior cum jam nunc in coelo asservari putaretur [1]), Hierosolymam hanc coelestem, sanctorum sedem praecipuam, in mundo illo instaurato coelitus in terram demissum iri sperabant seriores hi vates. Tale igitur *regnum coeleste* et piorum omnium dei praesentia mundique et urbis sanctae instauratae splendore beatorum societas perpetuo laeta nonne vel regni milliaris 20, 4—9. felicitatem multum superat? et nonne hac imprimis vitae aeternae piis destinatae beatitate uberrime et ornatissime describenda vates librum miseris coaevis solandis, hortandis, erigendis destinatum aptissime concludit? Nec nisi piis constantia forti virtutumque decore insignibus praemia tanta et tam desideranda instare identidem sedulo monetur v. 5—8. 27.

V. 1. Vates Hebraeorum antiqui terram hanc *instaurari* tantum putant mutatis quae nunc ibi conspiciuntur (ut Jes. 11, 5 sqq.); seriores eam, ut ordini rerum meliori locus fiat, una cum coelo totam absumi mundoque novo cedere fingunt. Quod quomodo fieri cogitarit vates, utrum igne mundum purgante simul et absumente, id quod auctori Petrinae epistolae secundae (3, 7-13.

1) cf. supra p. 11. Eandem Hierosolymae coelestis seu superioris notionem ceteris etiam N. T. scriptoribus cognitam esse ex Hebr. 11, 10. 16. 12, 22. 13, 14. Gal. 4, 26. apparet. — Picturas de rebus beatorum futuris simillimas habet Enoch. 10, 23—29. 24, 10. 52, 6. 7. 70, 19—24. 90, 7—14. 103, 1—4.

cf. Birch auctar. cod. pseud. p. 252.) aliisque philosophis et Patribus (cf. Suicer. thes. II. p. 151.) placuit, an forma tantum mundi externa mutata (cf. παράγει τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τουτοῦ 1 Cor. 7, 31.), hic disertius haud innuitur diligentiusque investigare inane foret; illud notasse sufficiat, vatem nostrum aeque ac ceteros post exilium Judaeos (cf. Enoch. 45, 3—5. 49, 1—5. 50, 1. 2. Eisenmeng. Judenth. T. 2. p. 679. 826. παλιγγενεσία Matth. 19, 28. Rabbinis dicitur חידוש עולם Emek hammel. fol. 121, 3.) palingenesiae hujus notionem partim ex opinione animi sperantis, partim ex Jes. 66, 22. 65, 17. duxisse. Et si quam parvum *coelum* hominibus circa aetatem illam videretur (cf. ad 6, 12. 13.) reputamus, mirumne est eos ob homines solos vel totum coelum mutatum iri putasse? Cf. descriptiones similes Enoch. 18, 16. 102, 3. 92. 16. 17. et ap. Schöttg. ad h. l. Sed hoc novum hic commentum, postquam mundus hic perierit *mare* non amplius fore in mundo renovato; videturque opinio haec ex singulari, quem Israelitae, Aegyptii Indique veteres e terrae suae in qua inclusi vivebant, amore conceperant, maris alti horrore ducta esse cf. Birch auctar. cod. pseud. p. 266—272. — V. 2. Cum urbis sanctae, ut modo observatum est, imaginem augustiorem jam nunc in coelo asservari putarent hi seriores, Hierosolyma haec coelestis tempore illo terrae instauratae e coelo *dimitti* (cf. Jalkut Rub. f. 182, 1. et alia Rabbinorum loca plurima) tantum inque terra sic *nova* apparere cogitatur; certe vatem urbem sanctam regni hujus in terra sitam fore putare ex v. 10. apparet. Cumque jam in urbe hac recente, illibata et casta Messias habitaturus sit, urbs ei recipiendo apte instructa est, sicut sponsa viro (sponso) suo digne laeteque excipiendo ornata esse solet; quae imago (cf. Jes. 52, 1.) hic consulto ex 19, 7. repetitur, ut quod ibi promissum est, jam ratum fieri significetur. — V. 3. 4. Nec diu urbs sponsae instar dominum amicumque tutorem adventurum exspectat: en jam dei numen praesens favensque ei adest. Sed hoc numen adesse divinum vox angeli cujusdam summi coelestis vati comprobat, quo simul praemia et gaudia, quae ex ejus praesentia fausta in beatos redundatura sint, singularia rite describi queant. Praesentis vero numinis signum cernitur *tabernaculum* divinum, quod Mosis tempore dei sedes populique praesidium habitum (Ex. 40, 38. cf. Ez. 37, 26. 43, 7—9.), serius vero populo peccanti ereptum, in regno demum

coelesti iterum apparet (cf. ad 2, 17. 11, 19. 15, 5. Schöttg. hor. 1. p. 1217.). In hoc habitans si deus piis praesens propitiusque adest (cf. impr. not. ad 7, 15.), societas quae deum inter tuentem et beantem piosque eum sincere colentes intercedat necesse est, amica et inviolata ita restituta est, ut nunc demum mosaica de nexu hoc intimo idea rata fiat; cf. Levit. 26, 11. 13. quem locum potissimum respexit vates, sicut prius jam Jeremias 24, 7. 31, 1. Zach. 8, 8. et, qui prae ceteris huc pertinet vati haud dubie obvius, Ezechieles 37, 27. 28. 47, 3. 11, 20. — V. 4. Societatis hujus tutelaeque divinae hoc praecipuum erit commodum, quod piis et malorum, quae in terra perpessi sunt, solatium et remuneratio adest summa, nec amplius calamitates ejusmodi omninoque nulla noxa et ne mors quidem (cf. 20, 6. 14. 15. Jes. 25, 7.) timenda est. ἐξαλείψει cf. 7, 17. qui locus cum hoc omnino ex vatis mente comparandus est. πένθος luctus ob *mortem* potissimum cf. ad 18, 8. κραυγή צְעָקָה praecipue injuste et crudeliter oppressorum clamor est vindictam exposcens Ex. 3, 7. 9. Jes. 5, 6. 19, 20. Ps. 9, 13. Eadem fere verba Vajjik. rabb. f. 153, 1. Tanch. f. 54, 2. τὰ πρῶτα *priora*, mundus prior cum omnibus quae ei inhæserunt mancis, vitiis et calamitatibus transierunt. — V. 5—8. Apte jam et tempestive Messias ipse, dum in mundi melioris vix nascentis initio judex sedet 20, 11, se in mundi hujus beati sua vi creandi civitatem pios tantum et strenue pro fide sua in terra decertantes recepturum esse effatur. Egregie haec ad solandos aeque miseros ac cohortandos et instigandos composita. Verbis ἰδοὺ καινὰ πάντα ποιῶ *en mundi novi et melioris a me condendi initium* (cf. idem Jes. 43, 19. Jer. 31, 22. de nova reipublicae judaicae totiusque cum hac conjuncti mundi instauratione), Messiae sermo angeli verborum fini v. 4. annectitur. Quod Messiae effatum quia hominibus nunc in terra viventibus, quorum in usus liber hic scribitur, solatium eo majus affert, quo solennius a Messia ipso pronunciatum est, angelus comes vatem, his Messiae ipsius verbis fidem habendam esse maximam, e vestigio perscribere jubet, qua de fictione dictum est ad 19, 9. — V. 6. Pergit idem Messias mentem suam uberius expositurus: γέγονε *actum est!* finitus est mundus prior impiis semotis, quod idem vox coelestis Romae casum indicans proclamaverat 16, 17. Jamque mundus prior sublatus novusque condendus Messiam aeternum et potentissimum

esse evincit, ut jam quae supra 1, 8. 17. de vi Messiae immensa pronunciata vidimus, ipso facto comprobentur. Qua vi sua ingente piisque favente hoc etiam efficere valet, ut piis ad vitae beatae praemium aspirantibus paradisi in mundo novo coelestis gustum et fructum donet, cujus inter alia commoda aquae *vitae* et felicitatis potus (cf. not. ad 7, 16. 17. 22, 1.) largiter iis pateat, non labore gravi promerendus et emendus, sed *gratis* in laborum priorum praemium et lenimen dandus; quae vates sic ex Jes. 55, 1. expressit. — V. 7. *Victor* tantum, qui e terrae vexationibus victor discedit (pulcre ad 2, 7 sqq. alluditur) haec mundi novi gaudia certo olim possidebit, ut filius patris hereditate aliquando certo potietur; erant enim pii filiorum instar a deo amati et defensi (cf. 2 Sam. 7, 14. de Salomone dictum). Qui enim arctissimus et amicissimus inter totum piorum coetum deumque intercedit nexus v. 3, eodem singulus quisque gaudebit. — V. 8. Sed a tanto regni coelestis gaudio semoti inque perpetuum Orco fumanti inclusi (20, 6. 10. 14. 15.) esse debent improbi omnes piorum societate deique favore indigni. Quorum genera varia enumeraturus vates primo loco ponit τοὺς δειλοὺς καὶ ἀπίστους *timidos*, ignavos ipsaque hac ignavia timida a *fide* christiana deficientes, quos sic apte *victoribus* v. 7, qui maxime inter pericula fidem tuentur, opponi videmus. Igitur ἄπιστοι hic non sunt a fide christiana alieni 1 Cor. 6, 6, sed ab ea deficientes, perfidi. Sequuntur *peccatores* et *abominandi* i. e. peccata gravissima et maxime detestanda, תּוֹעֵבָה, שֶׁקֶץ vel זִמָּה, committentes; praestatque omnino βδέλυγμα hic non de singulo peccato ejusmodi, ut de scorto vel paederastia (μαλακοί 1 Cor. 6, 9.) LXX. Hos. 4, 14. 9, 10. idololatria LXX. Deut. 29, 17, intelligere, sed de omnibus; jam enim singula gravissima distinguuntur: *homicidae, scortatores, magi* (φαρμακοί מְכַשְּׁפִים cf. ad 9, 21.), *idololatrae omnesque perjuri*; perjurium enim ut vitium gravissimum saepius agmen cogit, ut Mal. 3, 5. Ceterum notanda hic est structurae ob longam peccatorum enumerationem mutatio: nam scripturus erat vates τοῖς δὲ — (οὐκ ἔσομαι θεὸς, ἀλλὰ) τὸ μέρος αὐτῶν etc.

V. 9—22, 5. Urbs beatorum uberius describenda restat. Cujus singulae partes et virtutes cum vati rerum coelestium ignaro ab angelo demonstrandae et describendae

sint, angelus hic unus ex septem illis prodit mundi pristini eversoribus 15, 1. 6. 16, 1 e quorum numero alius quidam prius Romam eversam vati descripserat et demonstraverat 17, 1— 18. Amicissime haec sibi respondent. Quam apte enim Urbs haec aeterna et perpetuo felix Romae, cujus felicitas celeriter evanuit, eversae opponitur! Ipsaque verba singula vatem hunc nexum et hanc oppositionem spectasse monstrant; ut enim 17, 1. 18 angelus dixerat δεῦρο δείξω σοι τὸ κρίμα τῆς πόρνης τῆς μεγάλης - ἡ γυνὴ, ita hic δεῦρο δείξω σοι τὴν νύμφην τοῦ ἀρνίου τὴν γυναῖκα *virginem agni* cf. v. 1., *foeminam*, quae ultima vox hic *urbem* magis denotet oportet. — V. 10. Ipsa haec Hierosolymae novae descriptio praeter universas illas, quae de mundo novo sperabantur (v. p. 307) notiones ex Hierosolymae ab Ezech. 40—48 depictae imagine adumbrata est. Sic statim ab initio uti Ez. (40, 2) se in montem altum, Zionem puta, nunc parvum sed futuro hoc tempore adauctum et exaltatum (Jes. 2, 2; mons enim quo altior eo augustior), ad urbem in valle (cf. praec. Ps. 125, 2. Jer. 21, 13. Jes. 22, 5.) circumjacentem contemplandam ablatum finxerat, ita hic vates ab angelo in eundem montem abreptus urbem hoc ipso momento dimissam contemplatur; singula autem verba priora καὶ ἀπήνεγκέ με ἐν πνεύματι consulto verbis 17, 3 consonant. — V. 11. In singularum rerum, quae jam sequitur, descriptione vates id primum depingit quod gravissimum est et admirationem plurimam movet. Eminet enim in urbe splendidissime ἡ δόξα τοῦ θεοῦ כְּבוֹד יְהוָֹה (Ex. 40, 37—39. Num. 9, 15—23. cf. Zach. 2, 9 Jes. 24, 23) *majestas* vel *gloria divina*, seu Schechina Rabbinorum, nubes ignea limpidissima tugurio divino superjecta, qua deum velatum adesse putabant; de qua imagine e traditione mosaica hausta fusius dictum est ad 7, 15. 21, 3. Quae lux dei corusca et quae cogitari potest limpidissima si urbi superjecta est, tanto inde lumine summo urbs tota collustratur (cf. Eisenmeng. P. 2. p. 318), ut solis amplius et lunae splendore haud opus sit; unde gloria haec divina simul est ὁ φωστὴρ αὐτῆς *luminare urbis* (φωστ. i. q. מָאוֹר LXX Gen. 1, 14. 16. *id quod lumen praebet*; potest quidem etiam luminare i. e. fenestram significare cf. Hesych. sed id ab hoc loco alienum; *splendorem* autem vocem significare temere sumitur). Cujus luminaris prorsus novi et singularis splendor sum-

mius ut imagine quadam congrua innuatur, hic confertur cum *lapide pretiosissimo*, velut *iaspide* (de quo v. ad 4, 3) eoque (cum varii sit coloris lucidi) crystalli candorem pellucidum (4, 7) imitante cf. Braun de vestit. sacerd. p. 586. Quae hic brevius indicata deinceps v. 23. 22, 5 uberius et dilucidius proponuntur. Si enim dei numen et lumen praesens adest luce quam nunc cernimus, ultra quam credi potest fulgentius, cur sol et luna porro luceant? quorum lux et minor et saepius interrupta est ac turbata? (cf. Jes. 24, 23. 60, 1. 2. 19. 20. Zach. 14, 7. ubi haec primum finguntur) cumque una cum totius mundi facie mutata solis et lunae forma transeat? Idem prorsus de sole, luna, stellis evanescentibus deique gloriae, cujus adspectu beati gavisuri sint, lumine substituto fingitur in 4 Esr. p. 235—241. [1]) Pulchreque sic dei splendor infinitus omnia collustrans eodem modo depingitur quo 4, 3. Nec dubito quin *καὶ* ante *ὁ φωστήρ* cum cod. Alex. aliisque delendum sit, intrusum illud, ut videtur, a librariis partim junctura *τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ ὁ φωστὴρ αὐτῆς* (quam libro huic familiarem hoc loco defendi posse ex p. 43. 44 apparet) offensis, partim loci hujus sensum haud prorsus assequentibus; multique interpretes *φωστήρ* de luminari quodam certo contra vatis mentem explicant. — V. 12—21. Sequitur *externae* urbis formae descriptio, in quam quaecunque urbem ornant et muniunt, augustissima et splendidissima sedulo congessit vates, ut eum sive subliminora sive christianae rei aptiora vix reperire potuisse fatearis. Habet (*ἔχουσα* praestat) urbs, quibus satis munita sit et tuta, moenia altissima portasque duodecim *angelis* totidem ut custodibus firmis et assiduis commissas (cf. Eisenmeng. Judenth. P. 2. p. 310); in duodecim vero portas exit urbs, quia tribus israeliticae omnes unitae concordesque suo quaeque loco eam inhabitant, singulaeque portae nominibus harum distinctae sunt. Quae de tribubus his fictio hic brevius ex Ez. 48, 30—35 expressa (cf. idem Synops. Sohar p. 115. Midrasch. in Ps. 48, 13) vatem in ipsa re christiana externam populi israelitici formam manere proselytosque gentiles in tribuum ejus numerum recipi putare monstrat,

1) cf. v. 23. Jalkut Rubeni fol. 7, 3. Eisenm. Jud. T. 2. p. 318. Solis stellarumque lumine coelum superius bene carere, opinio est *Indis* quoque antiquioribus trita, cf. locum venustum ex Mahabharata in Boppii Ardschuna 1, 32—38.

ut hinc quidem veram esse visionis 7, 1—8 interpretationem supra propositam (cf. p. 163) evidentissimum sit. — V. 13. Perfectissimus sit ut omnia hujus urbis decora ita portarum harum situs; cumque forma quadrata omnium nobilissima tota urbs descripta sit v. 16, portae a quaque coeli plaga tres sint oportet; cf. Ez. 48, 31—34. — V. 14. Ut urbem christianam agnoscas ab ea quam Ezechiel delineavit satis diversam, vates duodecim lapidibus in muri fundamentis positis nomina duodecim apostolorum et primorum Jesu discipulorum (cf. ad 18, 20) inscripta esse fingit. Scilicet θεμέλιος fundamentum i. e. lapidem fundamenti loco positum, ut lapidem *angularem* אֶבֶן פִּנָּה Job. 38, 6 denotat, ut bene duodecim secundum partes portasque muri duodecim cogitari queant; singulosque hos lapides vates forsan in mediis inter portas partibus sitos putavit. Qui lapides ut totum murum superstructum fulciunt, ita potissimi eminent columnarumque instar splendide decorari (ut v. 19. 20 exponetur) et nominibus virorum insignium aeternaque memória dignorum inscribi possunt. Dignissimique apostoli duodecim sunt, quorum nomina in his lapidibus splendidissimis fulgeant. Hi enim et primi erant doctrinae novae et potissimi cultores, ut eorum fidei, docendi assiduitati laboribusque ad doctrinam novam propagandam exantlatis tota doctrina christiana late patens haecque ipsa, quae eum sequitur, mundi melioris felicitas, immo haec ipsa urbs beatorum superstructa nitatur. Apostoli hi columnae sunt quae totam rem christianam fundarunt semperque fulcient, sicut στύλος et ἑδραίωμα de doctoribus legitur 1 Tim. 3, 16. Gal. 2, 6; cf. ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν Ephes. 2, 20. Locus hic memorabilis quanquam non probat, apostolos hos omnes temporis quo auctor scripsit momento diem jam obiisse (ut male quidam putant), at saltem firmissimo est argumento, Christianum aliquem ab apostolis his duodecim, quos summos coryphaeos venerabatur, diversum tantas iis laudes (cf. etiam praecipue v. 19. 20) tribuisse; quod quisque concedit, qui non ab omni congrui et pulchri sensu alienus est; cf. supra p. 76. 77. — V. 15. 16. Ut urbis forma justa et ambitus immensus demonstretur, angelus comes pertica urbem, portas murumque metiri fingitur, ut similis fictio est apud Ezech. 40, 3—5. 42, 16. Zach. 2, 5. 6. Tenet is ut μέτρον i. e. ut instrumentum mensoris, arundinem, ut regni hujus

splendorem decet, *auream*; cf. ad 11, 1 p. 194. Ex urbis demensione v. 16. primum elucet, eam *quadratam* sitam esse, ut jam v. 13. significatum erat. Haec enim forma (si forte *rotundam* excipias, quae in urbem non bene cadit) aequalis et recta curvae, qualem plurimae urbes monstrant, opposita perfectissima est, quam eandem Ez. 43, 16. 17. 45, 2. 48. 16. 17 delineaverat. Urbis ambitus stadiorum duodecim millia complectitur, ut cujusvis tribus singulae regio mille stadia amplectatur; neque enim dubium, quin vates ad tribus duodecim v. 12. cll. 7, 4—8 respexerit. Ceterum junge τὴν πόλιν (πόλιν) δώδεκα χιλιάδων *urbem mensus est* duodecim millium stadiorum (sc. urbem, ut v. 17), ut verba praemissa ἐπὶ σταδίους *ad stadia, e stadiorum mensura*, per se posita putanda sint; certe qua alia ratione verba explicari queant non apparet, cum Wahlii clav. p. 307. explicatio aliena sit. Denique ex hac dimensione apparet, altitudinem urbis, de qua dicendum restat, longitudini et latitudini ejus parem esse. Quae verba minime hoc signant, urbem ad 12000 stadiorum altitudinem exsurgere; sed hoc tantum, altitudinem urbis latitudini et longitudini, quas pares esse dictum erat, ita respondere, ut tota urbs quasi aedificium vel templum, cujus altitudo longitudini et latitudini aequalis esse potest, sanctum videatur. Cumque duodecim millium numerus haud dubie *ambitum urbis quadratae totum* significet, altitudo *quatuor millium* cogitanda esset. Quae imago satis quidem magna et monstrosa fere est; sed vatem hic sedulo urbem prorsus novam ut maximi ambitus ita altitudinis insolitae describere reputemus; imaginesque et has et ceteras in sectione hac aliisque libri hujus obvias nolimus ad rei factae veritatem exigere; certe verba ipsa aliter [1]) explicari nequeunt, et similia commenta v. Baba batr. f. 75, 2. et ap. Eisenmeng. Jud. T. 2. p. 839 sqq. apprime huc pertinet locus a Wetst. (quanquam hic eo non bene utatur) allatus: Jerusalem tempore futuro dilatabitur et *exaltabitur*, ut *pertingat usque ad thronum gloriae*. — V. 17—20. Muri altitudo e numero isto 144 qui 7, 4 affuit, definitur; nec opus est ex v. 16 χιλιάδων post τεσσάρων supplere. Adjecta ἐμέτρησε μέτρον *mensuram hominis, quod idem est atque angeli* ulnarum mensuram

1) ut *aedificiorum singulorum* altitudinem aequalem visam fuisse; vel *montium* urbis altitudinem a planitie v. 10. definiri putandam esse, ut voluit Wetst. et Storr in comm. theol. P. 5. p. 357.

vulgarem cogitandam esse significant qualis inter homines est, non modum humanum excedentem, ut quia de angelo sermo est, facile suspicari possis; cf. 13, 18. — V. 18. ἐνδόμησις vox rara apud Joseph. arch. 15, 9 p. 695. *molem* denotat *in* mari structam; sed hic ipso nexu docente muri fundamentis seu lapidibus angularibus v. 18 opposita ceteram muri molem denotat his partim interjectam partim superstructam; *superstructam* tantum muri molem denotare vix puto. [1]) Haec non lapidibus vulgaribus, sed pretiosissimo et splendidissimo, *iaspide* (cf. 4, 3. 21, 11. 19) exstructa est, totaque urbs simili modo *aurum* est *purificatum* (Cant. 5, 11), lucidissimum, auro vulgari vel pellucidius, ut vitro puro (cf. 4, 6) comparari queat; ὅμοιον lectio quidem est, sed praeferendum puto ὁμοία cf. 4, 3. Quod quomodo sibi cogitarit vates, utrum urbem auro totam constare putaverit an lapidibus auri instar fulgentibus inutile est quaerere; nam utcunque cogitarit, eum lapides vulgares sprevisse constat, proximumque est credere, eum rerum invisarum speciem *imaginibus* tantum depingere. Spes haec de Hierosolymis olim ornatu quo major nullus concipi possit, gemmis, margaritis, auro etc. exstruendis serius frequens; praeivit Jes. 54, 11. 12; secuti sunt plures, ut Tob. 13, 16. 17. Schemoth rabba f. 114, 4. Jalkut Rub. f. 13, 4. Eisenmeng. Judenth. T. 2. p. 883 sqq. — V. 19. 20. Lapides angulares, duodecim apostolis celebrandis destinati v. 14, quo a ceteris muri splendorem eundem servantis partibus apte distinguantur, gemmis *variis* ita ornate lucent, ut quisque e diversa gemma constare videatur. Quae gemmae duodecim ita simul gemmis duodecim in pontificis summi pectore portatis Ex. 28, 17—20. 39, 10—13. respondent, id quod consulto fortasse a vate fictum, ut apostolorum duodecim nomina in nova hac Hierosolyma pontificis jam inutilis insignibus distingui notaret. De ipsis his gemmis duodecim, quas e lucidissimorum numero selegit vates, cf. Braun de vestitu sacerd. p. 500 sqq. et Bellermann die Urim und Thummim. Berol. 1824. E quibus gemmis quod vates integros lapides angulares constare fingit quanquam extra rei factae fidem est, notandum tamen, veteres nonnunquam de columnis ex uno lapide pretioso formatis loqui cf. Herodot. 2, 44. Theophr. de lap. p. 4.

1) retinet hic versio Syr. nomen graecum ܐܘܡܣܛܐ *strues* cf. Knös chrest. p. 61, 6.

5. Plin. 37, 19. De iaspide v. ad v. 18; *sapphirus* ספיר i. e. *lucens* (cf. p. 90 not.) lapis coloris caerulei vel purpurei, e cujus generibus lapis lazuli optimus censetur aureis simul punctis aspersus, de quo cf. Plin. 37, 9. Braun p. 537. 38. Bellermann p. 44. *Chalcedonem* quidam ut Braun p. 525. eundem esse volunt ac lapidem carbonis colorem igneum imitantem, unde *carbunculus*, ἄνθραξ nominatur, a Carthaginiensibus imprimis venditum cf. Heeren historische Werke T. 13. p. 248, sed is nomine potius χαλκηδόνυξ insignitur; unde praestat lapidem turbidum, achatae similem, intelligere cf. Plin. 37, 8, 15. Bellerm. p. 54. De *smaragdo* v. ad 4, 3. *Sardonyx* pretiosissimum genus est onychis, lineis rubris colorem carnis seu gemmae carneoli, qui sardius vocabatur, et albis colorem unguis seu gemmae onychis imitantibus distinctus, unde nomen illud compositum ei inditum est, cf. Plin. 37, 6. Bellerm. p. 47. De *sardio* huic affini v. ad 4, 3. *Chrysolithus* pellucidus est auri colorem et splendorem referens, Plin. 37, 9. Bellerm. p. 63. *Beryllus* smaragdo similis coloris est viridis seu aquae marinae, Plin. 37, 5. Bellerm. p. 64. *Topazium*, cujus nomen hebr. פִּטְדָה ejusdem puto originis literisque duabus transpositis extrinsecus ad Hebraeos allatum, coloris est viridis pallidi, Plin. 38, 8. Bellerm. p. 37. Affinis ei est *chrysoprasus* vel chrysopras, porri (πράσον) colorem viridem cum auri colore miscens, unde nostra aetate topaziis annumeratur, Plin, 37, 8. Braun p. 509. Notior *hyacinthus*, violae colorem imitans caeruleum, hodie lyncurius dictus, Plin. 37, 9. Braun p. 553. Bellerm. p. 49; cui denique vicinus est *amethystus*, violae colorem referens, Plin. 37, 9. Bellerm. p. 55—59. Ergo vates in hac serie gemmas quasdam coloris similis copulavit, quanquam certum ordinem sequendum sibi proposuisse non videtur. — V. 21. Portarum v. 12. 13, quae secundum v. 15, metiendae restant, jam post longam hanc splendoris externae urbis descripti seriem (v. 18—20.) non *mensurae* sequitur, sed splendoris tantum descriptio. Portae hae angelis duodecim custoditae tribuumque nomina ferentes non minore fere, quoi lapides, quibuscum certant, apostolorum nomina ferentes splendore coruscant; cumque vati praeter gemmas alius splendor eligendus esset, e *margaritis* (saepius cum gemmis junctis, cf. Eisenm. T. 1, p. 393. T. 2.

p. 844.) portas ita exstructas esse tradit, ut quaeque porta ex una margarita constet; cf. idem fere in Baba bath. f. 75, 1. Sanhedrin f. 100, 1. Quod ipsum hic ideo monetur, quod margaritae vulgo minutae tantum, molles fragilesque sunt; sed ista aetate omnia insolito modo aucta nitent; certeque non est quod cum J. D. Michaelis (Einleitung in N. T. P. 2. p. 1322. ed. 3.) sensum hunc apertum negemus. Ceterum ἀνὰ sic adverbii instar cum nominativo junctum ut disjunctionem dilucidius denotet, a dictione bene graeca alienum in LXX. et N. T. (Rom. 12, 5. Eph. 5, 33. Matt. 14, 19.) satis frequens est. — Plateae urbis ut tota urbs v. 18. auro puro vitri pellucidi instar lucente constructae sunt. — V. 22—27. Post hanc externae formae descriptionem vates ad id redit praecipuum, quod supra v. 11. jam teligerat, *dei numen* in urbe praesens felicitatemque infinitam inde redundantem. Primum igitur *templo* incolis haud opus est: cum enim numen ipsum omnium beatorum aspectui pateat (22, 4.), ut tota quasi urbs templum sit divinum, cur templum terrestre, seu locus angustus in quo solo numen propius adesse putabatur, in urbe hac jam exstruendum est? Quare cum hac imagine sublimi neque ii libri hujus loci pugnant, quibus in *templo* coelesti beatos moraturos esse vates fingit, ut 3, 12. 7, 15; nam urbs regnumque hoc totum potest *templum* haberi seu locus in quo numen divinum propius sit et propitium. — V. 23. Neque sole amplius hic opus et luna, cum numen illud praesens splendorem lucemque spargat infinitam et aeternam; de quo v. ad v. 11. notata. Deus videtur *lux* seu sol qui urbem collustravit, Messiasque ei junctus *lucerna* seu luna noctu lucens. — V. 24—26. Atque vel haec summa, qua numen praesens Hierosolyma collustrat, lux ad *gentes* extra urbem hanc habitantes pertinget, ut hae quoque lumine hoc gaudentes vitam degant. Cumque lumen hoc divinum *animos* simul recreet atque collustret, non gentes tantum hae cum lumine illo doctrina divina gaudebunt, sed reges quoque earum lumen hoc doctrinamque hanc propius cognituri ipsam urbem adibunt opesque suas largiter offerendo honorem ei habebunt justum. Sic vates cum coelesti hac Hierosolyma imagines conjungit, quas vates priores de Hierosolyma olim a gentibus ad cultum divinum sincere fovendum motis adeunda, honoranda, ditanda concepe-

rant. Ergo urbs haec ex vatis mente caput est mundi novi, extra quam gentes multae habitant, ad cultum divinum in ea jam conversae urbemque hanc ut dei et justitiae sedem summi facientes; ut omnino vatem Palaestinae situm in mundum novum transferre videas. *τὰ ἔθνη* ex ipso veterum prophetarum usu gentes sunt multae extra Hierosolymam vel Palaestinam habitantes, quas jam deum venerari per se patet, ut *τῶν σωζομένων* male a librariis adjectum sit. Hae *περιπατήσουσι διὰ τοῦ φωτὸς αὐτῆς* vivent lumine doctrinaque urbis collustratae, locutione ex Jes. 2, 5. desumta, verbisque prioribus v. 23. bene annexa. *Regesque τῆς γῆς* i. e. idem fere quod *τῶν ἔθνων ferent gloriam et honorem*, opes magnificas honoris sui testificandi causa *in urbem*, locutione sumta ex Jes. 49, 23. 60, 10. (quae Hierosolymae regibus privatae destructaeque tempore scripta sunt). Ceterum *αὐτῶν* ad *ἐθνῶν* referendum esse, v. 26. et חֵיל גּוֹיִם Jes. 60, 11. monstrant, ut sensus hic sit: reges a gentibus delegatos cum opibus harum urbem adire. — V. 25. 26. Haec scribens vates ex Jes. 60, 11. portas, quibus continuo reges opesque hae intrent, nunquam claudi additurus erat: sed loco illo תָּמִיד יוֹם וָלַיְלָה scriptum reperiens haec confestim ita immutat ut *interdiu* tantum portas non claudi dicat; nam noctem ibi nullam fore ex v. 11. 23. jam elucere; quo ipso satis mira, quae hic videri possit, locutio explicatur. Portasque hoc ipso fine non claudi, ut reges gentium copias continuo introducere queant, v. 26. repetitis verbis v. 24. significatur. — V. 27. Nec tamen nisi puris et piis urbem sanctam ingredi licet cf. 22, 3. 14. 15; hoc quoque hic delineatum est ex Jes. 35, 8. 52, 1. 60, 18. Ez. 44, 9. *κοινοῦν* est טָמֵא; de *ποιοῦν βδέλυγμα καὶ ψεῦδος crimen dictumve sibi permittens abominabile* cf. supra v. 8. *βιβλ. της ζ.* cf. 20, 12—15. et alibi. — 22, 1. 2. Ad cumulum accedunt imagines beatitatis summae e paradiso terrestri Gen. 2. desumtae. Arbori *vitae* mosaicae *fontem* seu fluvium *vitae* primus adjunxit Ez. 47, 1—12, secutique sunt multi seriores. Hic ipse est fons limpidissimus (*ὡς κρύσταλλον* cf. 4, 6.) non perennis tantum, ut urbis incolis nunquam potus desit suavissimus, sed salutem quoque (corporis animique, ut credere e vatis mente licet) bibentibus largam fundens, de quo v. 7,

16. 17. ibique notata. Totam urbem rigans fontem ducit fluvius e loco sanctissimo et saluberrimo, e dei, a quo omnis vita et salus, throni vicinia, id quod vates ex simili commento Joel 4, 18. cll. Ez. 47, 12. Zach. 14, 8. sumsit. *Lignum* autem (ξύλον עֵץ i. e. arbores) vitae vates sibi cogitat plantatum ἐν μέσῳ τῆς πλ. καὶ τοῦ ποτ. i. e. junctura hebraea (de qua v. ad 5, 6. not.) *inter plateam urbis et fluvium vitalem*, et quidem ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν dictum ex מִזֶּה וּמִזֶּה (cf. gr. hebr. p. 660. et LXX. Num. 22, 24. et ἔνθεν καὶ ἔνθεν Ex. 32, 15. Ez. 47, 7. 12.) *ab hac et illa parte*, ab utraque fluvii parte. Tota igitur, qualem vates concepit satis aptam, imago haec est: fluvius media in urbe ruens utrinque arboribus vitae ad aquam hanc laetissime florentibus cingitur, plateaeque deinceps aedificia utrinque arbores ambiunt. Neque arbores hae ut ceterae semel bisve quotannis fruges ferunt, sed cum feracissimae sint neque unquam flaccescant, per singulos menses anni duodecies fruges edunt maturas, id quod eadem fictione repetitur in apoc. Adami cf. Fabric. cod. ps. V. T. 1. p. 12. Similesque imagines apud Judaeos satis esse frequentes, Enoch. 24, 1—11. 48, 1. 31, 1—5. ubi arbores et fontes vitae atque cognitionis fusius describuntur; 60, 15. 4Esr. 2, 11. 12. 8, 52. 53. Jalkut Rub. f. 13, 4. 14, 2. Schöttg. ad h. l. et Eisenmeng. Judenth. 2. p. 309. probant. Nec fruges tantum lignum fert esu salubres, sed folia quoque morbis sanandis idonea; quibus tamen foliis non tam incolae urbis salute summa fruentes quam *gentes* illae extra eam habitantes 21, 24—26. utantur. Videturque sane vates gentes ex urbe non corporis tantum sanationem sed animi quoque institutionem et emendationem continuo salubriorem quaerere putare; sed omnino salus externa seu corporis cum interna seu animi intime juncta apparet, ut vatem ex illa hanc quoque derivare videas. Totus hic versus verbotenus fere ex Ez. 47, 12. expressus, mutatis tamen paucis ut τῶν ἐθνῶν vates e suo consilio adjecit. — V. 3—5. Denique vates potiora beatitatis indicia et insignia repetit, pauca nova additurus. In re enim gravissima, quae miseris solatia afferat summa, ipsum sententiarum repetitarum taedium facile excusatur. κατάθεμα forma serior pro κατανάθεμα, ἀνάθεμα cf. Matth. 26, 74. pro חֵרֶם Zach. 14, 11. unde

vates hanc sententiam hausit: *omnis exsecratio* ibi non erit, i. e. nulla culpa foeda, ob quam deus civitatem exsecretur et exstirpet cf. 21, 8. 22, 15. *Thronus* dei Messiaeque est idem fere quod ἡ δόξα τοῦ θεοῦ 21, 11. 23. In hac dei vicini societate beati *servient deo*, sacerdotum instar piorum deoque propiorum cf. ad 1, 6. not. Hinc v. 4. additur, eos deum de facie videre, id quod alibi de cultoribus dei in templo assiduis dicitur Ps. 17, 15, hic sensu sublimiori de beatis numen praesens adspicientibus. De nomine divino beatorum frontibus inscripto iisque ut dei servis securitatem aeque ac rerum divinarum sensum praebente v. ad 2, 17. 7, 1—8. 14, 1. — V. 5. Dei numen et lumen praesens ut nox absit utque homines lucerna quavis solisque luce carere queant efficit cf. 21, 11. 22. 23. 25. *φωτίσει ἐπ' αὐτούς* est הֵאִיר עַל Gen. 1, 15. lucem desuper in eos demittit. Et his gaudiis cincti in aeternum vivent ut *reges* cf. ad. 1, 6. 2, 26; respexitque hic vates simul ad *τὰ ἔθνη* jam submisse deum urbisque incolas terrae dominos venerantes 21, 24—26. 22, 3. Ceterum apte hic in fine sermo a praeterito in futurum abit 21, 24—27. 22, 3—5. cum de sorte beatorum *speranda* vates ad coaevos suos sermonem faciat. Ipsam urbem praesentem sibi describi *fingit*, singula vero beatorum facta futura describit.

CONCLUSIO. Cap. 22, 6—21.

Ad finem cum jam properet oratio, vates fictionis totiusque operis indolis bene memor eundem angelum, qui ipsi per omnes visiones has comes datus est (cf. p. 86. 87.) nunc ultima sibi verba effari fingit v. 6. 7. 9—15, totius libri argumentum verbis paucis iisque acutis et gravibus denuo inculcantem promissisque hic datis fidem habendam esse contestantem. Ipse denique vates paucis totum opus absolvit v. 16—21; omnino in conclusione hac plurima ad Christianos exhortandos solandosque composita sedulo repetens. Quodque toties lectores suos his promissis, minis, rerumque futurarum descriptionibus fidem habere velint instigat, nonne id temporibus illis saluberrimum fuit multosque haud dubie christianos Christi signa ut haud desererent permovit?

1) v. 6. 7. Angelus ille breviter visiones effataque haec per se a deo vati patefacta summam mereri fidem obtestatur felicesque eos praedicat qui Messiae aut punituri aut beaturi proxime instantis memores libri hujus argumentum bene reputent et teneant. *πιστοὶ καὶ ἀληθινοί* ut 21, 5. 19, 9. ab eodem angelo dictum. *ὁ θεὸς τῶν πνευμάτων* (plur. hic abstracti ob singulos cui convenit plures positus est) *τῶν προφητῶν deus* qui prophetarum spiritum moderatur, prophetis, qualis auctor noster est, rerum futurarum notitiam dat (quibus verbis vates apte explicat omnes visiones a se suoque animo conceptas esse) *misit me angelum suum* cf. not. ad 1, 1, unde haec repetita sunt. Ceterum vates hujus generis futura multa depingentes saepius ad fidem suis habendam lectores provocant, ut Dan. 8, 26. [1]) — V. 7. *En* (inquit Christus) *repente adventurus sum;* quod supra 2, 16. 3, 11. promissum in hac ipsa conclusione ut gravissimum ter repetitur v. 7. 12. 20. *μακάριος* cf. 1, 3.

2) v. 8—15. Finito sic angeli sermone vates angelo huic, cujus operae tam laeta et certa rerum futurarum auguria debet, honorem habiturus est divinum, quasi ob nimium gaudium eorum oblitus, quae angelus idem prius jam hoc molienti objecerat 19, 10. *Et ego Johannes ille ipse qui haec audiebat et videbat* (plurima enim vates *monstrata* ipsi viderat, unde statim *δεικνύοντος* tantum repetit; sed quaedam 14, 13. non nisi enarrata sunt, ut 11, 3 sqq. 20, 7, vel monita, ut etc.) *καὶ* deinde adjectum ex hebr. Vav relativo fluxit, cf. gr. hebr. p. 540. sqq. Verba angeli adorationem deprecantis v. 9. paullo concisius enunciata sunt quam supra 19, 10, utpote in sententia ex illo loco perspicua; adjectum hic *τῶν προφητῶν* ob v. 6. et *τῶν τηρ.* immutatum est ob v. 7. — V. 10—15. Occasione oblata angelus hic sermonem continuat, alia quaedam de libro hoc ejusque argumento moniturus. Igitur primum vatem libri hujus prophetici argumentum non *obsignare* i. e. clandestinum in tempus servare (cf. 10, 3.)

1) quid sit *ἐν τάχει*, de quo interpretes adeo disceptant, vates ipse explicuit satis dilucide numero *annorum trium et dimidii* cf. supra p. 196. 221.; ergo post paucos annos justos beatum, injustos punitum iri vates sperat.

sed statim emittere jubet: cum enim Messiae tempora (ὁ καιρὸς) proxima sint, omnes quantocius monendi et docendi sunt. Antiqui enim prophetae ut quae futura ominati erant certo aliquando tempore suo eventura esse omnibus persuadeant, oracula nonnunquam prout a deo dantur statim scripta *obsignari* et *recondi* fingunt, quo eventus olim cum iis comparatus prophetarum fidem comprobet omnesque interim rei futurae pignus habeant certum Jes. 8, 1. 16. 30, 8. Hab. 2, 2. Eaque fictione imprimis vatibus utendum erat, si prophetam quendam antiquitatis remotae celebrem de rebus post saecula multa eventuris sermonem facientem introducerent; ut Daniel libri sui oracula post saecula fere quatuor usum et eventum habitura *obsignare* et loco tuto *recondere* jubetur 8, 26. 12, 4. 9. cf. 4Esr. 12, 37. 38. 14, 26. Qua in re cum liber hic Danielis scripto, quod alias fideliter imitatur, dissimillimus sit, res continuo eventuras describens, vati e contrario, ut ne librum hunc, sicut Daniel olim jussus erat, obsignatum et reconditum clandestinum servet, injungitur. — V. 11. Sententia haec arctissime cum v. 10. et 12. totaque hac sermonis serie cohaeret. Cum Messias proxime adventurus certo sperandus sit, patienter feratur quod interjectum est tempus brevissimum; *improbus porro peccet, probus porro probitati studeat:* haud diu moraturus est Messias tum, quod praecipuum est, *improbum* puniens ut porro probis nocere nequeat, tum *probo* vexationum patienter exantlatarum praemia retribuens justa. Improborum inimicitiam et vexationes per tempus porro, quod praeterlabatur necesse est, breve tolerent pii fidem suam et probitatem infractam servantes! cf. similem sententiam solandi causa insertam 13, 10. et praec. Enoch. 104, 3-5. [1]) ῥυπαρός *sordidus* Graecis *avarum* notat, sed hic potius ex hebr. צוֹא et טָמֵא Prov. 30, 12. (ubi LXX. idem) Jes. 4, 4. cf. دَنَّسَ Sur. 91, 9. 10. *impurum*, vitiorum sordibus inquinatum, viro *sancto* et ab omni vitii macula libero oppositum. Hic ῥυπαρευθήτω (verbum alibi ut videtur haud obvium) *inquinetur porro*, vitiis con-

1) male sententia haec e verbis his elicita est: *nemo cogitur ut verbis his fidem habeat.* Hoc neque versui inest neque ad nexum congruit.

tinuo auctis inquinatus culpam contrahat consummatam, et contra *sanctus sanctificetur porro*, sanctitatem morum continuo servans eo sanctior deoque et praemiis divinis dignior evadat. Haec enim egregie sibi respondent, ut ὁ *ἀδικ. ἀδικησ.* et ὁ *δικ. δικαιοσ. ποιησα.* V. 12. Diu haec non ita manebunt: *en* (inquit Messias) *repente adventurus sum, mercedem mecum ferens* (ex Jes. 40, 10. 62, 11. desumtum), ut et improbo illi nunc peccare haud desinenti et probo huic merita juste retribuam. — V. 13. Talia enim certo promittere potest Messias aeternus et potentissimus, cf. 1, 8. 21, 6. unde haec repetita sunt. — V. 14. 15. Ob impiorum piorumque nunc in terra junctim versantium mercedisque utrosque manentis mentionem v. 11. 12. iterum felicissima piorum in mundo novo beatitas ab impiis omnibus prohibita praedicatur. Si legitur *οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ*, *αὐτοῦ* ad Messiam ita esset referendum, ut hic angelus iterum ipse verba faciat. Sed angelum inde a v. 12—16. Messiam tantum loquentem introducere videmus, ut omnia e Messiae persona melius dicta sint. Igitur praestat omnino lectio difficilior in codd. paucis servata: *οἱ πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν, qui munditiei vestium vitaeque student*, ut non tantum ad *sordidi* et sancti v. 11. mentionem egregie alludatur, sed ad sententias quoque similes supra obvias 3, 4. 7, 14. ut solet scriptor in fine ab initio monita repetere et confirmare. Virtus ipsis cara est, ut (*ἵνα* rarius cum *indicat. fut.*, unde deinde sequitur conjunct. *εἰςέλθωσι*) mundi hi regni coelestis gaudio *potiantur*, velut *arbore vitae* 22, 2; *portisque* illis ornatissimis 21, 12. 21. urbem sanctam intrent. Extra eam sunt *canes* i. e. homines impuri et impudici, ut canis in Oriente saepissime impuri imago est (Deut. 23, 18. Phil. 3, 2.); de *singulo* peccato, ut cynaedi, vatem cogitasse vix cum Grot. Vitring. et Oedmann Sammlungen aus der Naturkunde P. 5. p. 38. puto; nam oppositus tantum est *purus*. Cetera vocabula ex 21, 8. 27. redeunt.

3) v. 16—21. In fine vates gravia quaedam monet vel denuo inculcat, aptum simul operis exitum circumspiciens. Ita v. 16. propius ad operis introitum redit lectoresque quibus id proxime destinavit quosque nunc in fine ut ab initio C. 1—3. alloquitur ipsos (cf. supra

p. 14.). Messiam loquentem facit (cf. 1, 11—20.), haec se potentia insigni aeque instructum ac amore in suos motum gravi, quo certior sit fides, per angelum hunc (cf. v. 6.) ecclesiis nunciasse affirmantem. μαρτυρ. *affirmaturus* haec *nobis in ecclesiis illis* septem 1, 11. ἐγώ εἰμι ego sum Messias iste, potentissimus aeque et splendidissimus ac propitius suis, *radix et progenies* (γένος proles, ut *genus* Virg. Aen. 4, 12.) cf. 5, 5; *idem ego stella lucida matutinaque* laete splendens, ut Lucifer sidus est faustum laetumque, cf. supra ad 2, 28. p. 124. et Dan. 12, 3. Enoch. 43, 1. 3. Ceterum lectionem difficiliorem ὁ ἀστ. ὁ λαμ. καὶ ὀρθρινός nescio an bene in λ. ὁ πρωϊνός Gr. mutarit. — V. 17. Messiaeque, quod saepe et ipse et angeli dederunt, de adventu celeri promissum ut ratum fiat expetunt multi, expetantque omnes; omnibusque ad gaudia adventum hunc secutura aditus patet. Ut Messias dixit ἔρχομαι ταχύ, ita τὸ πνεῦμα *spiritus* i. e. sensus divinus in vatis nostri omniumque prophetarum ei similium animis (cf. v. 6. 9.), propheta noster cum omnibus ejus sociis et *virgo*, urbs nova Hierosolyma cum coetu sacro jam parata Messiamque conjugem anxie exspectans (19, 7. 21, 2. 9.) dicunt ἔρχου! cf. v. 20. huicque voto piorum ardentissimo de promisso Messiae mox solvendo omnes ceteri Christiani libri hujus argumentum ex praelectione cognoscentes (cf. 1, 3. 22, 17.) amice respondeant. Ad tanta Messiae gaudia accedat quicunque eorum amore ducitur; sententia ex 21, 6. 22, 1. repetita. Sic vates in fine summo fervore elatus plurima cumulat acuta, brevia, concitata et fervida, summum libri argumentum non satis se inculcare posse putans. — V. 18. 19. Nihil unquam facilius corrumpi poterat quam rerum futurarum in oraculis memoratarum spes, imprimis si *auribus* tantum excepta esset. Facillime enim numerus annorum immutari, nomina iis, quae quis ex tali libro audiverat, narratione propagandis perverse explicari, omnia augendo vel minuendo ita a sensu genuino dejici poterant, ut mox e falsis interpretationibus additamentisque dissensus et pericula graviora orirentur. Ita quot quantisque additamentis depravatos videmus Christi, quos de rebus futuris dixit, sermones apud Papiam, Irenaeum aliosque Patres antiquiores! Quare haud mirum, vatem omnes libri hujus praelegendi argumentum audituros (cf. v. 17.), seu Christia-

norum imperitiorum copiam, ne libri hujus oraculis peregrini quid admisceant vel grave quid detrahant, sedulo obtestari; nec tam de libro hoc glossis adulterando (quanquam talia exempla temporibus illis satis frequentia sunt, cf. 2 Thess. 2, 2. 1 Cor. 16, 21. Eus. h. e. 4, 23. 5, 20. 25. etc.), quam de argumento ejus narratione depravando vates loquitur. At eum his verbis a lectoribus tantum ut *obsequium* praestent libri hujus monitis postulare, falso sumitur neque ex Deut. 4, 2. 13, 1. demonstrari potest. Ceterum observa verborum lusum: *qui his aliquid addet, ei deus poenas addet* supra, ut 20, 14. 15. descriptas; *si quis quid detrahet, ei deus arboris vitae* 22, 2. *totiusque urbis sanctae*, quarum commoda infinita supra descripta sunt, *communionem detrahet*; μέρος cf. 21, 8. — V. 20. Haec qui me vera dicere testatur, Christus, se impios puniturum piosque remuneraturum repente adventurum affirmat, idque ut ratum fiat enixe cupiendum est (ἀμὴν, ἔρχου *fiat! venias!*) cf. v. 17. Sic totius libri argumentum denuo inculcans vates v. 21. salutandi formula epistolis Paullinis solenni finit; quod quo jure fecerit, p. 14. dictum est. ὑμῶν verissima lectio est. cf. v. 16.

Nec quae fini libri in multis codd. adjecta sunt de auctore et capitum versuumve numero genuina haberi possunt, nec quae variae inscriptiones externae in fronte librum ornant, ut ἀποκάλυψις (in qua sola voce codd. sibi constant), ἀποκ. Ιωάννου, ἀπ. Ιω. τοῦ θεολόγου, ἀπ. Ιω. τοῦ εὐαγγελιστοῦ. Ipse enim auctor librum suum ita inscripsit (cf. supra p. 85.), ut varios hos titulos et superfluos et menti ejus contrarios esse facile videas. Apostolum serius inde a quarto seculo inter lites Arianas τὸν θεολόγον nominari coepisse constat, cum evangelium ejus divinae Christi naturae contra haereticos tuendae plurimum favere videretur; eodemque fere tempore Gregorius Nazianzenus, strenuus ille divinae naturae contra Arianos defensor, eodem nomine salutari coepit (cf. de utroque Andreae comm. p. 16. 17. Suiceri thes. s. v. et Ullmanni librum: Gregorius von

Nazianz. Darmst. 1825. p. 187.) [1]); idque nomen librarii ab eo inde tempore in hujus potissimum operis (nam evangelio et epp. quantum scio nunquam praefigitur) inscriptione Johannis nomini adjecisse videntur, quo dilucidius Apostolum inclytum libri auctorem esse innueretur. Cur enim librarios istos *Theologi* nomine Johannem ab Apostolo diversum significare voluisse putemus, causa haud succurrit idonea.

1) Ita vulgo statuunt. Si tamen Gregorium eundem ὁ θεῖος τὸ λόγον dici (Areth. Comment. p. 640.) reputas, quidni significare possit: *divino sermone insignis?*

GOTTINGAE, typis expressum DIETERICHIANIS.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

P. 13. not. Cum sententia Hartvigii cf. similem apud Corrodi Gesch. des Chiliasm. T. 2. p. 304. — P. 19. l. 15. lege c. 16. pro c. 15. — P. 21. l. 22 sqq. Totam denuo libri indolem partiumque distributionem aequabilem reputanti mihi de capitum 4—7. partitione verius sic statui visum est, ut ea *partem primam* contineant ceteris duabus oppositam. Praeparat ea vindictae constatque his partibus minoribus: 1. Secutura in *caelo* praeparantur. 1) C. 4. 2) C. 5. 2. Vindicta prope instans. 1) 6, 1—8. 2) 6, 9—11. 3) 6, 12-17. 3. C. 7. Ita prima haec pars exacte et egregie duabus sequentibus respondet; et hanc normam commentarius sequitur. — P. 24. lege 8. l. 5, 8. 8, 5. 15, 8. — P. 27. not. 1. penult. lege *dicantur.* — P. 29. l. 30. post *abest*, deest *ut.* — P. 33. l. 1. lege *rescissa.* — P. 35. l. 1. lege §. 9. — l. 30. 31. de loco 14, 20. vide tamen infra p. 251. not. verius dicta, et de loco 13, 18. p. 36, 6. vide infra p. 235. — P. 37. l. 2. 3. et p. 75. not. Non dico vatem versionem LXX. prorsus non legisse, quod ex uno saltem loco 2, 27. (cf. p. 127) probabile est, sed eum ejus fidem minus sequi textumque potius hebraeum legisse. — P. 41. l. 25. vide de hoc loco infra p. 180 notata. — P. 43 l. 3. adde 14, 9. — l. 25. lege *superstructa.* — P. 44. l. 5. adde LXX. Num. 20, 5. — P. 46. l. 7. si σμαραγδίνῳ genere fem. poni sumere licet, possit etiam loco 4, 3. ὅμοιος eodem fem. genere ad ἶρις referri: *iris similis aspectu smaragdinae* (iridi), idque interpretatu facillimum videtur. — l. 14. 15. dele exemplum ἀκολουθ. μετά nec Graecis insolitum. — P. 48. not. l. penult. lege *nominatim.* — P. 60. l. 19. lege *dubie.* P. 67. l. 10. lege *simile.* — P. 69. l. 12. 13. adde praecipue μετανοεῖν, de quo p. 486. dixi. — P. 73. l. 6. lege *postquam.* — P. 88. l. 29. lege *salutandi.* — P. 89. l. 30. lege 4, 2. 10. pro 4, 8. 10. — P. 91. l. 3. adde 19, 1. post 4, 9. 11. — l. 5. lege *majestati et sanctitati.* — P. 96. l. 26. dele *apparet.* — P. 107. l. 34. lege *orientem* pro *occidentem.* — P. 118. l. 17. dele 3 post 13. — P. 124. ad imaginem de piis *stellarum* splendore coruscis ut vel stellae coeli videantur, cf. praecipue Dan. 12, 3. Enoch. 43, 1. 2. 104, 2. — P. 128. l. 28. lege *imperet.* — P. 129. l. 3. lege *describatur.* — P. 130. l. 17. lege *tenendam.* — P. 133. ad v. 20. cf. infra p. 288. not. — ibid. not. l. ult. lege 12, 13. 14. — P. 135. l. 21—30. Idem in rebus divinis decori sensus vel Arabibus inhaeret, cf. notam nostram ad l. Wakedii de Mesopotam. hist. (Gott. 1827) p. XVIII. — P. 136. l. 8. lege *excellat.* — ibid. not. adde porro Enoch. 105, 26, ubi pius quisque in regno coelesti throno suo insigni donari dicitur. — P. 137. l. 14. lege *vitrum.* —

P. 138. l. l. 24. 27. locum sic refinge: *videtur: visa esse animantia — porrigi videbantur*, etc. — l. 30—35. Hinc angeli, summi potissimum, *vigiles* serioribus nominantur, עִיר Dan. 4, 14. 20. Enoch. p. 10—13. 21. ܥܝܪܐ Ephraem Syr. Op. T. 2. p. 455. T. 3. p. 4. 129. Knös chrest. syr. p. 58. 59. carm Alex. v. 17. Barhebr. p. 4, 4. ἐγρήγορες test. 12. patr. in Fabr. cod. ps. V. T. p. 530. — P. 139. l. 35. lege *senatus*. — P. 143. l. 1. adde testam. 12 patr. in Fabr. cod. ps. V. T. T. 1. p. 548. — P. 145. l. antepenult. lege *acceptiores*. — P. 147. l. 4. Quomodo presbyteri, e christianis scilicet beatis selecti, in terra se regnaturos sperent, posset quidem ex regni Christianorum milliarii mentione 20, 4–5. cogitari, satisque apparet vatem in loco isto ad regnum hoc futurum respexisse; sed lectiones tamen a me commendatas veriores sensumque aptiorem reddere puto. — P. 152. ad v. 5. apte conferri poterat locus Ezech. 4, 16. e quo forsan vates imaginem hausit ab ipso ornatam. — P. 158. l. 22. lege *eas*. — P. 159. l. 7. lege *agnoscas*. — P. 160. l. 7. lege *sequuturae*. — P. 163. l. 38. lege *tempore*. — P. 167. l. 29. loco Zachariae similior etiam est locus Ezech. 37, 3. ut hunc potius vatis menti obversatum esse putem. — P. 174. l. 4. lege καιόμενος — P. 176. l. 22. lege *orificio aperiendo*. — P. 178. l. 1. lege *audi*. — l. 4. adde Agatharchidem in Geogr. min. Hudsoni V. 1. p. 43. — P. 194. l. 13. lege *traditus*. — P. 204. l. 1. lege *probari*. — l. antep. lege *spectaculo*.